UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn


# Dissertationes Juridico-Theologicæ De Jure, & Justitia

Karchne, Simon

Augustæ Vindelicorum ; [Graz], 1714

urn:nbn:de:hbz:466:1-40013

Visual Library



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# DISSERTATIONES JURIDICO-THEOLOGICÆ DE JURE, & JUSTITIA AD PRAXIM FERE OMNIUM STATUUM DIRECTÆ, PLURIMISQUE RARIORIBUS QUÆSTIONIBUS INSTRUCTÆ.


AUTHORE

R.P. SIMONE KARCHNE,

E SOCIETATE JESU CARNIOLO VIPPACENSI, SS. THEOLOGIÆ DOCTORE, EJUSQUE ET SS. CANONUM OLIM PROFESSORE, NUNC IN ALMA, AC CELEBERRIMA UNIVERSITATE GRÆCENSI CANCELLARIO.



Collegii Soc. Jesu Paderborn 1740.


CUM SUPERIORUM PERMISSU,

ET CÆSAREO PRIVILEGIO.


AUGUSTÆ VINDELICORUM,

IMPENSIS PHILIPPI JACOBI VEITH, BIBLIOPOLÆ GRÆCENSIS ET FRATRUM.

ANNO MDCC XIV.



UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

# REVERENDISSIMIS, PERILLUSTRIBUS, AC CLARISSIMIS DOMINIS, DOMINIS SS. THEOLOGIÆ DOCTORIBUS, PROTONOTARIJS APOSTOLICIS, &c.

BERNARDINO PISCON, Celsissimi Principis Archi-Episcopi Salisburgensis Consiliario Consistoriali, per Neostadiensem districtum in Austria Archi-Diacono, Decano & Parocho in Weizberg, &c.

ANDREÆ KHRONAWETHVOGL, Celsissimi Principis Archi-Episcopi Salisburgensis Consiliario Consistoriali, per districtum Voraviensem Archi-Diacono, Urbis Græcensis Parocho confirmato, &c.

MATHIÆ BERNARDO PECHEL, Celsissimi Principis Arch-Episcopi Salisburgensis Consiliario Consistoriali, intra Muram, & Dravum Archi-Diacono, Parocho in Strasgang, &c.

# REVERENDISSIMI, PERILLVSTRES AC CLARISSIMI DOMIN, DOMINI.

SI, quemadmodum Jura inquiunt, *defensoribus pluribus uti nemo prohibetur*, licebit sanè Patronos etiam plures compellare, qui, qua eminent Authoritate præ cæteris, tutelam rei sibi devotæ, inscriptæque tantò firmiùs patrocinio suo sustineant. Ista mihi ad Vos accedenti, Reverendissimi Domini, fuit fiducia. De patrocinio operis à me in lucem emittendi circumspicere cœpi: cùm unius quidem Authoritas, atque Nomen sufficeret, tres occurristis Viri Clarissimi, Dignitatis Sacræ fastigio, doctrinæ præstantiâ, tum animarum Zelo insignes omnes. Proinde, ne in delectu istiusmodi Patronorum diu hærerem, tria simul Veneranda Capita Complecti ausus sum, quibus Dissertationes has meas de Jure, & Justitia Juridico-Theologicas nuncuparem. *Tria sunt omnia*, Philosophus dixit; numero

mero item ternario Gratias omnes definivit culta antiquitas: Gratiam inde me aliquam lucubrationi huic meæ conciliaturum cur non ominer, utpote quæ sub numero tam auspicato emittitur? Etsi autem tres estis, Reverendissimi Domini, unum tamen veneror, id est: Ecclesiastici honoris Vestri fastigium, in quo mira meritorum, & laborum consensione sub eodem Diœcesano Antistite eadem Vos Archi-Diaconatûs prærogativa conjunxit; ad quod vestigijs paribus singuli, spectatâ, inquam, virtute, & Sapientiâ Vestrâ ascendistis. Quamvis enim Episcopales post Infulas prima Archi-Diaconorum est dignitas, & (quemadmodum ex Conciliorum Decretis Jus Canonicum loquitur) *Episcoporum Vicarios Generales natos*, *Manus* eorundem *& Oculos* Ecclesia Vos constituit, dixitque: Superat tamen illud, quod de Vestro ipsi ad honorem hunc tantum attulistis. Multos Doctrinæ copia, experientia multiplex, & in agendo dexteritas alios, virtus (uti decet) plurimos super Candelabrum Ecclesiæ posuit; tanquam dignos è dotibus singulis, quorum meritis, ac fidei committi pastorale Officium tutò possit. In Vobis collecta copio è hæc omnia quis non miratus est? de doctrina quidem Vestra pridem testis, ac arbitra Sententiam dixit Græcensis nostra Literarum Universitas, quæ nunc etiam in decoratis purpurâ à se Vobis Theologiæ Doctoribus gloriatur; quod mihi pariter momentum non leve addidit, ut elucubratum hoc loci Juridico-Theologicum opus Vobis, id est, jis inscriberem, qui & sapienter de eo judicarent, & oblatum benignè susciperent. De experientia, atque usu muneris Sacri multiplici, si anni inter vigilantissimam animarum curam, exacti minus loquerentur, ex jis palàm est, quæ in parœcijs, ac diœcesibus singuli Vestris cum summa ac-

curationis & prudentiæ laude constituistis. Quotidiana sunt, quæ coràm in Vobis oves Vestræ, & nos persæpe è propinquo suspicimus virtutum decora, Religionis, Zeli animarum, pietatis, temperantiæ, in egenos liberalitatis, paterni ac fermè popularis in quosvis affectûs studia; talia omnia, quibus mirum quàm devinctos omnium animos, fideles autem præcipuè Vestros doctrinæ Vestræ, & nutibus obsequentes tenetis. Id curæ olim præcipuè ex legum præscripto Sacris Præsulibus fuit, ut Archi-Diaconos legerent *doctrina & eruditione præstantes;* felix per Vos ampliùs nostri temporis ætas, quæ, præter illas ingenij dotes, probitatem eximiam, & pulcherrimam exempli vim, ad spectatissimum cetera Archi-Diaconi nomen videt adjunctam. Nec jam ultra Meinulphum aliquem Paderbornensibus, non Adalbertum Trajectensibus, utrumque sanctis jam adscriptum, non Petrum Blessensem Bathoniæ, Guidonem Bononiæ, Henricum à Gandavo Fornacensibus, magni nominis, quia doctrinæ & virtutis magnæ, Archi-Diaconos invidemus, si pares Vobis in eodem fastigio plures isthæc patria numeret. Quanquam frustra sum, qui occupari longiùs velim ea laudum serie, quam & gravem scio modestiæ Vestræ; &, si æquam velim dependere, separatis longùm capitibus excurrendum mihi foret per singulos. Ejusmodi estis, quos nominari tantundem, atque laudari est. Hoc solùm volui, ne nesciretis, Reverendissimi, ac Clarissimi Domini, Nomen Vestrum fuisse, in eo honoris Sacri fastigio collocatum, quod, uti ad amorem venerationémque Vestri pertrahit plurimos, mihi pariter magnes extitit deferendi qualiscúnque cultûs hujus, quem in libro accipitis. An Vobis operis argumentum conveniat, dubitare non potui. Si

enim

enim id Vestrum est, ad Justitiam erudire multos, si docere, quid DEO, quid proximo debeatur, si divina, humanáque Jura tueri verbo, & factis fatemini, si denique Judiciorum Sacrorum arbitri in diœcesibus singuli Vestris fungimini, an non rectè Jus, & Justitiam in manibus Vestris depono? Conatus id sum, ut ad praxim quorumlibet ferè statuum scriptionem hanc meam dirigerem; sin assecutus parte aliqua id ipsum non sum, benevolentiâ saltem, & authoritate Vestrâ id omne compensatum iri confido. Accipite igitur, Reverendissimi Domini, meæ hanc erga Vos observantiæ tesseram; & quoniam boni publici, cui scripsi, promovendi curam inter primas semper habuistis, eandem favore Vestro, & patrocinio, opellæ meæ annuite. Precor DEUM Optimum Maximum, ut diu Vos Ecclesiæ suæ, Styriæ nostræ, tum animarum subditarum solatio commodóque incolumes supersesse faciat. Datum Græcij die 1. Novemb. 1713.

*Reverendissimis, Perillustribus, ac Clarissimis Dominationibus*

*Perpetuùm devotus*

Simon Karchne.

FA-

# FACULTAS

## R. P. Provincialis, & Privilegium Cæsareum.

EGo Gabriel Heveneſi Societatis JESU per Provinciam Auſtriæ Præpoſitus Provincialis, poteſtate facta à P. noſtro Michaële Angelo Tamburino Præpoſito Generali, Facultatem concedo D. Philippo Jacobo Veith Bibliopolæ Græcenſi librum, cui Titulus: *Diſſertationes Juridico-Theologicæ de Jure, & Juſtitia ad praxim ferè omnium ſtatuum Directæ.* à P. Simone Karchne ejusdem Societatis compoſitum, à deputatis ad id Societatis ejusdem Patribus lectum, & approbatum typis mandandi; eidémque jus Cæſarei Privilegij ad decennium eatenus indulgeo, ut ipſo invito librum hunc, vel in toto, vel in parte nemo recudere, vel alibi recuſum intra S. R. Imperij fines, & hæreditarias S. Cæſareæ Majeſtatis Provincias importare, aut vænum exponere audeat. In cujus rei fidem has litteras manu mea ſubſcriptas, & Officij Sigillo munitas dedi Græcij die 3. Octobris 1713.

*Idem qui ſupra.*

Index

# INDEX

## Dissertationum cum suis Articulis, horum paragraphis & materijs numerus indicat loçum marginalem


### Præfatio.

De varia vocis juris significatione. 1.

### Dissertatio I.

De natura, & multiplicitate juris, perfectique dominij. 1.

### Articulus I.

De natura juris proprietatis, & divisione. 2.

### §. I.

Definitur jus proprietatis. 2.

### §. II.

Per quid constituatur legitima potestas juris proprietatis constitutiva. 5.

### §. III.

Jus proprietatis dividitur. 8.

### §. IV.

De jure gentium. 388.

### Articulus. II.

Dividitur, & definitur dominium proprietatis. 13.

### Articulus. III.

An DEUS habeat dominium proprietatis in creaturas? 16.

### Articulus. IV.

An creatura sit Capax dominij proprietatis adversus DEUS? 18.

### Articulus. V.

Quarum rerum dominium proprietatis sit in Angelis, hominibus ac Christo ut homine. 22.

### §. I.

An homo bonorum intrinsecorum, quibus constituitur, sit plenus dominus? exinde deciditur, an fas sit se ipsum occidere, mortem desiderare, se ipsum, si reus sit, in mortem judi-

ci

ci offerre, vitámque quibusvis medijs conſervare? 22.

§. II.

An homo ſit plenus dominus libertatis, famæ, honoris? Ubi an licita ſui, aut reciproca infamatio falſi accuſatoris, vel teſtis de crimine vero, occulto, aut ſecreto. 26.

§. III.

An homo ſit proprietarius bonorum fortunæ, ſeu externorum ſuppoſitâ primâ rerum diviſione, & quid de dominio Angelorum, dæmonum, ac Chriſto ut homine. 28.

Articulus. VI.

De dominio proprietatis Religioſorum. 29.

§. I.

De dominio Religioſorum conventuum in communi. 29.

§. II.

De dominio Religioſorum in particulari, & capacitate acquirendi. 32.

§. III.

An, & quomodo Religio ſuccedat ſuis Religioſis in dominio? 39.

§. IV.

An immediatè & quo jure Monaſterium ſuccedat in bona ſui Profeſſi viventis. 39.

§. V.

An uſusfructus per Profeſſionem Religioſi extinguatur? an Monaſterium in fideicommiſſo excludat, acquirátque Emphytevſim profitente Religioſo. 41.

§. VI.

An Scholaſticus ſocietatis ſine licentia ſuperioris validè diſponat. 42.

§. VII.

Præmittuntur quædam de voto paupertatis Religioſæ pro deciſione, qualis licentia neceſſaria pro honeſtis, & validis Religioſorum operationibus, & de multiplici voluntarij acceptione. 45.

§. VIII.

Qualis ſuperioris licentia Religioſis neceſſaria ad licitè, aut valide illæſo voto paupertatis operandum. 46.

§. IX.

Ad qualia, & quanta poſſit ſe extendere licentia ſuperioris, ne violetur votum paupertatis. 47.

§. X.

An licentia ad uſus profanos & ſuperfluos tollat à tali uſu malitiam contra votum paupertatis. 48.

§. XI.

An licentia Prælati conceſſa ad ſuperflua contra votum paupertatis, aut ad ſumptus alijs virtutibus oppoſitos ſit valida, & an ejusmodi licentia ex parte Prælati poſſit eſſe licita? 49.

§. XII.

§. X. II.

Cujus Prælati licentia neceſſaria ad uſum licitum 51.

§. XIII.

An Prælati Regulares poſſint ſubditis concedere uſum, aut adminiſtratione temporalem? aut quid Religioſi facti Epiſcopi, aut Cardinales poſſint circa temporalia 39.

§. XIV.

An Religioſus ex licentia Prælati habens pecuniam ad uſus honeſtos, poſſit eam ludendo exponere? an lucrum notabile ludo perdere, aut hoc reſtituere ludens ſine licentia? & quid ſi Religioſus ſocietatis pro miniſterijs ſpiritualibus accipiat ſtipendium, aut miſſam legat nomine alterius ſtipendiati. 52.

§. XV.

An contractus, aut delictum Prælati, aut ſubditi Religioſi noceat Monaſterio 53.

§. XVI.

Corollaria practica 54.

§. XVII.

Quinquè ſequelæ contra votum paupertatis, & totidem propoſitiones de paupertate in ſocietatis ſcholis doceri prohibitæ 393.

Articulus VII.

De Beneficiatorum dominio 60.

§. I.

De Triplici genere bonorum clericorum 60.

§. II.

An Beneficiarij ſint domini reddituum ſuperfluorum? 62.

§. III.

An doctrina ſuperior procedat etiam de Religioſis Epiſcopis, & promotis ad beneficium inferius Epiſcopatu 397.

§. IV.

Satisfit objectis contra numerum 62. 63.

§. V.

An fructus commendæ, & penſiones patrimonialibus adnumerandæ, & in quo ſita ſit congrua ſuſtentatio? 66.

§. VI.

De modo expendendi ſuperfluos beneficij redditus 68.

§. VII.

An beneficiati totum ſuperfluum debeant erogare in uſus pios? 69.

§. VIII.

An beneficiati mortaliter peccent profanando redditus ſuperfluos, & plura alia quæſita 70. & 401.

§. IX.

Quo jure fructus superflui sint expendendi in usus pios? 71.

§. X.

Quo ordine in pias causas sint erogandi superflui redditus? 407.

Articulus VIII.

An dominium perfectum creatum possit esse simul penes duos? 73.

Dissertatio II.

De dominio imperfecto 79.

Articulus I.

De conjugatorum dominio, & quomodo id invicem lædant? 79.

§. I.

De varijs conjugum bonis 79.

§. II.

De dotis, dominio, constitutione, fidejussione, ac restitutione 80.

§. III.

De conjgum reliquorum bonorum dominio 85.

§. IV.

Practicè declaratur jus, & obligatio mariti ergo uxorem 89.

§. V.

Quæ liceant, aut non liceant uxori circa bona mariti 92.

§. VI.

Tria de uxore quæsita expediuntur: 408

§. VII.

An uxor debeat sequi domicilium, & debite ad eam alendam à viro paupere contracta dissolvere? 94

§. VIII.

An & quæ ex bonis suis vidua, aut viduus transiens ad secundas nuptias debeat relinguere prolibus prioris matrimonij? 97

Articulus II.

De dominio paterno, & filiorum eique annexis 101.

§. I.

Quid sit jus paternum, & an filius familias habeat aliquod jus. 101.

§. II.

De patria potestate, ejus effectu, & extinctione 103.

§. III.

De onere alendi proles annexo paterno dominio 104.

§. IV.

A quo alenda dubia proles? 107.

§. V.

An filius habeat jus ad legitimam, & quid circa eam observandum. 113.

§. VI.

An professus, aut exhæredatus, aut renuntians hæreditati, augeat, aut minuat legitimam 409.

§. VII.

§. VII.

Quorum bonorum filij sint domini & quid circa ea possint ? 114.

§. VIII.

Resolvuntur aliquæ quæstiones de patre erga filium, & vicissim 116.

§. IX.

Quæ bona accepta à patre in vivis conferenda sint, aut in legitimam computanda 119.

§. X.

An inter fratres, & sorores detur jus ad alimenta, & dotem 125.

Articulus III.

An usus rerum, quæ unico usu consumuntur sit separabilis à dominio ? 127.

§. I.

Quid, & quotuplex sit usus & elucidatur controversia 127.

§. II.

Decidituir proposita in Articulo controversia 130.

Articulus IV.

De usufructu 135.

Articulus. V.

De jure servitutis, pignoratitio, & hypothecario 139.

§. I.

De jure servitutis 139.

§. II.

De variis speciebus servitutuis, rbanæ & rusticanæ 413.

§. III.

De pignore, ejusque disterentia ab hypotheca 140.

§. IV.

Plures quæstiones de pignore, & hypotheca resolvuntur 142.

§. V.

De pignoris custodia, venditione, & dissolutione 145.

§. VI.

De pignoris usu, fructibus de pacto antichreseos, & legis commissoriæ 148.

§. VII.

Cujus pignus, aut hypotheca in concursu plurium creditorum prævalet 415.

Articulus VI.

De jure emphytevtico, fidei commissario, & feudali 153.

§. I.

Definitur, & dividitur emphytevsis, & occasionaliter de successione ejus 153.

§. II.

Quæ sit differentia contractus emphyteutici à contractu consitico & en hic usurarius ? 154.

§. III

De Laudemio emphyteutico 156.

§. IV.

Cui laudemium, & quando solvendum ? 157.

§. V.

De differentia emphytevsis ab elocatione, & reliqua de laudemio 421.

§. VI.

De canone, expensis, & melioramentis rei emphytevticæ 158.

§. VII.

De emphytevtæ oneribus, & præstandis domino servitijs vulgo Robathis 160.

§. VIII.

De rei emphytevticæ alienatione per venditionem 163.

§. IX.

De alijs rem emphytevticam in alium transferendi modis 423.

§. X.

De caducitate rei emphytevticæ ob canonem non solutum 164.

§. XI.

De emphytevta mulctando expellendo jure retractûs emphytevseos, & an emphytevta fructus suos, debeat primo loco venales directo domino proponere? 165.

§. XII.

Resolutio decem quæstionum de emphytevsi 425.

§. XIII.

An usurfructus Professi transeat ad monasterium? 433.

§. XIV.

An monasterium professo succedat in fideicommisso cum exclusione substituti? 435.

§. XV.

An hucusque elucidata ex jure communi habeant locum etiam in societatis JESU Religiosis? 438.

§. XVI.

An feudum, jus patronatûs, jus nominandi ad emphytevsim, & jus retractûs transeat ad monasterium successionis capax? ubi de statuto sæculari excludente Religiosos à successione 439.

§. XVII.

An Emphytevsis ad monasterium successionis capax devolvatur? 445.

§. XVIII.

An monasterium teneatur ad laudemium, dum ad id à Professo transit emphyteusis? & an laudemia à prædecessoribus insoluta obligetur compensare 450.

Dissertatio III.

De modis acquirendi dominium 166.

Articulus I.

§. I

Quid sit præscriptio, usucapio, & an valeat in foro conscientiæ. 166.

De modo acquirendi dominium per præscriptionem. 166.

§. II.

De prima conditione, nempe possessione

ne ad præscriptionem requisita, & recensentur possessionis commoda 169.

§. III.

De necessitate bonæ fidei ad præscribendum. 171.

§. IV.

De tertia præscriptionis conditione, nempe titulo. 177.

§. V.

De rebus præscriptionis incapacibus. 179.

§. VI.

Resolvuntur sex quæsita de quibusdam rebus an sint impræscriptibiles? 454.

§. VII.

An ius patronatûs, & jus supremæ advocatiæ in Ecclesias adversus Principem præscribi possit? & an vicissim valeat præscribere Princeps jus eligendi aut nominandi Episcopos, aliosque Rectores Ecclesiarum in suo territorio. 463.

§. VIII.

Examinantur jura à Patronis, & advocatis moderno tempore prætensa 468.

§. IX.

Quanto tempore possessio continuanda ad præscribendum? ubi obiter insinuantur privilegia possessionis immemorialis 182.

Articulus II.

acquirendo dominio per publicam Deauthoritatem 188.

§. I.

De conditionibus necessarijs ad justitiam exactionum 189.

§. II.

An, & quomodo possit Princeps novas exactiones imponere 191.

§. III.

An tributorum, vectigalium, & exactionum leges oligent in conscientia? 194.

§. IV.

Quid in praxi sentiendum? 197

§. V.

Quæsita practica de contributionibus, vectigalibus & horum defraudatione. 198.

§. VI.

An sæcularis princeps possit Ecclesiasticos absque Papæ consensu subijcere contributionibus? 202.

Articulus III.

De modis acquirendi dominium per contractum 207.

§. I.

An simplex promissio in materia gravi obliget graviter in conscientia ad rei promissæ dominium ex fidelitate, ac justitia transferendum? 210.

§. II.

An promissio turpis sit valida & obligatoria ex justitia 213.

§. III.

§. III.

An? quomodo? & quando contractus conditionatus transferat dominium? & quæ ejus differentia à modali 218.

§. IV.

De quibusdam legatis, & testamentis conditionatis 222.

§. V.

Plurima pacta repugnantia bonis moribus expenduntur. 476.

§. VI.

De juramento reprobatis pactis adjecto, eusque effectu. Ubi an pacta jure civili nulla juramento confirmentur. 490.

Corollaria doctrinæ §. V. & VI. 500

§. VII.

An, ut contractus conditionatus sub conditione futura hâc purificatâ fiat abolutus, opus sit novo consensu. 225.

§. VIII.

An contractus ex errore, aut dolo initus valeat transferre dominium? 226.

§. IX.

Practicæ resolutiones circa contractus ex errore, aut dolo initos. 229.

§. X.

De acquisitione dominij per donationem. 505.

§. XI.

De venditione rerum carentium taxato pretio, reique furtivæ, & de evictione illius. 232

§. XII.

An emptor rei alienæ teneatur hanc domino restituere cum jactura pretij à venditore recipiendi? 236.

§. XIII.

Ad quem spectet periculum rei venditæ ante, aut post hujus traditionem & fructus illius? 238.

§. XIV.

De emptione spoliorum, & Chyrographorum. Ubi de Officialibus Cæsareæ cameræ, aut Provinciæ morosè solventibus. 242.

§. XV.

De proxenetis. 245.

§. XVI.

An fas sit vendere quid pro quo? quid si emas â fure vestem, cui sunt insuti aurei à venditore ignorati, an pondus, aut mensura aliquando possit justè à venditore imminui & merci bonæ admisceri deterior? 246.

§. XVII. Articuli III. Dissertationis. III.

An lex civilis arcens Ecclesiasticos, & Religiosos ab emendis, aliove titulo acquirendis bonis immobilibus sit injusta & prajudicans libertati Ecclesiasticæ? 521.

Plures quæstiones de immunitate Ecclesiastica evolvuntur. 524.

An jure canonico, & civili sint injusta & irrita decreta, quibus Ecclesiastici

stici arcentur à comparandis, & acquirendis bonis immobilibus? 538.
Fundamenta fautorum Amortizationis annullantur? 540.

§. XVIII. Articuli III. Dissertationis III.

An Magistratus sæcularis possint cogere Ecclesiasticos ad vendendum frumentum, ad taxam in venditione servandam, ad non efferendum id extra Provinciam, & an deprehensi egisse contra taxam, aut si extulerint frumentum, possint ab eodem punire. 553.

§. XIX.

De Monopolijs. 299.

§. XX.

An contractus ex metu initus transferat dominium? 252.

§. XXI.

An contractus solennitate juris destituti sint in foro utroque irriti? 258.

§. XXII.

De requisitis à jure ad alienandas res Ecclesiarum. 261.

§. XXIII.

De extinctione dominij per solutiones, & de literis harum moratorijs. 267.

Articulus. IV.

De dominio bonorum vacantium, inventorum, in certorum, commixe torum cum alieno.
Item de venatione, piscatione, positione, & lignatione. 271.

Dissertatio IV.

De justitia, & injustitia. 250.

Articulus. I.

De justitia. 275.

§. I.

Quid & quotuplex sit injustitia. 275.

§. II.

De objecto formali justitiæ. 275.

§. III.

An sola justitia commutativa obliget ad restitutionem? 280.

Articulus II.

De injustitia in distributione sæcularium Officiorum, & Ecclesiasticorum beneficiorum. 554.

§. I.

De vitio justitiæ distributivæ circa officia sæcularia. 554.

§. II.

De vitio oppositio justitiæ distributivæ circa beneficia Ecclesiastica. 557.

§. III.

Continuatur materia de vitio circa beneficia Ecclesiastica. 566.

Arti-

)(

## Articulus III.

De justitia in bonis fortunæ, seu de furto. 282.

§. I.

Quid & quotuplex sit furtum, quæ ejus differentia à rapina? & an volenti fiat injuria. 282.

§. II.

An furtum sit peccatum ex genere suo mortale, & unde ejus materiæ gravitas desumatur? 284.

§. III.

De quantitate furti mortalis in filijs, uxoribus, & maritis. 286.

§. IV.

De furtis Religiosorum. 288.

§. V.

Certiores notationes de furtis minutis allegantur 292.

§. VI.

De furtis levibus ab uno eidem factis. 293.

§. VII.

De furtis parvis, quæ ab uno fiunt diversis, aut è contra. 296.

§. VIII.

De furtis minutis domesticorum, opificum, & eorum confessario 298.

## Articulus IV.

De causis à furto excusantibus. 300.

§. I

An occulta compensatio careat vitio furti? licéatque? 300.

§. II.

An, & qualis necessitas excuset à furto? 340.

## Articulus V.

De injustitia in bonis famæ, & honoris. 308.

§. I.

Unde mensuranda sit gravitas, aut levitas detractionis? 311.

§. II.

An, & quando secreti delicti revelatio careat vitio detractionis. 318.

§. III.

Enodatio plurium quæstionum de fama, & honore, & bonis fortunæ ex damnatis propositionibus. 320.

## Articulus VI.

De causis cooperatricibus per se ad injustitiam, contra justitiam commutativam.

§. I.

Qualis positiva, aut negativa cooperatio necessaria? ut obligat ad restitutionem, 329.

§. II.

Quæ cauſæ ex cooperantibus teneantur ad totum damnum aut ſolùm partem reperare? 330.

§. III.

Corollaria practica de cauſis ad damnum cooperantibus. 334.

§. IV.

An determinato facere majus malum liceat conſulere minus. 339.

§. V.

Quo ordine cauſæ cooperantes obligentur reſtituere? 341.

Diſſertatio V:

De Reſtitutione. 348.

Articulus I.

An reſtitutio ſit neceſſaria ad ſalutem? 348.

Articulus II.

An præceptum reſtituendi ſit poſitivum, vel negativum? 350.

Articulus III.

De radicibus reſtitutionis. 352.

Articulus IV.

De obligatione reſtitutionis ex re aliena. 353.

§. I.

De reſtitutione poſſeſſoris bonæ fidei. 354.

§. II.

De reſtitutione rei malâ, aut dubia fide poſſeſſæ. 357.

Articulus V.

De reſtitutione ex injuſta actione. 359.

Articulus VI.

De obligatione reſtituendi ex contractu juſto, & ex quaſi contractu. 362.

Articulus VII.

Secundum qualem valorem facienda eſt rei reſtitutio? 367.

Articulus VIII.

Plura deciduntur quæſita de reſtitutionis obligatione. 370.

Articulus IX.

De circumſtantijs reſtitutionis. 374.

Articulus X.

Ob quas cauſas reſtitutio poteſt differri, aut penitus omitti. 380.

Articulus XI.

De reſtitutione famæ, & honoris. 383.

Articulus XII.

Miſcellaneæ reſolutiones de reſtitutione. 573.

Articulus XIII.

De beneficijs, ſeu privilegijs à jure ſtatutis pro, aut contra debitores, aut circa contractus. 615.

Præfa-

# I. M. I.

# PRÆFATIO.

## *De varia vocis* Juris *significatione.*

1. JUs sumitur primò pro scientia legum, ut dum quis dicitur juris utriusque Doctor.

Secundò pro loco administrandæ Justitiæ, ut dum aliquis dicitur in jure comparere.

Tertiò pro sententia judicis, sic judex iudicando dicitur jus dicere. Quartò pro lege, quæ est regula reddendi justum. Dividitur in hoc sensu jus in naturale, Divinum & humanum, hoc subdividitur in civile & canonicum. Hæc juris acceptio arctatur ad solam naturam rationalem, quam si independenter ab ulla inter se Societatis humana conventione, vel lege libera lata ligat præcipiens aliqua bona, vetans mala, aliqua ex bonis permittens, est jus naturale, & huic etiam DEUS subest; quando autem ligat ex libera voluntate DEI dicitur jus positivum Divinum, humanum verò si dependenter à voluntate humana: hoc si respicit directè publicam totius communitatis utilitatem, vocatur jus publicum, & altum; si directè respicit propriam cujusque utilitatem licet indirectè, & ex consequenti in publicum commodum redundet, dicitur privatum, & bassum. Quando Author juris humani est potestas laica, dicitur jus civile, canonicum verò, quando Authoritate Ecclesiastica à summis Pontificibus est constitutum, aut approbatum ad actiones fidelium rectè ordinandas proximè ad cultum Divinum, pacémque ac Justitiam externam in populo conservandam, & augenpam hìc, atque in futuro ad beatitudinem consequendam.

Quare jus canonicum differt à civili dupliciter, præsertim ex titulo primo ex parte efficientis causæ, nam Canonicum efficit supremus Ecclesiæ Princeps, seu Pontifex, cujus subditi sunt omnes Christiani etiam Imperatores: Unde jus Canonicum etiam vocatur Pontificium, civile autem pro diversitate legislatoris vocatur Imperatorium, Regium, Municipale.

Secundò ex fine: civile enim jus habet pro fine actiones humanas in bonum commune secundum quod hæ congruunt humanæ Soicetati civiliter, sive secundum rectam rationem vivendi.

Quintò sumitur jus pro justo latè, seu pro omni honesto, ac legitimo, id est, con-

formi alicui obligationi, sic complectitur actus, & objecta omnium virtutum.

Sextò pro justo, seu debito ex justitia: jus sic sumptum ex parte creditoris dicitur activum, ex parte verò objecti quod respicit, dicitur passivum: sic v. g. Petrus Dominus libri habet jus in librum; illud jus ex parte Petri dicitur activum, liber verò, quem respicit ut suum, dicitur jus passivum. Jus activum subdividitur in publicum & privatum, privatum jus ut insinuavi est particularium personarum, quale est jus proprietatis.

Tractatus præsens totus est in explicando jure sumpto hoc sexto modo, nempe quæ ejus natura, multiplicitas, quibus modis acquiratur, transferatur, violetur, ac violatum restauretur: Sit igitur

# DISSERTATIO PRIMA

## *De Natura, & multiplicitate juris, perfectique Dominii.*

## ARTICVLVS PRIMVS.

### *De natura juris proprietatis, & divisione.*

### §. I.

*Definitur Jus Proprietatis.*

2. Dico jus proprietatis *est legitima potestas moraliter restringendi per suam voluntatem libertatem alterius formaliter in favorem proprium præcisè* ita Joann. Baptis. Gormaz hic Disp. 4. n. 178. post Maurum. Dicitur primò *potestas legitima*, id est, cui lex, aut quasi lex favet, nisi enim talis sit, erit vis, & Tyrannis. Dicitur secundò *moraliter restringendi libertatem alterius*, hoc est obligandi alterum, ne moraliter, id est, licitè possit facere id, quod alias potentiâ physicâ potest facere, & sic innuitur vis juris activa in libertatem alterius; & simul ponitur differentia à mera licentia, quæ etiam est potentia legitima commodum percipiendi, quin alterius libertatem queat restringere. Dicitur tertiò *formaliter*, id est immediate, directè, ac principaliter ordinatur in proprium, sive sui subjectum videlicet propriæ libertatis bonum, commodum, & favorem, sive deinde hic sit quid positivum, ut uti suâ domo, sive quid negativum, ut non vulnerari, non impediri fraudulenter à boni alterius consecutione, &c. Sive sit distinctivum quid à commodo

do propriæ libertatis, ut fit in allatis exemplis, sive quid indistinctivum, ut si quis rem suam destruat, hic actus formaliter non respicit aljud, quam Commodum suæ libertatis. Hinc etsi carentiæ nullam bonitatem, aut utilitatem Deo afferant, adhuc Deus habet in eas jus proprietatis, quia earum productionem ordinat in bonum suæ libertatis, deinde DEUS est etiam capax utilitatis, ac bonitatis ex creaturis, seu gloriæ non internæ, sed externæ.

Per eadem hæc verba nempe ly *formaliter in favorem proprium* jus proprietatis distinguitur à jure *activo jurisdictionis*: utrumque enim in hoc convenit, quòd sit potestas legitima restringendi libertatem alterius. Differunt autem, quòd jus jurisdictionis determinatè, ac principaliter non respiciat bonum restringentis Superioris, sed subditi, seu illius (cui libertas restringitur) vel saltem communitatis, cujus bonum bono singulorum per restrictionom est præferendum: ex quibus constat, subditos à jure jurisdictionis non respici ut bona proprietatis jurisdictionem dicentis.

Probatur nunc conclusio primò, quòd omni, & soli conveniat juri proprietatis, hujusque differentiam ab omni alio tum jure, tum non jure explicet.

Probatur secundò rejectione aliarum sententiarum, prima est Molinæ, Ripaldæ, &c. *Jus proprietatis est moralis potestas disponendi de re pro libitu, cui si controveniatur sine legitima causa, fiat injuria.* Contra est, quod injuria sit juris violatio, ergo jus explicans per injuriam committit vitiosum circulum, præterquam quod injuria sit non minus saltem æque ignota, ac jus.

Secunda est Lugo *D. 1, à n. 5. Jus* inquit, *est prælatio moralis, quâ unus homo præponitur moraliter aliis in usu talis rei propter peculiarem connexionem, quam habet cum eo.* E. g. fera capta cum eo, à quo capta est, illa enim titulo capturæ peculiariter connectitur cum venatore, & hic præfertur aliis quoad usum talis feræ, quam si donet aliis, aut vendat, transfertur titulo donationis vel emptionis moralis, ideo nexus cum fera, & prælatio quoad usum feræ, quod est acquirere jus proprietatis in feram, faceréque suam suitate proprietatis: unde suitas rei sita est in connexione illa peculiari rei, quam habet cum persona privata. Contra est primò, quòd stet connexio rei cum aliquo, & hujus præcæteris prælatio moralis sine jure proprietatis, ut patet in eo, qui habet v. g. licentiam utendi equo. Secundò omnes virtutes ad alterum, ut gratitudo, pietas, religio, &c. Tertiò jus proprietatis civium est subordinatum rei publicæ, & creaturæ DEO, ergo etiam prælatio in usu rerum utilium est subordinata rei publicæ, & DEO: aliàs civis contra rempublicam, & creatura contra Deum haberet jus proprietatis contra dicenda.

Tertia cum Esparza *quòd sit facultas libera disponendi circa rem vel personam ad usus lege permissos non impedibiles licitè ab aliis.* Contra est capaci hæreditatis acquirendæ jure proprietatis debetur carentia fraudulenti impedimenti ejus acquirendæ, & tamen vi dicti juris non habet facultatem liberam ad ullum usum lege permissum: nihil enim potest disponere circa voluntatem testatoris, nec circa voluntatē cæterorum, ne ipsum impediant, ut per se patet, nec circa ipsam carentiam impedimenti, hæc enim est omnino dependens à voluntate aliena: unde si nihil potest immediate disponere

circa voluntatem alienam, etiam nihil potest circa omissionem impedimenti.

3. Obiicies primò parvulos, amentes, Ebrios, & dormientes retinentes jura proprietatis non retentâ libertate, ergo non possunt restringere libertatem aliorum in proprium commodum per suam voluntatem. Secundò quisque rebus suis potest uti non minus in suam, quam aliorum felicitatem, imo hæc est potissimus scopus in usu temporalium, estque vitium avaritiæ, & immisericordiæ eorum usum restringere, ergo jus proprietatis utpote carens omni vitio non dispensat ea in suam præcisè utilitatem. Tertiò unico existente in mundo ille haberet jus proprietatis utendi rebus suis saltem membris, & tamen non posset moraliter restringere per suam alterius ulli[9] voluntatem.

*Resp.* Ad primum concesso antecedente Distinguo consequens: non possunt actu restringere, concedo consequentiam, non possunt pro statu, pro quo forent ad volendum expediti nego consequentiam. Argumentum malè supponit requiri actuale liberum exercitium ad jus proprietatis, cum sufficiat actualis legitima potestas, quæ remanet in illis.

*Resp.* Ad secundum & dico, dispensationem bonorum in communem felicitatem adhuc principaliter, ac determinatè cedere in favorem proprium, quia sic utens jure proprietatis exercet opus honestum, ac meritorium, quod affert maximum gaudium, pulchritudinem, ac memoriam sui perpetuandam, & sic verificatur illud Actorum 20. *beatius est magis dare quàm accipere.*

*Resp.* Ad tertium Distinguendo non posset absolutè restringere, concedo; ex hypothesi si aliquis existeret capax restrictionis, nego, quod sufficit, ut tunc existat legitima potestas per accidens tamen impedita ab exercitio restrictionis.

4. Obiicies quartò Princeps & quisque Superior habet in subditos merum jus jurisdictionis, & tamen hoc est utile illi tum secundum se tum quoad multiplicem ejus usum præcipiendo in propriam felicitatem: res enim commoda communitati est etiam commoda Principi ac superiori, ut est persona privata. Quintò jus jurisdictionis non dat jus proprietatis in subditos horúmque bona, & tamen potest disponere de hisce bonis, quando postulat necessitas ad pacem stabiliendam, quæ æquè favet principi, ac subditis, ergo non est solius juris proprietatis formaliter respicere commodum proprii subditi. Confirmatur, injustè impediens legitimum Superiorem ab usu jurisdictionis facit illi strictam injuriam, ergo violat jus proprietatis & non jurisdictionis, ut palam est, si violans id non sit subditus: ergo superior habet jus proprietatis in jus jurisdictionis, sed jus proprietatis formaliter ordinatur in proprium favorem, ergo etiam jus jurisdictionis saltem prout subest juri proprietatis, ergo etiam actus jurisdictionis nempe leges & præcepta ordinantur in favorem proprium.

*Resp.* Ad quartum: principem habere utilitatem & multiplicem usum jurisdictionis præcipiendo non directè ac principaliter in suam felicitatem, sed secundariò, & indirectè, quatenus felicitas directa subditorum etiam redundat in bonum Principis. Cæterum jus jurisdictionis potest considerari primo respectu principis seu formaliter, ac secundum se: hoc modo inest adæquate Principi, estque ejus bonum proprium, habetque in id non minus, ac in res suas cæteras jus proprietatis. Secundò consideratur ob-

objectivè, ideſt ſecundum id, quod formaliter, & principaliter reſpicit, nempe ſubditorum facultatem: hoc modo nequit directe reſpicere bonum principis, ſecus priore.

*Reſp.* Ad quintum Diſtinguendo ſecundam partem antecedentis, poteſt diſponere directe vi jurisdictionis de bonis ſubditorum, nego antecedens, poteſt indirectè diſponere de illis poſtulante neceſſitate communi, concedo antecedens, & nego conſequentiam. Dico ergo, quòd quisque Superior habeat jus proprietatis ad gubernativam poteſtatem & ad utendum tali poteſtate pertinens ad juſtitiam commutativam, quòd jus ſolet vocari reflexum, quia eſt jus in jus, unde id lædens peccat contra juſtitiam commutativam cum obligatione reſtituendi & compenſandi quidquid damni patitur Superior ex ejus violatione: Unde Princeps pariter ex jure hoc reflexo proprietatis in jus jurisdictionis utitur jure jurisdictionis, & ex titulo legalis juſtitiæ habet jus ad pacem ſtabiliendam, quam ſi nequit ſtabilire ſine uſu ac translatione bonorum temporalium ſubditorum poteſt ea tranferre (hæc enim ſunt indirectè ſubjecta juri ſuæ Poteſtatis) ex jure alto reflexo, quod licet non ſit jus proprietatis relatè ad ſubditos, eorúmque bona, eſt tamen jus eminentiale fundatum in poteſtate directa utendi tali medio ad conſervandum jus directum ſuæ poteſtatis, tituloque hujus juris eminentialis poteſt transferte in alios jus proprietatis ad eadem bona. Unde ut verbo dicam Princeps, etiam vi juris alti non habet poteſtatem directam, ac jus proprietatis in temporalia ſubditorum, ſed indirectam, ſeu quatenus, præcisè ſunt medium neceſſarium conſervandi poteſtatem directam gubernativam, quo ſenſu ex communi Theologorum etiam Pontifex habet jus indirectum in bona temporalia fidelium, quando neceſſaria ſunt ad conſervandam ſpiritualem gubernationem, eo enim caſu vi dicti juris eminentialis poteſt in allios transferre jus proprietatis etiam in regnum, licet in hoc careat jure proprietatis.

Pro coronide Nota, dum quis vovit ſe obediturum confeſſario ſuo, negandum eſt, quòd confeſſarius habeat poteſtatem per ſuam voluntatem moraliter reſtringendi voluntatem voventis, ſed ponendi ſolum conditionem, ſub qua is, qui vovit, ſe voto obſtrinxit ad moraliter reſtringendam ſuam voluntatem.

## §. II.

### *Per quid conſtituatur legitima poteſtas juris proprietatis conſtitutiva.*

5. CUm per numerum ſecundum poteſtas non juridica, ſeu non legitima, id eſt, non conformis legi non ſufficiat ad legitimam poteſtatem, per quam conſtituitur formaliter jus proprietatis, reſtat explicandum, per quid tanquam per formam intrinſecam habeatur poteſtas in eſſe legitimæ. Pro deciſione Notandum, quòd jus & Dominium proprietatis ac jurisdictionis in creaturis ſit realiter diſtinctum ab illis, & à beneficio creationis utpote ab iis ſeparabile. Sic qui eſt Dominus agri, poteſt eſſe ſine ejus Dominio, qui eſt Rex ſine jurisdictione. Imo etiam jus naturale proprietatis, ac juris-

dictionis non fundatur in essentiali exigentia naturæ independenter saltem à libera Dei lege, & quandoque à propria libertate ac lege etiam humana. Dicitur igitur duntaxat jus ex eo naturale, quatenus ex aliquali naturæ inclinatione concessum est ab Authore naturæ in his circumstantiis, in quibus tolli potuit ac divinitùs non concedi. Sic habemus jus naturale proprietatis à DEO concessum ad motum manuum, pedúmque, &c. (licet non simus Domini membrorum nostrorum) in commodum nostrum, vi cujus juris restringimus libertatem aliorum, ne nos in eorum usu impediant, ne occidant, mutilent, &c. Pariter naturale jus jurisdictionis Patris in filium stat in actu divino Patri dicente: *præcipe filiis in eorum utilitatem*, & similiter filiis *obedite parentibus præcipientibus in vestram utilitatem*. Hinc à fortiori jus proprietatis, ac jurisdictionis in alia, quæ non sunt juxta naturæ inclinationem non potest nasci nisi à lege, aut quasi à lege.

6. Dico ergo cum Mauro legitimam potestatem, seu jus proprietatis conveniens Creaturæ formaliter consistere in lege, seu quasi lege favente uni, cæteros gravante; favet illi, cui directè confert legitimam potestatem ad moraliter restringendam reliquorum libertatem per voluntatem suam; eadem potestas cæteros gravat, dum restringit libertatem, ne licitè possint ea uti circa res alterius sine hujus consensu.

Dicitur primò *in lege* prout hæc communis est naturali, ac positivæ, quia quandoque eam potentiam confert lex naturalis, ut proximè vidimus, aliquando positiva Divina (sic in prima rerum conditione DEUS dedit homini jus in inferiores creaturas, & postea Israëlitis in terram Chanaan) aliquando ab humana ex concessione Divina (*non enim est potestas nisi à DEO ad Rom. 13.* Et sic omne jus proprietatis per legem Dei liberam, aut humanam ex potestate à DEO concessa factam habetur) suppositio aliquo contractu legitimo sive valido tanquam puro termino exacto à lege, ut hæc conferat jus proprietatis sicut efficaciter volens dare eleemosynam ad pulsum horologii hic non obligat, sed est pura conditio, ad quam manet per suam voluntatem obligatus ad eleemosynam, ergo similiter jus formaliter non oritur ex contractu, sed sæpe est conditio, sine qua lex non confert jus: unde cùm plures leges constituant, ut hi, & non alii sint legitimi contractus, quibus stantibus jus unius in alterum transit ex vi legis, sequitur, quòd similes leges respiciant contractus ut puram conditionem, conferántque contrahentibus jus ex modo suo tendendi. Idque ulterius patet, quòd si lex irritet contractum, hic nullum jus conferat, ergo vis tota translati juris stat in lege, & lex se ipsa seu extendentia sua est forma denominans, jurisque constitutiva.

Dixi secundò *seu quasi in lege*, quia dantur aliqui actus supremi Domini legi æquivalentes, ut patet in casu creati unius hominis in mundo, cui DEUS dedisset Dominium in creaturas: hic actus non esset strictè lex (cum essentia huius sit respectus ad communitatem) sed quasi lex, nempe eminenter, & virtualiter, præstarétque eundem effectum, quem lex. Hoc sensu ab aliquibus præceptum & pactum validum vocatur virtualiter, & eminenter lex.

Conclusio explicata probatur: illud est formale constitutivum legitimæ potestatis, jurisque proprietatis, per quod formaliter ponitur jus proprietatis, & quo solo ablato jus tollitur (nisi sit terminus, cum quo essentialiter connectatur jus proprieta-

tis

tis aliunde constitutum ) sed positâ solâ lege aut quasi lege formaliter ponitur jus proprietatis , & ablata sola lege, etsi cætera ponantur jus proprietatis tollitur ( nec lex est terminus , cum quo jus aliunde constitutum essentialiter connectatur ) ut declaratum est, ergo.

7. Pro solvendis oppositis Nota primò, non obstat ,quòd lex Divina aliquando juris temporalis constitutiva sit æterna: quia lex Divina ab æterno non pro æterno, sed pro tali tempore confert mihi jus.

Nota secundò : dum dicitur, quòd sæpe quis cogitet transferre ac re ipsa transfert jus suum in alterum immemor legis, ergo lex non constituit jus.

*Resp.* Esse immemorem legis sub conceptu legis explicito,secus sub conceptu convertibili cum lege, qualis conceptus est,quod cogitet de sufficienti sua potestate ad transferendũ jus in quocunq; demum illa consistat.

Nota tertiò lex constitutiva juris Divina pro objecto volito habet suum complementum, seu quid rerum eam complens in esse liberi, unde necessaria non est , ut lex juris constitutiva habeat pro objecto volito ipsum jus formale , consequenter nec se ipsam. Deinde sine absurdo concedi potest quod lex se ipsam habere possit pro objecto inadæquato; vult enim E. g. Petrum esse Dominum , seu Petrum cum jure , proinde Petrus est objectum inadæquatum, & præter Petrum etiam lex , cùm nequeat aliter aliquis actus esse lex , nisi quatenus vult se ipso obligare ; atqui nequit se ipso obligare nisi velit se ipsum : sed ut dixi , non est necessarium , quia obligatio est effectus formalis resultans ad existentiam actûs legislatoris hoc ipso , quòd vi sui modi tendendi denominet rem à se præceptam, aut vetitam.

## §. III.

### *Jus proprietatis Dividitur.*

8. COnstat ex numero secundo juncto quinto jus proprietatis esse , aut naturale aut positivum , éstque utriusque differentia indicata , nempe quòd positivum dependeat ab arbitrio libero Divino vel humano , secus naturale ; hoc enim juxta me est ipsa natura rationalis prout respiciens certa objecta circumstantiata , id est , prout hæc certis vestita sunt circumstantiis , aut secundum communiorem est dictamen rationis antecedenter ad omnem liberam Societatis Conventionem & legem ligans naturam rationalem , tale jus est in DEO ad sui cultum , suppositâ enim DEI solâ , & naturæ rationalis existentiâ ratio dictat independenter à lege Divina , aut humana nos obligari ad colendum DEUM : unde jus naturale simpliciter sumptum ( nisi objecti ipsius circumstantia mutetur , quæ mutata cessat esse ipsius propria materia ) est immutabile ac indispensabile relatè ad objectum suum , si ex variata aliqua circumstantia cesset ejusmodi objectum esse materia , quam jus naturæ respicit , jam non erit jure naturæ illicitum : sic jus naturæ vetat occisionem , aut mutilationem authoritate privatâ , at ex circumstantia E. g. Divinæ dispensationis ( sic Abraham licitè occidisset filium suum Isaac

Inno-

Innocentem, à DEO vitæ proprietatis Domino jussus, nisi postea mandatum revocâsset) aut publicæ authoritatis in reos exercendæ, aut necessariæ justæ defensionis licitè quis occiditur.

9. Dividitur jus naturale primò in simpliciter tale, & in tale secundum quid, utrumque fundatur in naturæ inclinatione cum hoc discrimine, quòd, quando saltem DEUS Author naturæ potest privare effectu suo ac impedire, creatura jus proprietatis in natura fundatum non habeat simpliciter sed ecundum quid, nempe cum dependentia à libera concessione Divina. Hoc modo homo licet non sit Dominus proprietarius vitæ ac membrorum simpliciter, est tamen secundum quid per numerum 5. quando autem nequit impediri à DEO effectus juris, *jus* ad ejusmodi bona est simpliciter tale. Tale *jus* habet DEUS in sui cultum, ut non odio habeatur, natura rationalis ad non deceptionem sui per mendacium, &c. Quando autem lumen naturale non inclinat ad inducendam obligationem, dicitur *jus* merè proprietatis positivum.

Inter naturale & positivum intercedit quasi medium *jus* gentium seu aliquid de utroque participans, & ab utroque in eo discernitur, quòd naturale contineat præcepta ex principiis naturalibus absoluta necessitate etiam non præsuppositâ humanarum gentium necessitate & consuetudine deducibilia, uti sunt præcepta Decalogi: *jus* autem gentium comprehendat præcepta, quæ quidem ex principiis naturalibus deducuntur, non tamen absolutâ necessitate, sed consuetudine gentium. Hoc *jure* est introducta terrarum divisio, *jus* legationum, commerciorum, contractuum, fœderum, bellorum, induciarum, servitutum. Etsi enim homo habeat *jus* naturale proprietatis secundum quid in usu membrorum suorum, proinde *jure* naturæ nullus sit servus: quia tamen hoc non prohibet, quo minùs exigente id bono communi possit lex servitutis condi, *jure* gentium est inducta servitus. Obligatio itaque proxima *juris* gentium supponit humanam Societatem & consuetudines inter gentes, secùs *jus* naturale: ab hoc tamen totaliter non distinguitur utpote continens multa præcepta naturalia, nec sit derebus merè indifferentibus, sed quæ post introductas consuetudines, humanámque Societatem exigunt prohiberi aut præcipi, secus ea quæ sunt juris positivi. Ita communis opinio.

Hinc rejicitur communis *juris* consultorum *juris* naturæ, & gentium expositio in lege 1. de *justitia*, & *jure* cum Ulpiano docentium jus naturale esse, quod natura omnia animalia docuit, gentium verò, quo gentes solæ humanæ utuntur. Hæc expositio confundit instinctum conformem naturæ ut sensitivæ communi cum brutis, & instinctum naturæ conformem naturæ rationali ut rationali, quæ sola est capax *juris* naturalis, operationísque honestæ, *jus* itáque omne propriè dictum congruit solum naturæ rationali. Quid ego nunc sentio, exprimo *n. 388.*

10. Celeberrima *juris* proprietatis ex parte termini divisio est in *jus in re*, & *jus* ad rem. Jus in re secundum communem cum Molina definitur, quòd sit *jus* cui *res ipsa devincta est*, hoc est, devincit sibi potius rem, quàm determinatam personam, unde est facultas rem ubicunque & à quocunque detentam ut propriè suam vindicandi, quo circa *jus* in re consuevit etiam dici *jus* reale, seu quasi ipsi rei adhærens: *jus* verò ad rem ab eodem Molina definitur esse *jus*, cui *res ipsa nondum devincta est*, sed re-

respicit personam determinatam, hánc-que immediatè obligat ( & ideo vocatur etiam jus personale ) ad rem illam præstandam, quin hæc possit immediate occupari ab habente jus ad rem v. g. emisti equum à Petro, quem tibi nondum tradidit, eundem postea vendidit Paulo, huíque equum tradidit; Paulus habet jus reale in equum, tu verò solum personale: unde nequis tollere Paulo equum, sed directè potes agere in personam petri actione quæ vocatur personalis secus actione reali.

Ex his potest etiam sic exponi *jus in re & jus ad rem* dicendo *jus in re* est, quod tribuit actionem realem, seu vi cujus rem ipsam obligatam habet, ita ut ad quemcunque res transeat, ejus Domino maneat adstricta, possitque ab eodem vendicari. *Jus ad rem* est, quod directe, ac immediatè non præbet actionem in rem, seu realem, sed tantum personalem, id est, in *personam*, siquidem res ipsa per se nostra non est, sed solùm persona determinata est obligata ad rem aliquam suo tempore tradendam & ideo, si ejusmodi res tradatur alteri, non possimus eam nobis vendicare, uti constat ex exemplo allato: Actio realis dicitur etiam rei vindicatio, est autem actio ut sic *jus persequendi in judicio id, quod sibi debetur §. 1. instit de actionibus.*

11. Est etiam generalis divisio juris proprietatis in paternum, conjugale, & herile, seu jus intercedens inter Patrem & Filium inter virum, & uxorem, inter Dominum, & servum. Intelligentia hujus divisionis pendet ex favore legis per numerum 6. constitutivæ juris proprietatis, unde quantum favet uni ex his adversus alterum, tantum habet jus in alterum, unde cum lex aliquando inter Patrem & Filium, &c. considerat tanquam duo respectu alicujus boni, aliquando ut unum sicut membrum cum suo physico supposito, inde fit, ut lex quandóque det Filio *jus* proprietatis adversus Patrem, ut in bonis castrensibus, & quasi castrensibus à filio acquisitis, quia quoad hæc lex Patrem, & filium considerat, ut duo physica, & civilia supposita, quandoque autem lex cum filio negat jus ad quædam bona, ut præsertim ad profectitia, id est, acquisita à filio ex substantia Patris, aut dono ab aliis facto principaliter intuitu Patris, unde filius relate ad hæc consideratur solùm cum *jure* eo, quod habet membrum ad suum physicum suppositum.

Pariter uxor ad maritum ad bona quædam nempe pura paterna honorem, famam, se habet ut suppositum physicè, ac civiliter diversum proinde maritus usurpando similia bona, aut inhonorando, aut infamando uxorem facit ei injuriam, uti & negando injustè debitum conjugale, econtra ad reliqua bona administranda uxor se habet ut membrum ad suum suppositum respectu mariti: hic enim à lege constitutus est administrator, & cum etiam servus ex lege est Dominus famæ, honoris & quorundam temporalium E. g. peculii ex consensu expresso, vel tacito Domini à servo acquisiti, respectu horum retinet servus *jus* proprietatis contra Dominum, estque ab hoc suppositum etiam civiliter diversum, séque habet non ut servus, sed ut Dominus, ita S. Thomas hic quæst. 57. articulo 4. ad secundum.

12. Ad acquirendum jus proprietatis ad rem seu personale sufficit titulus, cujus nomine venit id, in quo totum jus primitus fundatur, idcóque est prima ra-

dix Dominii E. g. donatio, promissio, aut aliquis alius contractus puta emptionis, mutui, &c. non secuta rei traditione.

Ad acquirendum autem jus in re seu reale regulariter tria ex Molina requiruntur. Primum physica aut moralis rei existentia ( rei enim non existentis non datur vindicatio ) physica quidem in rebus corporalibus, sive manu tangibilibus, ut vestis, domus, ager, &c. moralis verò in rebus incorporalibus, id est, manu intangibilibus, ut usus, usus fructus, patronatus, servitus, beneficium, hæreditas sumpta pro jure ad bona defuncti, omnia denique jura in, aut ad aliquid, hæc enim non sunt quid reale, sed morale, hoc est, in existimatione hominum existens, supponens tamen aliquod physicum præexstitisse v. g. contractum fundans moralem hanc existentiam. Secundum requisitum est titulus jam explicatus. Duo hæc requisita semper sunt necessaria. Tertium est traditio rei, seu possessio, éstque Generalis ex Molina regula, quando ex dispensatione speciali juris non constat, ante traditionem acquiri jus in re, dicendum est, quod posito titulo ante traditionem acquiratur solum *jus* ad rem; quia autem in quibusdam casibus leges disponunt per solum titulum ante traditionem acquiri Dominium, seu jus in re, idcirco dixi regulariter prærequiri tria ad requisitionem *juris* in re.

Dominia rerum non transferri regulariter ullis pactis, seu titulis sine traditionibus habetur in lege *traditionibus* Cod. *de pactis*, neque vicissim traditione sine titulo venditionis, aut alterius *justæ* causæ exprimitur lege *nunquam* ff. *de acquirendo rerum Dominio*

Casus autem in *jure* expressi, in quibus *jus* in re comparatur ante traditionem, sunt sequentes. Primò in legato, in donatione & venditione facta civitati, Ecclesiæ aut aliis piis locis. Secundò acquiruntur Ecclesiastica beneficia solâ collatione, & acceptatione. Tertiò fiscus acquirit *jus* in re ad bona rei à die commissi delicti, hinc ab eo die ad quemcunque transeunt, transeunt cum onere, quo fisco alliganrur. Quartò acquiritur hæreditas tam ex testamento, quàm ab intestato per *ejus* aditum, aditur autem acceptatione, seu profitendo se hæredem velle esse ante actum possessivum §. *item extranem* Inst. *de hæred. qualitate, & different.* Hoc modo res reliquæ omnes incorporales *jure* hæreditario comparatæ transeunt in hæredem. Pari modo legatum acquiritur statim legatario etiam ignoranti à die aditæ ab hærede hæreditatis : imo ex fictione *juris* ab ipsa morte testatoris : ut colligitur ex lege *à filio* ff. *de furtis*, *ea* inquit, *quæ legantur rectà viâ ab eo, qui legavit, ad eum cui legata sunt, transeunt.* Nisi legatum repulerit L. *si tibi* ff. *cum servus* ff. de legatis. Casus procedit de legato in individuo determinato, ut si legetur talis fundus, res enim legata incerta quantitate, ad individualiter incerta v. g. tantum de pecunia, vel frumento, &c. legatarius non comparat hujus Dominium, sed actionem hypothecariam, per quam bona defuncti ad quemcúnque perveniant, manent hypothecata, & obligata legatario pro legati solutione, *Leg. 1. & 2. quamvis codice de legatis.*

Putant etiam aliqui spectare ad præfatos casus res à Principe donatas, vel alio contractu Dominii translativo inito, cum enim spectet ad Principes leges condere,

re, vero similiter cènsetur transferre dominium ante traditionem : sed probabilius molin. Cum aliis restringit hoc ad donata, aut ad concessa privilegia, quia tunc præsumitur agere ut non subjectus legi positivæ requirenti traditionem ad *jus* in re, secus in contractibus onerosis. Reliquos casus vide apud Less. *lib. 2. cap. 3. dubio 3.*

Ex dictis infero comparative ad eandem rem sub diverso respectu posse tibi competere *jus* in re, & ad rem, ut si quis injustè dejiciatur à possessione rei suæ, respectu amissæ possessionis habet *jus* solum ad rem, respectu autem rei possidendæ habet *jus* in re, unde potest eam vendere, donare, ac in *judicio* saltem petitorio Possessorem convenire, remque citra ullius injuriam sibi vendicare, dum alter definit possidere. Item in re fructifera à te empta tibique tradita habet jus in re relate ad rem fructiferam, fructusque tunc existentes respectu autem futurorum *jus* duntaxat ad rem.

# ARTICVLVS SECVNDVS.

## *Dividitur, & definitur dominium Proprietatis.*

13. CErtum est ad dominium proprietatis indispensabiliter requiri jus in re, habens enim *jus* ad rem non est Dominus rei, hinc jus proprietatis latius patet, quàm dominium, quia hoc nequit reperiri sine *jure* proprietatis, secùs hoc sine dominio, ut dictum, jus itaque proprietatis ut sic se habet ut genus, dominium verò ut species *juris*, *jus* tamen in re non datur sine dominio contra plures Doctores.

Divisio prima dominii est in dominium proprietatis, & *jurisdictionis*: horum discrimen est exponendum ad eum modum, quo ipsa jura proprietatis, & *jurisdictionis* distinximus numero secundo.

Dominium proprietatis dividitur in Ecclesiasticum per se ordinatum directe in bonum spirituale fidelium, & in politicum per se ordinatum ad felicitatem publicam, seu civium utilitatem per numerum 1. & 2. hoc subdividitur in Democratiam, quando ipsa populi communitas imperat, in oligocratiam, quando penes paucos residet Imperium, Aristocratiam, quando penes primates, & Monarchiam, quando penes unum tantum. Commune est utrique dominio, quod possit impediri quin tollatur: aliquando autem etiam tollitur, sic secundum plures à die commissæ hæresis omnia bona delinquentis manent fisco addicta & huic ipso facto acquisitum est dominium proprietatis in bona: aliquando autem leges non tollunt dominium, sed ligant, idque dupliciter nempe vel prohibendo solum licitum usum

sum relicto hujus valore, sic expendens propriam pecuniam in meretricium illicite utitur eâ, non tamen invalidè, aliquando lex prohibens usum est simul irritans, seu reddens illicitum, ac invalidum: sic pupillus manet Dominus rerum, lex tamen factas ab ea donationes aliásque alienationes, & contractus sine authoritate tutoris initos, facit illicitos & simul invalidos. Magnum itaque discrimen est inter jus ablatum & purè ligatum, seu impeditum, quia hoc ablatâ lege ligante potest se exercere in suis actibus, secus ablatum, licet cesset lex aufferens.

Dominium proprietatis creatum dividitur in perfectum, sive in plenum, seu in solidum, ac in non plenum, sive in non solidum; perfectum est, cui nulla particula ad dominium spectans deest ex parte subjecti, & objecti. Porrò tunc subjectivè includit aliquem defectum, quando quis est rei Dominus, sed non solus, sive non privativè ad aliud, ut dum duo emunt rem in individuo pecuniâ utriusque, quisque eorum ante divisionem possidet rem totam totalitate rei, sed non totalitate dominii (idem fit in relicta pluribus hæreditate ante hujus partitionem) eo modo, quo concurrentibus pluribus causis ad effectum singulæ producunt illum totaliter totalitate effectûs, secùs causæ, ex parte verò objecti erit non plenum dominium, quando plures eandem rem possidentes non habent singuli jus integrum in illam, sed unus retinet, aut acquirit unam partem juris alter alterum, ut si proprietas domûs spectet ad unum, ad alterum habitatio, seu usus fructus.

Hinc Theologi ex Bartholo partiuntur dominium in directum nudum, in utile nudum, in directum simul, & utile, in hoc enim retinetur proprietas & simul utilitas ex re, erit autem directum nullum, quando proprietas E. g. agri retinetur carens jure fructuum, alteri reservatorum, quo casu hic habet dominium utile nudum, quod multiplex est, nempe usus fructus, usus, habitatio, Emphyteusis, fœudum, libellus, superficies, servitus, possessio, &c. huc reducitur jus pignoratitium, hypothecarium quod non est proprie jus, ut videbimus, sed meræ retentionis seu custodiæ, aut pro securitate debiti. Vide Gormaz *hic D. 4. à n. 2.* explicantem pleráque hæc imperfecta dominia & *D. 5. à n. 258.*

Advertendum autem primo, quod etiam nuda proprietas, seu jus in re non careat omni utilitate (aliàs hoc ipso non esset jus, ut constat ex definitione *per n. 2*) reddit enim proximè capacem reuniendi sibi dominium utile, seu reintegrandi jus plenum exstincto jure usufructuarii *per L. omnium prædiorum §. constituitur ff. de usufructu* ibi: *ne tamen in universum inutiles essent proprietates, semper abscedente usufructu, placuit certis modis exstingui usumfructum, & ad proprietatem reverii.*

De modis extinguendi usum fructum agitur §. *usus fructus instit: de usufructu.* Ubi etiam dicitur, quod si usufructuarius acquirat proprietatem rei, ejusmodi unio vocatur *Consolidatio.*

Advertendum secundo, quòd proprietas prævaleat usufructui, seu juri ad utilitatem, nam hoc est accidentia rei salvâ hujus substantiâ, proprietas autem est circa essentiam, & substantiam rei, hinc meritò Molina dominium proprietatis dividit in simpliciter tale, & in tale secundùm quid, hoc competit usufructuario, illud

lud proprietario : estque hic simpliciter, alter solùm secundùm quid Dominus, & sic conciliantur leges vocantes usufructuarium Dominum cum legibus id negantibus, conciliantur inquam : negantes enim loquuntur de dominio simpliciter tali, affirmantes verò de dominio secundùm quid tali. Præmissis his.

14. Dicendum est cum omnibus ferè Theologis, & Jurisconsultis ex Bartholo Dominium proprietatis creatum in solidum, seu perfectnm benè definiri, *quod sit jus perfectè disponendi de re, nisi lege prohibeatur*, imperfectum verò quod *sit jus imperfectè tantum* ( id est non in omnem usum ) *de re disponendi*, nisi lege prohibeatur. Juristæ quidem addunt, *de re corporali*, sed Theologi, ut etiam res incorporales, de quibus *n. 12.* dictum, comprehendant rectius ommittunt ly *corporali.* Probatur quod definitio tam perfecti, quàm imperfecti Dominii creati sit per essentialia, eaque prima prædicata omni & soli dominio creato perfecto, ac imperfecto convenientia : per ly *jus perfectè disponendi* convenit creatum perfectum cum increato, & differt ab imperfecto creato, simulque indicatur legatum, ac Procuratorum non esse rei Dominum, utpote de re non proprio, sed committentis nomine disponentem, per ly *nisi lege prohibeatur* differt à dominio increato, cum DEUS non habeat superiorem ( qui liget ac impediat juris usum ) secus creatus Dominus, cujus dominium etiam perfectum subordinatur bono communi pendetque à jure alto Principis per numerum 4. ac quintum, qui ob publicum bonum, aut etiam ob bonum privatum habentis dominium, nempe pupilli potest per legem, aut præceptum vetare proprietario usum Dominii reddendo duntaxat illicitum vel etiam invalidum, idcirco additur, *nisi lege prohibeatur.*

Quæ autem prærequiruntur ad acquirendum dominium creatum regulariter loquendo liquet ex *n. 12.* ubi explicuimus necessarias conditiones ad comparandum jus id dominio essentialiter inclusum, ibíque casus in jure exceptos attigimus.

15. Obiicies dominium non est formaliter jus, sed isto prius : ideo enim quis habet jus in re ad omnem usum, quia est ejus Dominus. Secundo usufructuarius non est plenus Dominus, & tamen habet jus perfectè disponendi de re, eaque utendi ad omnes usus lege non prohibitos. Tertiò nullus homo est plenus Dominus rerum omnium mundi, & tamen habet jus perfectè disponendi de rebus omnibus, nisi esset lege prohibitus. Quartò dominium directum nudum seu separatum ab utili est perfectum, quin id habens queat perfectè disponere de re. Quintò possidentes majoratum, seu fidei commissum sunt pleni Domini, aliàs nullus daretur plenus Dominus ejusmodi bonorum, atqui illi nequeunt perfectè disponere, siquidem nihil possunt alienare. Sextò quoties lex prohibet aliquem Dominii usum, toties tollitur jus, ergo sive detur titulus & traditio, sive non, nunquam potest à lege ligari plenum dominium contra suppositum conclusionis. Antecedens probatur, aliàs daretur jus ad usum prohibitum & turpem, quod repugnat.

*Resp.* Ad primum nego assumptum, ad probationem Distinguo, ideo causaliter habet jus, quia est Dominus nego, ideo

deo formaliter concedo. Ly *ideo* secundum omnes dupliciter sumitur. Primo causaliter, & sic significat realem inter effectum, & causam distinctionem, qualiter sumitur dicendo, ideo existit petrus quia DEUS illum produxit. Secundo formaliter, quando nempe ex ratione formali constitutiva affirmatur constitutum, aut è contra, quo sensu sumitur dicendo, ideo est homo, quia est animal rationale, hoc modo sumitur ly ideo in argumento, idcirco non distinctio realis, sed identitas significatur inter jus, & dominium.

*Resp.* Ad secundum negando usufructuarium perfectè posse disponere, cum non possit re uti, nisi salvâ ejus substantiâ.

Ad tertium dupliciter lex aliqua potest prohibere alicui usum rei. Primo prohibendo usum rei, ad quam jus non habet. Secundo ut prohibitio supponat jus, hæc non ligat personam titulo prohibitionis usûs rei, sed ligat, ac impedit jus præexistens, prior autem non ligat jus utpote nullum supponens, sed ligat personam jure carentem, ne utatur rebus. Quod homo nequeat uti perfecte rebus omnibus, oritur ex lege prohibente usum non supponente jus in res omnes mundi, consequenter non ligat jus in res mundi sed personam. Negatur itáque secunda pars assumpti.

Ad quartum nego assumptum, si dicas dominium directum habens, habet non minus jus suum ligatum quam pupillus, sed hic habet dominium plenum, ergo & ille. *Resp.* Distinguo majorem non minus habet jus suum ligatum inadæquatum, quam pupillus concedo majorem, adæquatum nego majorem, & concedo minorem nego consequentiam. Disparitas est quod lex pupillo prohibens usum præsupponat adæquatum jus, lex autem Domino purè directo prohibens usum supponit non nisi inadæquatum igitur etiam hoc solum ligat.

Ad quintum negat Lugo *D. 2. n. 6.* cum pluribus Jurisconsultis esse plene Dominos, proinde non conferri jus alienandi bona vinculata, neque dari ullam realem personam, in qua resideat plenum dominium tale, sed personam fictam à jure nempe integram familiam, penes quam plene resideat dominium in bona vinculata, hinc aliquid ex iis bonis alienans tenetur restituere, ergo non est plenus Dominus per *legem si duobus §. sed quia, cod. communia de legatis*, cum in hac dicatur habere plenum dominium è contra *Molin. tract. 2. D. 3.* cum multis legistis concedit esse plenos Dominos proinde accipere jus alienandi, sed ligatam lege irritante alienationem, cum enim debeat transferre totum jus in posteros, hinc lex irritat alienationes, proinde alienantes tenentur alienata restituere obligatione fundata in lege jubente transferri jus totum, cum hoc autem stare potest plenitudo dominii in bona, sed impedita, ne valeat alienatio, nec lex à Lugo allegata contrarium probat, quia ea nec affirmat, nec negat, quod hæres obligetur alicui bona restituere sit plene Dominus.

Respondeo secundum leges posse conferri adæquatum jus sed ligatum quoad effectum alienandi, vel inadæquatum tollendo jus inadæquatum nempe ad alienandum: quocúmque modo defacto sit collatum, nihil est contra assertum, de cætero verius est, quod docet Molina *propter legem generaliter §. sub conditione*

ne

*ne ff. qui, & à quibus* ubi : *sub conditione servus legatus pendente conditione pleno jure hæredis est, sed nullam libertatem ab eo consequi potest, ne legatario injuria fieret, si scilicet impleretur conditio, ad eumque eo ipso pertineret.* Ratio etiam est, quod quando quis à principe petit facultatem alienandi vinculata bona, non petit ullum jus sibi concedi, nec princeps secundum omnium opinionem censetur conferre illi aliquod dominium, sed solum tollere vinculum : igitur ad salvandum plenum dominium non est necessitas recurrendi cum Lugo ad personam fictam.

Ex his sequitur ad perfectionem dominii non esse necessariam potestatem ponendi actum validum pro statu legis illum annulantis. sicut non spectat ad virtutem ignis calefactio pro statu decreti DEI nolentis concurrere, & tamen ignis retinet totam virtutem calefaciendi.

Ad sextum Respondeo negando antecedens, ad probationem Distinguo daretur jus ad usum prohibitum ut prohibitum nego ad usum prohibitum specificativè sumptum, & quoad suum valorem concedo lex pure prohibens usum juris est extrinseca essentiæ juris : Lex verò dans valorem actui constituit ipsum jus per numerum 6.

# ARTICVLVS TERTIVS.

## *An DEUS habeat dominium proprietatis in creaturas.*

16. REspondeo affirmativè cum Lugo *de Incarnat. Disp. 3. sect. 3. & 4.* ex communi contra Vasq. *de Incarnat. Disp. 7. & p. 1. Disp. 85. c. 4.* probatur primo omnis habens jus perfecte disponendi de rebus suis in sui favorem est perfectus Dominus proprietatis per numerum *2. & 14* sed DEUS potest de creaturis sic disponere, ergo. Minor probatur destruendo principale fundamentum Adversariorum, eatenus DEUS ut proprietarius non posset disponere de creaturis, quatenus ex illis nullum capit commodum, nec ullum incommodum potest pati ex ullo peccato nostro consequenter nec injuriam, cum lædi nequeat, sed hoc fundamentum nullum est, tum quia ad jus proprietatis sufficit ad commodum propriæ libertatis, seu in suum beneplacitum stringere voluntatem alterius, qualiter etiam DEUS potest stringere, tum quia creaturæ conducunt ad gloriam DEI, & felicitatem extrinsecam, cum eos ordinet ad diversos fines, unde si DEUS jure proprietatis exigat à nobis aliquas operationes earum omissio est stricta injuria, quia etsi exinde nihil lædatur intrinsece læditur tamen extrinsece, quatenus operatio ab eo exigita est bonum æstimabile ac prudenter appetibile. Constat igitur creaturam

turam esse capacem obligationis strictæ justitiæ erga DEUM, consequenter bona externa DEI esse materiam justitiæ ac injustiæ erga DEUM.

Neque dicas nulla actio nostra potest fieri invito, & nolente DEO, ergo nulla potest esse stricta injuria, seu contra Dominium proprietatis. Respondeo Distinguo antecedens nolente DEO nolitione efficaciter & absolute impeditiva existentiæ actionis à DEO prohibita titulo proprietatis seu strictæ justitiæ concedo antecedens, nolente DEO nolitione, vi cujus DEUS intendit, ut ejusmodi actio non sit licita nego antecedens, hoc modo DEUS est semper invitus peccantibus nobis.

17. Quæres an dominium increatum proprietatis, & jurisdictionis sit perfectio simpliciter DEO necessaria? Respondeo sumptum pro potestate disponendi de creaturis titulo proprietatis, & jurisdictionis, seu gubernationes esse DEO essentialem perfectionem, jus sic sumptum potest dici jus remotum proprietatis, & jurisdictionis: cum ex terminis pareat esse perfectionem maximam posse pro libitu creaturas creare, destruere, iis præcipere, &c. Dominium verò sumptum pro jure proximo sive pro actuali est DEO semiextrinsecum, ac contingens, nam jus proximum proprietatis est decretum liberum, quo DEUS ut Dominus proprietatis stringit nostram voluntatem, ut omittamus, vel faciamus certos actus, jus proximum jurisdictionis est decretum, vi cujus DEUS ut legislator sive ut gubernator nobis præcipit, aut prohibet aliquos actus, unde cum per nos libera decreta compleantur per quid DEO extrinsecum, sequitur jus divinæ jurisdictionis proximum realiter distingui à jure proximo proprietatis, quia complementum unius est aliud à complemento alterius, atque adeo neutrum decretum ut liberum affert DEO necessariam ac physicam perfectionem, sed moralem, quâ carere potest, cum non reddat DEUM intrinsece ac in se meliorem sed extrinsecè & accidentaliter.

Sed quid habet pro objecto voluntas divina obligans ex justitia stricta, seu titulo proprietatis, aut obligans ex obedientia, seu titulo jurisdictionis. Respondeo ex principiis nostris utrumque decretum pro objecto efficaciter volito habere suum complementum, unde dixi in tractatu de DEO complementum decreti aliquid prohibentis aut, aut præcipientis DEI posse esse ipsam hanc DEI locutionem: *præcipio tibi, aut prohibeo talem actum*, hæc præceptio, vel prohibitio si fit titulo proprietatis est actus liber spectans ad dominium proprietatis: spectabit autem ad dominium jurisdictionis, quando fit titulo legislatoris, hinc decretum liberum est volitio efficax respectu complementi, secus respectu actûs præcepti, aut prohibiti, sed quantum est de se actum præceptum desiderat fieri à nobis, malum autem omitti, unde nec bonum denominat efficaciter, & absolutè volitum, nec malum absolutè nolitum, sed priorem denominat præceptum, posteriorem prohibitum.

AR-

# ARTICVLVS QVARTVS.

## *An creatura sit capax dominii proprietatis adversus DEUM.*

18. CErtum est defacto DEUM inire oneroſum contractum cum creatura, vi cujus ſpondet DEUS ſe daturum creaturæ in præmium vitam æternam, ſi operata fuerit opus ſupernaturale virtuoſum à gratia dignificatum.

Certum est ſecundo DEUM poſito à creatura tali opere obligari ad dandum præmium, dubium eſt celeberrimum, an ſuperior obligatio ſit à virtute fidelitatis, quam certum eſt DEO ineſſe erga creaturam, vel verò ſit etiam à virtute juſtitiæ commutativæ, proinde an DEUS ſit capax hujus juſtitiæ erga creaturam, conſequenter an creatura ſit capax juris proprietatis adverſus DEUM, ſcilicet an in caſu poſito creatura ponendo actum ſupernaturalem meritorium acquirat hoc jus contra DEUM, ita ut hic ſi per impoſſibile negaret creaturæ vitam æternam, faceret illi ſtrictam injuriam.

In eo autem differt obligatio fidelitatis ab obligatione juſtitiæ commutativæ, quod ex promiſſione fidelitatis nullum reſultet jus in promiſſario, ſed DEUS ſe determinat ad unum ex duobus extremis libertatis, ita ut oppoſitum reddat ſibi indecens: è contra obligatio juſtitiæ ſupponat in eo cui obligatur, jus ſtringens libertatem ejus, qui obligatur.

Dicendum eſt cum Vasquez *prima parte Diſp. 85. & ſequente contra* Suar. *opuſc. de juſtitia ſect. 1. & 2.* eſſe incapacem creaturam juris proprietatis adverſus DEUM. Probatur primò: ſi creatura eſſet capax juris ſtricti, ſeu proprietatis v.g. ad gloriam ut coronam, poſitis meritis in DEO deberet componi obligatio ſtrictæ, ſeu commutativæ juſtitiæ ad collationem gloriæ cum perfecto proprietatis dominio in eandem gloriam: DEUS enim eſt eſſentialiter perfectus proprietarius gloriæ, ita ut hanc perfectionem nequeat abdicare *per numerum 17.* Siquidem creaturæ eſt eſſentialis ſervitus relatè ad DEUM, quoad omnia à DEO dependentia: atqui obligatio juſtitiæ commutativæ non poteſt componi cum perfecto proprietatis dominio in gloriam: perfectum enim dominium DEI in gloriam eſt moralis poteſtas diſponendi honeſtè de gloria ad libitum DEI, atque adeo abſque ullius injuria *per numerum 16.* Sed obligatio juſtitiæ commutativæ ad collationem gloriæ, nequit cum dicta morali poteſtate diſponendi honeſtè, & abſque injuria creaturæ acquirentis jus proprietatis ad gloriam ut mercedem ſuppoſitis meritis componi.

Probatur ſecundò, ſi creatura poſſet acquirere jus ſtrictum ad gloriam ſub onere meritorum promiſſam, creatura poſi-

tis meritis posset disponere ad suum libitum de promissa gloria contra libitum DEI, citra hujus injuriam eo modo, quo in humanis habens jus proprietatis v. g. in librum potest sine ullius injuria ad libitum disponere: sed repugnat, ut creatura positis meritis sic disponat de promissa gloria: hoc enim arguit DEUM carere dominio perfecto in gloriam: sed quod id à se abdicaverit, sicut donator libri abdicat à se dominium, saltem pro tempore consequente ad translationis instans secundum omnes: DEUS autem non potest abdicare suum dominium: aliunde in solidum stare non potest simul penes plures per dicenda.

19. Assecla Suarii variè defendunt hujus sententiam, respondéntque ad argumenta nostra. Primò Gonzalez *tom. 3. Disp. 19.* docet creaturæ jus strictum in promissam gloriam esse imperfectum, utpote respiciens solum aliquem usum, nempe quod haberet jus fruendi gloriâ, secus jus destruendi, aut alienandi gloriam, quale jus putat componi cum perfecto DEI dominio ad eandem gloriam, etsi in sensu compositio promissionis onerosæ absque injuria non posset negare promissam gloriam: hoc autem non præjudicaret perfecto dominio divino, eo quod ad hanc obligationem non sit necessaria ex parte DEI abdicatio ullius partis dominii, quod sic probat: jus strictum creaturæ competens ad gloriam haberet pro objecto, sive termino usum duntaxat gloriæ talem, qui oriretur à perfecto DEI dominio: hujus enim actus foret illa promissio, per quam DEUS sibi imponeret necessitatem dandi talem usum nempe fruitionem promissæ gloriæ, atqui hæc promissio est immediatum exercitium divini dominii, ergo jus strictum competens creaturæ ad gloriam acquireret creatura mediante promissione divinâ, ergo sicut promissio divina non destruit dominium divinum utpote actus secundus hujus, ita usus, ac fruitio gloriæ jure stricto debita creaturæ mediante dicta promissione non destruit dominium divinum.

Contra hanc ingeniosam solutionem est primò: ante promissionem creatura caret stricto omni jure in DEUM ad gloriæ usum, ergo DEUS mediâ promissione id transfert in creaturam, sed nequit transferre, quia aut DEUS eo se spoliaret, aut in solidum quoad usum gloriæ staret penes utrumque: neutrum autem est possibile. Secundò per adversarios denegatio usûs gloriæ est injusta, ergo DEUS caret perfecto dominio in usum gloriæ, ut argumenta nostra evincunt.

20. Respondet aliter Isquierdo *de DEO Disput. 35. à numero 267.* Soli creaturæ competere perfectum dominium ad promissam sub onere meriti gloriam: DEO autem nullum, quia DEI dominium se solùm potest extendere ad usus omnes possibiles; denegatio autem promissæ gloriæ positis meritis est impossibilis, ergo DEI dominium nunquam positis meritis se extendit ad denegandam gloriam.

Contra est & quæro, an promissio reddens DEO impossibilem denegationem gloriæ transferat jus strictum pro signo posteriori in creaturam suppositis meritis vel non? sit non, ergo creatura nullum acquirit jus contra DEUM. Si ita, ergo pro eo signo esset jus in creatura & non esset in DEO pro eodem signo, quia pro eo signo titulus disponendi est renunciatus, seu abdicatus à DEO, ergo fuit in DEO

&

& defacto non remanet: aliàs esset penes duos in solidum; nequit autem esse abdicatus utpote essentialis DEO pro signo priori ad promissionem.

21. Obiicies primò scripturam, secundum quam *ad Romanos 4.* justis merces non reputatur secundum gratiam, sed secundum debitum & secundæ ad Timoth. ultimo est reposita illis corona justitiæ reddendæ à DEO ut justo judice.

Secundò servitus essentialis creaturæ stat cum stricta amicitia, seu filiatione adoptiva erga DEUM ut supremum essentialem Dominum, ergo etiam stare potest cum jure stricto contra DEUM, & hujus justitiæ commutativa erga creaturam.

Tertiò promissio divina potest obligare DEUM ex fidelitate, ergo etiam ex justitia stricta cum non minus implicet DEUM esse fallacem contra veracitatem, ac infidelem contra fidelitatem, quam injustum.

Respondeo ad primum textus scripturæ & sanctorum Patrum esse intelligendos de justitia generali, seu latissimè sumpta, nempe pro omni virtute ponente æqualitatem cum regula rationis; omnis enim æquat in suo genere dictamen rationis: aut de justitia providentiali, vi cujus DEUS ut providus gubernator providet creaturæ rationali de cunctis illi proportionatis citra jus in creatura ad bona proportionata: aut de justitia distributiva præmiorum secundum mensuram meritorum citra obligationem servandi proportionem præmii cum merito: ab hac enim obligatione DEUS titulo supremi dominii est exemptus. Ratio sic interpretandi scripturas, & Patres est, quòd alibi scriptura, ac Patres loquantur de justitia generali ut Matth. 5. *Nisi abundaverit justitia vestra.* Idem *Beati, qui esuriunt, & sitiunt justitiam*, & alibi sancti Patres excludunt à DEO justitiam commutativam, ut Augustinus *Libro 3. de libero arbitrio capite 16. DEUS*, inquit, *nulli debet aliquid*, & *libro 1. confessionum c. 4. Reddit debita nulli debens.* Anselmus *in Prosolog. c. 10. Justus es, non quia reddis debitum, sed quia facis, quod decet te summè bonum.* Nec sanctus Thom. præter generalem justitiam agnoscit aliam in DEO *prima parte q. 21. Art. 1. ad 3.*

Ad secundùm est disparitas: quod ad strictam amicitiam creaturæ cum DEO opus non sit, ut cedat ullam perfectionem creaturæ, neque ut in hac deficiat essentialis servitus, sed ut misericorditer & liberè assumat creaturam servam in amicitiam, id est, arcanorum communicationem citra ullum jus rigorosum creaturæ ad amicitiam; stricta autem justitia in DEO erga creaturam est cessio alicujus perfectionis divinæ, nempe juris proprietatis adversus DEUM, ac in creatura cessaret essentialis servitus, relatè ad id, ad quod haberet strictum jus. Hinc colligitur differentia, cur servitus respectu Domini creati capax sit stricti juris quoad aliquos usus contra Dominum, imo quod penitus possit cessare, quia est accidentalis & inducta à legibus positivis, consequenter per easdem est tollibilis: Sic secundum eas tollitur per filiationem adoptivam §. *ultimo instit de adoptionibus.*

Ad Tertiùm est disparitas: quod vi fidelitatis, ac veracitatis nulli, nisi sibimet ipsi obligetur obligatione, quæ non est cessiva alicujus perfectionis, sed duntaxat hanc ligat, ne licite queat oppositum promisso facere: obligatio autem

strictæ justitiæ obligat DEUM non sibi, sed creaturæ cedendo huic perfectionem juris proprietatis adversus se.

Pro reliquis Nota primò: jus DEI adversus peccatorem esse abdicabile ex misericordia, aut fidelitate, secus ex rigore justitiæ strictæ: ibi enim est juris accidentalis acquisiti cessio per liberam acceptationem DEI acceptantis jus tractandi peccatorem ut inimicum supposito peccato, si autem DEUS obligaretur justitia stricta, amitteret jus proprietatis supremi dominii, & creatura id acquireret; nullum autem acquirit in primo casu.

Nota secundò DEUM posse habere ligatum jus proprietatis ad usum hujus licitè exercendum supposità promissione, secus ligatum ad usum validum, unde sicut DEUS non implens per impossibile promissionem conciperetur formaliter infidelis, secus formaliter non omnipotens, sed solum consequenter ac arguitivè ita non formaliter sed arguitivè non foret supremus Dominus, formaliter autem esset, & quatum est de se sine injuria adversus creaturam valide se exerceret denegando promissum præmium.

# ARTICVLVS QVINTVS.

## *Quarum rerum dominium proprietatis sit in Angelis, hominibus, ac Christo ut homine.*

22. TRiplex est genus bonorum, quorum homo capax est. Primò bonorum intrinsecorum, quibus homo, aut constituitur, ut anima, & corpus, aut perficitur, eaque, aut naturalia extrinseca, ut pulchritudo, aut intrinseca, ut sanitas, ex intrinsecis sunt quædam spiritualia naturalia, ut probitas actusque vitales liberi; quædam sunt supernaturalia ut dona gratiæ à DEO infusa, aut DEO ut Authore supernaturali cooperante ab homine elicita, ut actus liberi supernaturales. Secundò bonorum extrinsecorum, quorum tamen mensura est intra hominem ut fama, honor, laus, &c. fama enim est æstimatio de vita, moribus, ac dotibus alicujus; honor est excellentiæ alterius testificatio, læditur contumeliâ, convitio vel similibus actibus, ut signis aut factis: fama verò per detractionem. Tertiò bonorum purè externorum, quæ nempe nec sunt intra hominem, nec intra hunc habent mensuram determinatam, ut bona fortunæ E. g. fundi, domus, servi.

§. I.

## §. I.

## *An homo bonorum intrinsecorum, quibus constituitur, sit plenus Dominus? exinde deciditur, an fas sit se ipsum occidere, mortem desiderare, se ipsum, si reus sit in mortem judici offerre, vitamque quibusvis mediis conservare.*

DIco primo homo non habet plenum dominium bonorum, quibus constituitur, ut vitæ, & corporis, sed imperfectum seu usuarium corporis sui. Pars prima habetur Sap. 16. quod *DEUS vitæ, & mortis habeat potestatem*, & quidem solus, ut exprimitur Deutero 32. *Ego sum solus, ego occidam, & ego vivere faciam.* Ratio est, quod fundamentum omnis proprietatis sit prius ipsa proprietate, sed vita, & hujus membra sunt fundamenta omnis proprietatis, ergo. Unde castratio causa vocis, &c. probabilius est peccatum mortale, ut docet Lugo contra alios.

Pars secunda de dominio indirecto probatur: quod licet homo non sit directus Dominus, est tamen à DEO constitutus vitæ, & membrorum administrator, ac usufructuarius, ergo habet dominium indirectum, seu utile respectu quarumcumque suarum actionum & ad membrorum usum: unde contrahens matrimonium, aut se ipsum vendens non transfert in alterum aliquod directum dominium, sed eum constituit usuarium quoad certas actiones, quas ex justitia stricta debetur alteri præstare: ut conjux reddere debitum, servus suas operationes impendere ad mentem sui Domini, pariter quando quis injustè occiditur injuria fit illi non propter jus directum, cum hoc careat, sed propter jus indirectum.

Ex parte verò prima sequitur 1. quod secluso instictu Divino directum suicidium sit semper illicitum, uti & mutilatio, nisi hæc sit necessaria ad conservationem vitæ.

Secundò, quia usuarius nequit licitè uti re, nisi salvâ ejus substantiâ, ergo homo utpote solum usuarius vitæ, & membrorum nequit uti vitâ, & membris, nisi salvâ eorum substantiâ.

Contra qualem autem virtutem peccet sui occisor, aut mutilator non convenit inter Doctores, nempe an contra fortitudinem, aut charitatem sui, aut contra jus reipublicæ, cui debetur conservatio sui membri. Verius loquuntur docentes esse formalem injustitiam contra DEUM, quia solus hic est plenus, ac directus Dominus vitæ, & membrorum.

23. Dixi primo *secluso instinctu Divino*, quia ex directione Spiritûs S. utpote Domini directi vitæ est licita directa sui occisio, sic multæ Virgines cum S. Apollonia laudabiliter se occiderunt.

Dixi secundo *directum suicidium aut mutilatio*, quia multis in casibus licita est sui indirecta occisio, & à fortiori

mutilatio, ubi diligenter Notandum est discrimen inter eripere sibi positivè ac directè vitam vel membrum, & inter conservare, atque tueri vitam, primum est contra præceptum negativum obligans semper pro semper, secundum est duntaxat de præcepto affirmativo, quod non obligat pro semper, sed licitum est in certis circumstantiis aliquid facere, aut omittere cum prævisione eventuræ mortis, eo quod pro tunc naturalis non obligat ad illud faciendum, aut omittendum, ut vita conservetur, morsque sequitur præter intentionem eam non impedientis per certa media ob causam justissimam.

Hinc Lugo *Disp. 10. à numero 31.* deducit quod possit, imo teneatur miles non deserere stationem sciens se certo occidendum: reus possit non fugere ex carcere, ex quo deducetur ad mortem, imo quod possit se ex Zelo justitiæ judici offerre, ac prodere: ad servandam vitam Principis, aut Amici potest quis se gladio obiicere certo periturus: miles accendere turrim pulverariam hostilem ab illa obruendus cum hostibus: ut incendium effugias, si nulla via evadendi supersit, potes te cum vitæ periculo per fenestram proiicere: panem, quem unicum habes, aut tabulam in naufragio alteri cedere in pari, & legitima necessitate: unde à fortiori fas est cum aperto discrimine inservire pestiferis.

Dixi tertio *nisi mutilatio sit necessaria ad vitæ conservationem*, nam si hæc aliter servari nequeat, obligatur abscissionem pati, quia administrator vitæ debet eam tueri mediis necessariis, ac licitis, quale est, cum præstet perire membrum ut servetur totum, si tamen adeo esset acerbus dolor, ut prudenter excusetur non debet pati (nisi esset persona bono publico multum necessaria) unde virgo admodum pudica non tenetur admittere curationem minus decentem, ita Gormaz. *Hic D. 6. n. 351.*

24. Obiicies primo nisi homo sit Dominus vitæ etiam ex præcepto DEI non posset se occidere, vel si posset etiam ex mandato judicis ad mortem damnatus licitè ageret suicidam se vulnerando, aut venenum bibendo, aut sibi aperiendo venam, aut se in rogum conjiciendo, & nisi hoc liceret, nec carnifex licitè exequeretur sententiam: quod Lugo *hic Disp. 10. n. 12.* dicat disparitatem esse istam, quod carnifex occidat titulo justæ punitionis, secus puræ occisionis, punitio autem sit actio ad alterum, qualis non foret, dum reus se ipsum occideret, proinde esset mera occisio, quæ est actio intrinsece mala contra enim est, quod reus ex mandato judicis se occidens jurisfictione duplex foret persona, proinde esset alter, & alter, ut enim executor judicis ageret personam publicam, seu authoritate rei publicæ, pateretur verò ut persona privata: unde concedit Victoria reum posse obligari ad hauriendum venenum; alii cum Tamburino simpliciter asserunt posse reum legitimè se directè occidere ex mandato judicis.

Respondeo nego assumptum, homo enim ex mandato divino occidens se, ageret nomine veri Domini, ad quod non requiritur ut sit actio dominii prout procedit ab homine, sicut comburens libros Petri hoc jubente non exerceret actionem dominii, cum possit fieri à Religioso sine Prælati licentia dominii incapace.

Nego autem exinde probari fore licitam sui occisionem ex præcepto judicis

non

non propter rationem allatam à Lugo, sed à Lessio *lib. 2. c. 9. numero 16.* nempe ob specialem, quam à naturali inclinatione homo secum ipso habet conjunctionem, hoc enim impedit, quo minus licite possit præcipi sui occisio, cum nec ullus possit esse justæ mortis executor in Patrem ob reverentiam illi debitam fundatam in conjunctione speciali.

Respublica non est directa Domina vitæ, sed usuaria, ut enim membra corporis se habent ad corpus totum, ita homines sunt membra corporis politici, proinde sicut homo titulo defensionis potest amputare membrum suum, ita DEUS dedit Reipublicæ jus amputandi sua membra titulo solius defensionis, aut punitionis justæ, unde carnifex hoc titulo nomine republicæ exequitur sententiam mortis.

25. Pro aliis Nota, quod aliquando mortis desiderium sit licitum, ut patet primo in Martyribus desiderantibus pro Christo mori, qui quandoque possunt petere, ut constituantur coram Tyranno in occasione fidei, imo ut DEUS permittat Tyrannum in eos sævire, videlicet ob majus bonum Religionis, aut ut Tyrannus convertatur, aut placetur, hoc enim non est contra Christi mandatum Matth. 10. *Cum vos persequenter in civitate ista, fugite in aliam*: nam ut Maldonatus exponit, procedit quando fugam postulat Evangelium, secus dum non postulat, in primo casu non fuga est pertinacia, in secundo est pietas, unde si ex non fuga periclitaretur Religio defecta Prædicatoris, hìc occultare se debet Lugo *à numero 45.*

Secundò licet optare sibi mortem ad evitandas ærumnas gravissimi morbi, aut mortis accerbissimæ ut plures cum Granado tradunt apud Dianam parte 5. tit. 14. Resolut. 92. Contra Navarrum.

Tertiò reus quæsitus à Judice ad pœnam capitalem potest se ipsum offerre, & hortari, ut eam exequatur ob delicta, consulit enim actionem licitam Lugo *numero 38.*

Ex his non licet inferre, quod etiam licitè valeat se occidere, plura enim & nobis & aliis licitè optamus, quin licitè per nos eadem faciamus, sic nequimus commeritum supplicium reis inferre, etsi licitè optemus, ut à judice inferatur.

Nota secundò, cum simus vitæ æconomi, seu administratores, lege naturali obligamur ad media omnia ordinaria ex natura rei necessaria eam conservandi, secus ad extraordinaria, & summè difficilia per se loquendo, non enim est tanti momenti, ut procuretur tanta diligentia Lugo *numero 29.* deducens *à numero 32.* non teneri hominem ad prolongandam vitam frui cibo, aut aëre salubriori, abstinere à vino, aut id bibere, non locum mutare, à discretis mortificationibus cessare, etsi prævideatur etiam ad decennium secundum Fagundez vitæ abbreviatio, nec idcirco ex novitiatu egredi, aut illum non ingredi; imo est communis sententia Monialem ad tempus aliquod morbi causa non posse egredi (exceptis tribus casibus Epidemiæ, lepræ, & incendii à Pio Quinto expressis) etsi immineat mortis periculum. Nihil tamen ex præfatis adhiberi, aut omitti potest ex directa intentione citius moriendi, cum vitæ abbreviatio etiam per horam directe intenta sit illicita, utpote oppositа directo DEI dominio.

§. II.

## §. II.

## *An homo sit plenus Dominus libertatis, famæ, honoris, ubi an licita sui, aut reciproca infamatio falsi accusatoris vel testis de crimine vero, occulto, aut secreto.*

26. Dico primò homo est plenus Dominus suæ libertatis, quia potest se sponte tradere in servitutem, uti constat ex Exod. *c. 21.* & Deut. *15.* ubi hæbreis hæc in perpetuam servitutem est concessa traditio. Istâ libertate usus est S. Paulinus, qui ut redimeret viduæ filium voluntariè servus factus est.

Item est Dominus multorum actuum vitalium tam materialium quam spiritualium, potest enim de multis liberè disponere eos ponendo, aut destruendo sine ullius injuria, potestque pati injuriam ab aliis illum impedientibus.

Dico secundò cum communi homo est plenus Dominus famæ, & honoris, unde per se loquendo est licita sui infamatio, nempe quamdiu lege, aut charitatis erga se, aut justitiæ erga alios non prohibetur uti dominio suo, prohibetur autem à charitate, quando sui diffamatione redderet se ineptum ad præstanda erga proximum officia charitatis, à justitia verò, quando infamia nostra cedit in infamiam communitatis, cujus membra sumus, hic infamia Religiosi redundat in monasterium, aut si se infamans fit inhabilis ad executionem officii ex justitia administrandi, ut Parochus, Episcopus, &c. Exceptio conclusionis est conformis scripturæ Ecclesiastici 41. *Curam habe de bono nomine.* S. Thomæ *hic quæst. 73. Art. 4. Ad primum in cujusque arbitrio est pati detrimentum famæ suæ nisi vergat in detrimentum aliorum.* Quæ limitatio fit propter Divum August. *lib. de bono viduit. c. 22.* ibi: *conscientiam nostram esse necessariam nobis, famam proximo, proinde crudelem esse, qui famam negligit.*

Conclusio probatur, qui acquirere potest famam, honorem, &c. augere, ac per se loquendo de iisdem disponere, est plenus eorum Dominus, sed homo potest acquirere, & augere per omnes & per se etiam licitè disponere, ut patet primò aperiendo scelus dum petit consilium. Secundò ut evitet atrocem fortunam, nempe tormenta, licet ideo morte sit puniendus, imo aliquando tenetur, ut si famam proximi læsam nequit reparare sine sua infamia. Tertiò ad sui humiliationem, & proximi utilitatem exemplo S. Augustini in suis Confess. & S. Ignatii cum lachrimis sua peccata revelantis propter obstinati conversionem.

Peccatum tamen foret saltem leve se infamare graviter propter fugam levis fortunæ, quia est quædam prodigalitas, imo à levi etiam tunc excusat Tamburinus

in

in Decalogum, atqui hæc non posset facere, nisi esset Dominus famæ, sicut nequit defectu dominii unquam se directè occidere, aut mutilâre.

27. Quæres an fas sit reo se defendere contra accusatorem aut testem, etiam, dum accusat, aut testatur falsum crimen, reciprocè infamando?

Respondeo primò nunquam licere imponere falsum crimen accusatori aut testi iniquo, est enim non modo contra veracitatem, sed etiam mortale contra justitiam in materia gravi propter jus in famam, quod retinet iniquus accusator, &c. Oppositum damnat Innocent. Undecimus *prop. 43.* ita sonante *quid ni non nisi veniale sit detrahentis authoritatem magnam sibi noxiam falso crimine elidere.* Similis est propositio 44 Ratio S. Thomæ quæst. 69. Art. 2. est, *quod falsum proponere in nullo casu liceat.* Vide de hoc fusius Joann. Cardenas *in crisi ad Innocent. Undecimi* propositiones 65. dissert. 26.

Respondeo negativè de infamatione etiam per crimen verum occultum, quando hujus manifestatio est inutilis ad sui defensionem, qualis foret, si reus aliâ viâ saltem æque commodâ posset se defendere, vel si crimen probari nequeat, vel etsi probari possit, sit tamen tale quod testem de jure non reddit inhabilem ad testificandum. Ratio quia sui defensio non est licita, nisi per media conducentia.

Si autem crimen occultum verum manifestatum, & probatum reddat testem inhabilem, fas est prodere, quando non supereſt alius modus æque commodus se tuendi, etsi testis testetur, aut accusator accuset de crimine verò, ita Sanch. *lib. 6. Consiliorum c. 5. dub. 32.* Lugo Carden. Ratio est, quod pugnans contra reum cedat juri suo, quantum necesse est, ut reus se justè defendat.

Dixi crimen *occultum*, nam de crimine secreto aliter discurrendum. Est autem crimen secretum nihil aliud quam occultum, quod quis ex pacto expresso, aut tacito tenetur celare, ut si accusator, aut testis crimen suum causa petendi Consilii revelasset: tunc enim reus ex pacto tacito debet celare, & necessitas ipsa petendi Consilii facit pactum esse strictioris obligationis. Sic autem distinguunt Theologi apud Gormaz *D. 6. n. 337.* Si crimen fide secreti reo commissum vergit in grave damnum commune aut privati alterius, pactum etiam juramento firmatum non obligat, quia juramentum non est vinculum iniquitatis, si autem est crimen graviter nocens reipublicæ, aut tertio, proinde pactum superveniens id celandi est licitum, nequit se tueri objectione criminis, quia pactum est de re licita, ergo obligat, nisi adsit circumstantia reddens pactum irritum.

Dicta obligatio ex pacto etiam tacito adeo est stricta, ut etiam Religiosi illius, qui cedit juri suo, ut ad superiores deferantur defectus extra confessionem reſciti, non possint prodi ab illo, cui sunt communicati gratiâ Consilii ac directionis: quia inquit suar. *to. 4. de reliq. tract. 10. lib. 10. c. 7. n. 23.* Averterentur homines à quærendo animæ remedio, si talis usus concederetur.

Ut autem sit locus huic obligationi in Societate JESU requiruntur duo, ut delictum concredatur secreto, ac simul causa directionis, seu Consilii, unde si causa amicitiæ communicaretur notitia, ceſ-

saret obligatio, uti & si communicaret absque secreti conditione.

Eadem obligatio stringit reum, si hic delictum testis, aut accusatoris per injuriam novit v. g. aperiendo litteras ad testem, vel accusatorem datas, aut ab eo missas: tunc enim detectio non est justa defensio, sed lethalis detractio.

## §. III.

## *An homo sit proprietarius bonorum fortunæ, seu externorum supp sitâ primâ rerum divisione & quid de dominio Angelorum, Dæmonum ac Christo ut homine.*

28. BOna fortunæ, seu purè externa sunt omnia sublunaria, ut agri, montes, flumina, &c. alia ultra sublunaria, ut Cœlum, ac cætera corpora cœlestia. Prima rerum divisio nullo jure divino, aut naturali præcepto facta est, quia scriptura nullibi revelat esse faciendam, nec natura per se inclinat ad earum divisionem, sed reliquit omnia communia, ut quisque capiat quantum est necesse, permittebat tamen jus naturæ, ut fiat divisio, fuitque omnino hæc necessaria suppositâ hominum depravatione, eorumque multiplicatione ad præcidendas lites atque rixas in rebus occupandis, retinendísq; occupatis; unde cum jus naturale dictet pacem esse servandâ in humana Societate, & ad eam post corruptos mores fuerit necessarium medium divisio rerum, ad hanc obligabat: sed quia nisi ex consensu omnium, aut ferè omnium gentium fuisset stabilita divisio rerum, pax firma non fuisset, hinc rerum divisio non est de jure naturæ simpliciter, sed de jure gentium, cum natura de se non dicet, ut hæc res potius, quam alia, ejusque potius major quàm minor portio ad hunc præ alio spectet, necessarius erat interventus gentium, aut ex horum consensu principis, qui determinaret ac bona communia reduceret ad jus proprietatis hominum.

Credibile autem est, quod suppositâ conventione gentium divisio dominiorum facta sit partim occupatione, partim sortitione, ut si plures aspirarent ad occupationem ejusdem rei ad lites vitandas sorte decideretur, sicque acquisitum jus proprietatis ad posteros transmitteretur. His prænotatis.

Dico primò homo est proprietarius Dominus rerum sublunarium mobilium, ac immobilium, uti patet ex *Gen. 1.* ubi conditio homini tradita est dominandi potestas in terra, mari & aëre videlicet volatilibus Cœli, piscibus maris, & bestiis terræ, secus rerum superlunarium, quia de his nihil potest disponere, potest tamen eorum influentiis uti, proinde est quasi usuarius cœlorum, &c. fieretque illi injuria si per vim impediretur ab eorum usu,

usu, econtra de rebus aliis semel legitimè acquisitis liberè potest disponere, aliorumque libertatem in favorem suum stringere.

Dices conclusio locum habet in primò homine ante lapsum, secus post hunc. Respondetur hic error fuit Wicleffi & Hus damnatus apud Rod. hic Quæst. 3. Sect. 3. §. 2. Qui negarunt principes, si fuerint impii, manere vere Dominos rerum suarum.

Notandum tamen, quod per rerum divisionem non ita sint bona externa appropriata, ut in extrema necessitate quis nequeat accipere ex alterius bonis, quantum necessarium est ad vitæ sustentationem ea consumendo aut vendendo, eorumque dominium in alios transferendo, esto non sit eorum Dominus, sicut etsi Pater non habeat jus proprietatis in filium, potest tamen in extrema necessitate eum vendere, seu ad servitutem redigere, aut sub jure proprietatis alterius imperfecto constituere. Ratio est, quod lege naturæ habeat jus conservandi vitam, cui non potest præjudicare jus gentium, ergo lege naturæ in extrema necessitate omnia bona sunt communia, sed ad bona communia nullus habet jus proprietatis in particulari, quare extremè egentem impediens rerum Dominus ab harum acceptione non peccaret juxta communiorem contra justitiam commutativam, sed charitatem: verùm mihi probabilius est, ut videbimus quod sic egens habeat jus strictum ad rem non determinate ad rem hanc, sed vagè proinde habeat jus sibi detinendi, & occupandi non minus quàm ante divisionem, ergo impediens illum facit illi injuriam.

Dico secundò Angelos esse Dominos rerum suarum spiritualium famæ, honoris à paritate hominis, habent enim jus, ut non revelentur eorum arcana, non decipiantur aut violenter exturbentur loco, non tamen sunt proprietarii rerum corporalium sed administratores. *Less. lib. 2. c. 4. dub. 1.* Cum enim defacto rerum temporalium Dominus sit constitutus homo sequitur eorundem dominium non datum Angelis, aliàs daretur dominium insolidum penes duos contra dicenda, poterant tamen constitui rerum Domini imo etiam vitæ hominis, Lugo *hic Disput. 3. n. 4.* Etiam Dæmones sunt veri Domini suarum operationum secùs alicujus creaturæ hujus mundi. Quod enim *Joan. 12. v. 31. & c. 14. v. 30.* appelletur caput malorum, Pater peccatorum, Princeps hujus mundi: non enim sic dictus est, quasi dominus, sed quia ob peccatum, ad quod allicit, tenet pœnæ obnoxium, non ut Judex aut Dominus sed velut Carnifex à DEO constitutus & minister justitiæ Divinæ vindicativæ. Vide Brisacensem *in tract. de Angelis Disp. 2. n. 57. & sequentibus.*

De Christo ut homine an dum in terris versatus est, fuerit Dominus temporalis saltem Regni Israël vide Brisacens. *De Incarnat. Disput. 3. à n. 266.* Amic. *de Incarnat. Disput. 31.* Certum est Christum secundum voluntatem humanam esse capacem juris proprietatis creati.

Certum est secundo quod divinum jus proprietatis conveniens Christo qua DEUS est per communicationem idiomatum sit Christi qua hominis.

Difficultas ergo est de jure proprietatis creato in temporalia, an illud, ut homo est, habuerit. Primò non habuisse hæreditario jure dominium in Regnum Israël, etsi

etsi fuerit de familia David, ad quam spectabat Regnum Israël probatur: quia ante Christum natum fuit Regnum Judæ ablatum à tota familia Davidis uti liquidum est ex Jerem. 22.

Restat controversia an DEUS Christo ut homini titulo filiationis naturalis Regiam dignitatem, & Dominium directum temporale in omnia regna mundi communicaverit. Affirmant multi cum Soarez Molin. non pauci negant cum Vasquez contendentes solum Regiam potestatem non solum spiritualem, sed etiam Politicam præcipiendi in omni materia temporali jusque dicendi in toto orbe, litesque dirimendi, hanc ut propabiliorem sequitur Amicus *n.* 37.

# ARTICVLVS SEXTVS.

## *De Dominio Proprietatis Religiosorum.*

## §. I.

### *De Dominio Religiosorum Conventuum in Communi.*

29. Dico primò secundum jus commune ferè omnes Religiosi Conventûs sunt capaces pleni dominii bonorum etiam immobilium, est Communis contra Navarrum Contendentem, quod Communitas Religiosa sit solum administratrix bonorum, dominium verò sit penes Christum. Dixi *ferè omnes*, quia Franciscani de observantia dicti, uti & Capucini sunt incapaces omnis dominii: sic enim excipiuntur à Trident. *Sess. 25. c. 3. de Regular.* & à *Nicol. 3. Extravag. exiit de V. S.* Ubi dicit ad se, & ad Romanam Ecclesiam pertinere dominium rerum, quibus præfati Religiosi utuntur, immediate autem præmiserat loquens de aliis, quod Monachus res sibi oblatas vel donatas Monasterio acquirat. Trident. autem dicit: deinceps omnibus aliis Religiosis licere possidere etiam generaliter bona immobilia. Ex quibus sic argumentatur. Eo modo Ordinibus competit dominii pleni possessio quo modo agnoscit sedes Apostolica jis competere, sed hæc agnoscit jis competere possessionem pleni dominii, sedes enim Apostolica reddit incapaces solos Franciscanos & Capucinos, nec intentio fidelium vult penes ullum alium esse dominium, nec mens voventium paupertatem excludit dominium à communitate, sed à singulis in particulari, ita ut deinceps nihil sibi, sed monasterio acquirant *cap. cum olim 2. de privil:* ubi Innocent. inquit: *quidquid Monachus acquirit, monasterio acquirit.*

Con-

Confirmatur Trident. dicit, quod deinceps liceat omnibus mendicantibus Monasteriis *bona immobilia possidere*: possidere autem non est solum bona administrare, ut explicat Navar. Sed verum dominium habere.

Nihilominus dominium Religiosorum Conventuum non est ita absolutum, ac independens uti est sæcularium, Less. *lib. 2. c. 4 n. 20.* primò enim bona mobilia, prætiosa, ac immobilia non possunt alienare, nisi in comodum Religionis. Secundò pereunte Regulari disciplinâ, aut supervenientе aliâ causa justa possunt eorum bona applicari Authoritate sedis Apostolicæ ad alias pias causas exceptâ quantitate sufficiente pro alendis Religiosis.

30. Dico secundò Domus Professa Societatis JESU. Privilegio Tridentini renunciavit, ita ut sit incapax etiam in Communi possidendi bona stabilia, reditusque etiam in cultum divinum, seu pro Sacristia & Fabrica Ecclesiæ: ita Paulus 3. Julius 3. Gregorius 13. in Bullis instituti Societatis confirmatoriis, in quo S. Ignatius *examinis c. 1. §. 3. p. 6. Constit. c. 2. §. 2. & 3. ita statuit*, prout refertur in Bullis.

Est tamen capax in Communi dominii bonorum mobilium, item dominii per legatum, aut institutionem hæreditariam non solum in mobilibus, sed etiam in immobilibus, cum jure civili ad ea obtinenda, non ut stabilia retineantur (nisi res stabilis sit necessaria ad professorum habitationem, vel recreationem) sed ut vendantur *cit. c. 2. §. 5. & 6.*

Excipe legatum annuum perpetuum, aut ad longum tempus, quale est decennium, hujus enim dominium non acquirit, nec jus ad id acquirendum. Ratio autem est, quod omnis Religio possit institui hæres, nisi peculariter jus obstet, uti obstat minoribus de observantia, & Capucinis, paupertas enim ut sic non inducit incapacitatem, aliàs nulla religio capax esset, atqui nullum jus excipit domum Professam, seu Professos ut membra Societatis, sed ad summum ut personas particulares per *cit. c. 2. §. 12.* quibus etiam Collegia non possunt succedere licet hæc sint capacia institutionis.

Patres Discalceati Carmelitæ non sunt capaces possessionis stabilium ut talium, unde hæc illis relicta redigi debent in mobilia, Seu vendi, horum enim uti & jurium, censuum perpetuorum, aliorumque annuorum reddituum dumodo non sint radicati in stabilibus, seu radicibus, ut agris, olivetis, vineis, &c. uti loquuntur eorum Constitutiones *1. p. c. 7.* capaces sunt omnes illorum Conventus, & Collegia, unde patet, quod paupertas domus Professæ sit strictior, quàm Discalceatorum Patrum.

31. Dico tertiò Reliqui Ordines Religiosi mendicantium & non mendicantium cum Collegiis ac domibus Probationum Societatis JESU habent defacto plenum dominium possessionum tam immobilium, quàm mobilium, ligatam tamen, ut non valeant licitè nec validè absque consensu Pontificis alienare immobilia, nec mobilia pretiosa, quæ servando servari possunt. De Collegiis & domibus probationum Societatis Constat ex ejus Constitutionibus, & litteris citatis Apostolicis, ac ex cit. jure Communi, cui Societas quoad hæc domicilia, uti nec cæteri ordines renuntiârunt.

Dices Pro Navarro: fundatores Monasteriorum, & Collegiorum Christo donârunt

nârunt ea bona dotalia, ſicut dotantes templa, atqui bonorum Eccleſiaſticorum dotalium, ac templorum dominium eſt penes Chriſtum, ergo ſicut ſtatus Eccleſiaſticus non eſt Dominus proprietarius bonorum Eccleſiæ, ſed adminiſtrator univerſalis quidem adminiſtratio eſt penes Pontificem, particularis verò penes clerum particularem cujusvis Eccleſiæ particularis, ita proprietas bonorum, ex quibus ſunt Conventus Religioſi fundati ſpectat immediate ſub Chriſti patrimonium, & hujus dominium, adminiſtratio verò pura ad Conventus Religoſos. *Reſp.* Cum Gormaz *Diſput. 9. n. 486.* dupliciter Chriſto donari bona. Primò ſecundum ſe conſiderato, hoc modo donantur bona Eccleſiis, unde *Canone 39. ex Apoſtolicis* vocantur Bona DEI, & paſſim in canonibus à ſanctis Patribus patrimonium Chriſti. Secundò, Chriſto non in ſe ipſo ſed in ſpeciali ſui imagine conſiderato juxta illud Matth. 25. *Amen dico vobis, quidquid feciſtis uni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis.* Quare hoc ſecundo modo donata ex mente fidelium manent in dominio donatoriorum non minùs quàm in dominio, ac patrimonio pauperum, quæ hi à fidelibus acquirunt. Hoc ſecundò modo acquiri à Conventibus Religioſis donata à fidelibus, priori verò primo ab Eccleſiis eſt ſententia citati Doctoris.

Verum dico cum ſententia communiore, quod pariformiter ſit diſcurrendum de dominio donatorum Eccleſiis, ac de dominio datorum Conventibus Religioſis. ita Haunoldus *Tom. 1° hic tract. 4. n. 64.* Ratio quia fideles modo uniformi donant utrisque, ſed Monaſteria acquirunt dominium plenum, etſi ligatum in donata *per n. 29.* ergo etiam Eccleſiæ, ergo ſicut penes Religioſos, ut ſunt membra Conventuum, ſeu penes ipſam eorum communitatem, ſecus apud eosdem ut ſunt perſonæ particulares, eſt dominium plenum ſed ligatum, ita donatorum Eccleſiis dominium eſt penes clericos, ut ſunt membra cujusque Eccleſiæ ligatum tamen, proinde cum quævis Eccleſia particularis ſit pars Eccleſiæ univerſalis, cujus caput eſt Romanus Pontifex, dominium omnium bonorum Eccleſiarum particularium eſt penes univerſalem Eccleſiam, adminiſtrandi autem jus univerſale Eccleſiæ univerſalis bona eſt penes Pontificem, particularium autem Eccleſiarum penes harum Præpoſitos: ſicut adminiſtratio bonorum Religioſorum eſt penes Præpoſitos, horumque Conventus, ſubordinata univerſali adminiſtrationi Præpoſiti Generalis, unde ſicut nullus Religioſus Præpoſitus ut eſt Particularis perſona, eſt proprietarius ullius rei, ita nullus Clericus, imo nec Pontifex ut eſt particularis perſona eſt Dominus ullius boni Eccleſiæ, uti colligitur *ex Canon. non liceat Papæ cauſa 12. q. 2.* Ubi Papa Simachus dicit, *non liceat Papæ prædium Eccleſiæ alienare aliquo modo pro neceſſitate nec in uſumfructum rura dare.* Subintelligendum eſt absque cauſa rationabili: ſine hac enim eſſet alienatio invalida: unde inquit Haunold. *n. 63.* dari exemplum in jure Canonico, ubi ly *non licere* idem valet *ac non valere.* Tradítque Barboſ. *in Tract. de dictionibus, dictione. 191. n. 3.* Æquipollere præcepto, ac neceſſitatem imponere.

Non obſtat quod ſæpe in jure Canonico à ſanctis Patribus vocentur patrimonium Chriſti, & res DEI etiam à Tridentino *Seſſ. 21. c. 5. de reform.* quia etiam

tiam in jure Canonico vocantur res Ecclesiarum, & dicuntur âb ijs possideri, haberi, essèque facultates Ecclesiæ atquè bona, ut *Capit. expedit Causa 12. q. 1.* (ubi etiam præpositus Ecclesiæ dicitur dispensator) *& capit. Causa 13. de V. S.* Ergo si inde Adversarij probent jus proprietatis esse penes Christum, eodem jure convincitur jus esse penes Ecclesias. Resp. ergo eatenus dici patrimonium. Christi ac res Dei, quatenus ex intentione fidelium debent impendi in cultum Dei, & alimenta ministrorum, residuúmque in pauperes erogari.

Hinc infert Molin. apud Haunold. *n. 65.* bona unius Ecclesiæ irrationabiliter translata âb uno Pio loco ad alterum Pium locum esse âb hoc, aut â pontifice restituenda priori contra Navarr. Consentientem, si darentur Laico, ibi enim secùs hic remanerent sub dominio Christi, cui secundum ipsum convenit dominium.

## §. II

## *De dominio Religiosorum in particulari, & capacitate acquirendi.*

32. Dico primo, nullus Religiosus professus est capax ullius dominii rei temporalis pretio æstimabilis, usûsque juris, sed præcise usus facti, seu rerum necessariarum dependentem â superiorum voluntate: ita Trident. §. *25. c. 2. de Regular.* Exprimens ut mobilia, quorum usus conceditur statui paupertatis conveniant, neque sint superflua, neque ex necessariis aliquid superiores denegent.

Hæc porrò in capacitas ex voto solenni professorum non oritur præcise ex natura voti paupertatis, quia ad hujus naturam sufficit abdicatio usûs rerum retento dominio paupertatis: sicut votum castitatis in conjugibus impediens usum conjugii stat cum dominio mutuo retento in corpora. Neque etiam ex natura voti paupertatis ut constituentis cum aliis verè Religiosum, cum ex Bullis Gregorii 13. constet dari veros Religiosos retinentes dominium sine tamen libero rerum usu. Neque provenit præcise, ac convertibiliter ex solennitate voti paupertatis, ut patet in Societatis JESU coadjutoribus formatis spiritualibus & temporalibus incapacibus dominii cujus vis rei per constitutiones Societatis & Bullas Pontificum apud Sanch. *lib 7. moral. c. 18 n. 24.* Etsi eorum vota Religiosa sint simplicia quoad hunc enim effectum æquivalent solennibus. Ratio est quod ad solennitatem votorum sufficiat reciproca votorum perpetuitas, hoc enim tam ex parte voventis, quam Religionis acceptantis, qui conceptus stare potest sine annexa dominii incapacitate, licet hæc defacto sit annexa.

Non etiam jure divino hæc incapacitas est inducta contra Victoria, & alios, quia alios etiam cum voto simplici paupertatis

tatis stare non posset dominium ex pontificis dispensatione contra proximé dicta, non enim apparet essentialis differentia inter votum simplex, & solenne paupertatis, proinde si jure divino potest stare cum voto simplici, potest etiam stare dominium eodem jure cum voto solenni. Provenit igitur ista dominii incapacitas ex jure Ecclesiastico ita disponente jam â tempore Apostolorum. *Less. lib. 2. c. 4. n. 22. & c. 41. dub. 8.*

Dices si jus Ecclesiasticum induxit Capacitatem, Papa in eo possit dispensare contra *c. cum ad Monasterium de statu Monach.* Ubi Innoc. 3. in fine postquam dixisset: *Ne quis Monachorum proprium aliquo modo retineat*, addit, quod nec Pontifex possit indulgere. *Resp.* Non posse dispensare cum independentia ab arbitrio superioris, posse tamen dispensare cum dependentia ab arbitrio. Quapropter essentia Religiosæ paupertatis non est sita in eo, ut reddat hominem incapacem omnis dominii, sed ejus tantum, quod in sui usu non dependet à voluntate superioris. Hinc

Infero primò, Solennitatem votorum non esse juris Divini sed positivi Ecclesiastici, proinde Pontificem in votis etiam Solennibus posse dispensare, atque adeo incapacitas dominii provenit ex positivo jure Ecclesiæ, quam sicut liberè adjecit, ita, ex justa causa potest tollere à votis facientibus veros Religiosos. Ex hoc

Infero secundò, Scholasticos Societatis etsi sint non minùs propriè Religiosi, quam quisque Solenniter professus, esse in particulari veros Dominos rerum, quas habuerunt ante votorum emissionem: nequeunt tamen licitè uti jisdem rebus independenter à Superiorum Licentia, uti constat ex Societatis Constitutionibus, & Bullis Gregorij 13. *Quando fructuosius, &c.* & *Ascendente Domino.*

Dixi in Conclusione *ullius rei temporalis*, quia votum paupertatis etiam in Professis stat cum dominio, vel quasi dominio, vel possessione jurium, ac bonorum spiritualium in particulari v. g. juris ad beneficia regularia (ad quorum possessionem obtinendam, retinendam & recuperandam possunt agere nomine proprio) juris eligendi, juris alimentorum, & apud aliquos manendi in tali Cœnobio: his enim per votum paupertatis non renunciant, uti nec dominio famæ, ac honoris, nisi huic postremo cedant ob specialem Ordinis Constitutionem. Cæterum Regulares non retinent dominium fructuum, quos percipiunt ex beneficiis sed jus administrandi ad congruam sustentationem, vel ad alias pias causas ex præscripto canonum aut Ordinis; Ex proxima hac doctrina.

Infero tertiò, Religiosos etiam Professos habere dominium suorum manuscriptorum, sive ea sint proprio sive alieno studio elaborata, unde de iis sine Licentia Superioris possunt disponere, donare, comburere, secum tollere, donata ab aliis accipere, ita Lugo hic *Disp. 3. n. 230.* quia sunt partus scientiæ, & hujus accessorium, ergo sequuntur naturam Principalis, quod non est materia paupertatis voti, utpote res spiritualis.

Illatio ampliatur ad Reliquias Sanctorum etiam magni valoris non inclusas thecæ pretiosæ (hæc enim est pretio æstimabilis, uti & Medaliæ, Imagines, Cruces, Grana benedicta, &c. Ideo opus est Licentia, nec aquiritur similium dominium)

nium: quia non sunt pretio temporali æstimabiles.

Infero quartò Prælatum peccare contra justitiam absque causa justa accipientem scripta sui Religiosi, foret autem causa justa si scripta essent damnosa Religioso, aut Religioni.

33. Dico Secundo omnes Religiosi professi etiam Societatis Jesu, ac Minores capaces sunt legati rei etiam immobilis eo modo, quo capax est Societas Professa, ac Conventus Minorum, unde legatum rei immobilis relictum Professo, aut graduato coadjutori Societatis debet vendi (si tunc sit in domo Professa, acquiritur enim domicilio in quo tunc est, unde cum Collegium, & Domus Probationis ejusdem Societatis sit capax stabilium acquiritur huic citra necessitatem vendendi, si tunc illic commoretur, Lugo *n. 104. & sequentibus ex numero 29.* cum secundum jus quidquid Monachus acquirit Monasterio acquirat) uti & relictum Minori, aut Capucino, sed cum dominium non habeat, debet vendi ab hærede, & hoc negligente ab executore testamenti, fructus interea spectant ad hæredem legati immobilis possessorem, Salmanticenses *hic tract. 12. c. 2. n. 172.* legatum tamen non potest esse æquivalens hæreditati, seu in magna quantitate, quia hoc præjudicat strictæ Ordinis mendicitati *per cit. Extrav. Exiit. §. cupientes, & §. si verò.*

Scholastici verò Societatis cum capaces sint dominii, retineántque ad tempus à Societate juxta Constitutionem præscriptum, possunt Constitui legatarii in re etiam immobili. Circa hanc certam conclusionem.

Quæres primò quorum bonorum dominium habeant Scholastici Societatis post emissa vota, an etiam eorum, quæ post vota acquirunt, Constitutiones enim non distinguunt. *Resp.* Si acquisita sint ex non statim absumendis, sed aptis augere Capitale patrimoniale, eorum dominium acquirunt à quocunque sint legata, secus si sint statim ex absumptilibus, ut vestes, alimenta etiam 4. aut 5. annis sufficientia, &c. non quod incapaces sint horum dominii ex Licentia Superiorum, sed de facto ex praxi Societatis non habent Licentiam talia sibi appropriandi, ita Lugo *Disput. 3. à n. 82.* notans in fine *numeri 90.* hoc punctum se contulisse cum P. Mutio Vitelleſco tum Præpositio Generali, unde fit quod ejusmodi bonorum dominium acquiratur immediate Religioso non permanenter, sed statim transeat ad domicilium, in quo tunc est Lugo *n. 93.*

Sed quia aliqua ex legatis sunt talia, quæ ipso facto sine Prælati Licentia, & etiam ignorante Legatario fiunt hujus statim, ac moritur testator, aut saltem ab adita hæreditate sequitur, quod Scholasticus Societatis non possit licitè absque consensu Superioris repudiare similia, quia juri acquisito cederet; si autem sint rei incertæ, proinde non acquirantur ipso jure, opus est licentiâ, ut licitè acquirantur: sed cum neutrum legatorum genus immediate deferatur Religioni, sed Scholastico, Superior non potest sine consensu legatarii validè repudiare.

Quæres secundò an Professi, & coadjutores Formati Societatis possint licitè, ac validè repudiare? idem quæritur de Professis cujusvis alterius Ordinis? *Resp.* Cum Lugo *n. 94.* ex Sanch. *lib. 7. Mor. c. 12. n. 38.* negative de Legatis in rebus certis, ac determinatis, quia hæc non indigent aditione ipsóque jure à Morte testato-

statoris, aut ab adita hæreditate acquiruntur, cumque jus ex iis sit acquisitum nequeunt inscio superiore vel contradicente validè repudiare jus, sicut nec licitè acceptare legata. Non obstat, quod Religiosus licite possit nolle accipere domum, quia hoc non est alienare, sed non acquirere, quod non est contra votum paupertatis, siquidem doni oblatione nullum jus acquiritur monasterio, secus per legatum.

35. Dico tertiò ferè omnium Ordinum Professi capaces sunt successionis hæreditariæ tam ex testamento, quam ab intestato, ita habetur *L. DEO nobis 56. §. 1. Cod. de Episcop. & Cler.* quam Canonizat & approbat Gregorius Pontif. *Cap. si qua mulier causa 13. q. 3.* Lugo *n. 190.*

Dixi ferè *omnium* quia Fratres Minores, & Capucini sunt incapaces per cit. Extrav. exiit. Item Professi Societatis, & formati coadjutores, quod sint incapaces ab intestato est certum *ex p. 6 Constit. c. 2. §. 12. Quo melius inquit Paupertatis puritas conservetur, non solum Particulares Professi, vel coadjutores formati hæreditariæ successionis non erunt capaces, verum nec domus, nec Ecclesiæ, nec Collegia eorum ratione.*

An autem ex his verbis concludatur etiam incapacitas ex testamento, dubitari potest. Affirmant præcipui Societatis Doctores. Suar. Molin. Sanch. Lugo *à n. 99. Resp.* Probabilius negativè cum Wadingo *de contract. Disp. 4. dub. 5. n. 51.* quia in odiosis, quale est statutum reddens aliquos successionis incapaces, sensus desumendus est ex propria notione vocis *Successio*, atqui hæc vox ex propria notione comprehendit successionem tantum ab intestato, capaces, ita jurisconsulti apud Wadingum. Vide Pereyra *in Elucida. Theol. lib. 2. Elucidat. 15. n. 1088.* Ubi ita loquitur, succedere est in alterius locum venire, absolutè prolatum intelligitur ab intestato *L. 3. §. de illoff. prosocio.* Nec est ullum absurdum graduatos Societatis esse incapaces ex intestato, capaces verò ex testamento, ut patet ex usu recepto in Gallia, ubi omnes Professi Religiosi fiunt incapaces successionis, quin sint incapaces successionis testamentariæ, *ita Joan. Paponius in Consuetudines Bartonias §. 318.* Eandem sententiam in contingentia facti sequitur Joann. Bap. Cardinal. de Luca *in Theatro veritatis & justitiæ. Tom. 1. p. 2. de Regular. Discur. 63. n. 3 & 19.* Explicans Constit. nostræ Societatis procedere Primò in fidei commissariis successionibus. Secundo in indirectis, in quibus quis ante Professionem nempe adhuc sæcularis, aut Scholasticus est constitutus hæres, aut alia dispositio in favorem fiat; postea fiat Professus ante mortem testatoris, hoc casu est incapax hujus dispositionis propter ejusdem caducitatem, quæ etiam de jure civili resultat: per mortem naturalem testatorij ante testatorem, Professio autem æquivalet morti naturali in hæreditatibus, ac in legatis, secus autem si quis post professionem institutus sit hæres, tunc enim non minus valet dispositio ac valet, dum instituitur hæres domus professa.

Addit *à n. 20.* assertum suum subsistere, etsi hæredi annexum esset onus perpetuum E. g. quotidianæ missæ, ac anniversarij, quale Societas per suos adimplere non potest, tunc enim, inquit, Societas solum tenetur procurare, ut fiat per alios, nec dici potest, quod personarum industria eligatur in adimpletione talis

talis oneris, eo quod in executione beneficij, aut capellaniæ non inducatur qualitas sacerdotalis, cum recte idem onus præstari possit per substitutum, quando non constat ex enixa & præcisa volitione testatoris fieri debere per seipsum: imo etsi de hac constaret, adhuc non foret caduca integra hæreditas, sed rata bonorum oneri tali proportionata, quia in ultimis voluntatibus præsertim ad opera pietatis utile per inutile vitiari non debet secundum jura.

Nec est negligenda notabilis differentia, quam citatus Cardinalis *à. n. 14.* observat inter Minores observantes, & Capucinos ex una parte ac Professos Societatis ex altera, quod priores sint incapaces vi juris Canonic. *ex cit. Extravag. de V. S.* Societatis autem hæc incapacitas sit voluntaria ob voluntariam renuntiationem factam à Professis, tunc Tridentino præsentibus nomine Societatis teste Fagnano *in c. in præsentia de probat. n.* 84. ac etiam ob Societatis Constitutiones, quæ etsi ratione Confirmationis Apostolicæ sint obligatoriæ, attamen ad præscriptum eorundem ab ipsamet Societate, vel ejus Præposito P. Generali, vel Generali Congregatione moderari, declarari, ac interpretari possunt.

Demum etiam Professi Carmelitæ discalceati sunt ab intestato incapaces omnis hæreditariæ successionis, unde Novitius ante Professionem mortuus sine dispositione, si quæ habuit bona transmittit ab intestato ad hæredes: uti habetur in eorum *Constitut. 1. p. c. 7. n. 12.*

De Scholasticis autem Societatis certum est eos succedere tam ex testamento, quàm ab intestato, cum *per numerum 32.* sint capaces dominii, hocque retineant ad tempus à Societate designatum.

## §. III.

## *An & quomodo Religio succedat suis Religiosis in dominio?*

36. PRæmitto primò, quod omnia jura loquentia de ingressu Religionis sint intelligenda de ingressu per professionem Sanch. *Lib. 5. Moral. c. 1. n. 22.*

Præmitto Secundò vigore Tridentini *Sess. 25. c. 16. de regular.* annulari omnes Novitiorum renuntiationes & obligationes firmatas etiam juramento quantumcunque pias, nisi cum Licentia Episcopi, aut Vicarij intra duos menses proximos ante Professionem fiant. Hoc tamen decretum non habet locum in testamentis, aliisque ultimis voluntatibus, uti fatetur Congregatio Concilij ad hunc locum. Idem Decretum Concilij excipit Societatem JESU hisce verbis *per hæc tamen sacra Synodus non intendit aliquid innovare, aut prohibere, quin Religio Clericorum Societatis JESU juxta pium eorum institutum à sacra sede Apostolica approbatum Domino, & ejus Ecclesiæ inservire possit.*

Præmitto tertiò cùm certum sit nullum Professum sine expressa Papæ Licentia testari posse *Authentic. Ingress. codice de Sacrosanc. Ecclesiis & c. quia ingredientibus causa 19. q. 3.* Uti nec graduati Societatis per ejusdem Constitutiones, necesse est eorum jura temporalia ad alios transiisse.

At Scholastici ejusdem Societatis cum retineant dominium ad certum tempus, nempe regulariter ad quadriennium ab exordio Novitiatûs computandum, & non ultra absque consensu Generalis, sequitur eos post vota biennalia debere ante Professionem disponere per donationem inter vivos aut etiam per testamentum, aut donationem causa mortis, ast non sine consensu Generalis, quia disponentes Scholastici de rebus suis debent de jis disponere absolutè, irrevocabiliterque *à se*, ut loquitur S. P. Ignatius *Examinis C. 4. §. 1. Omnem fiduciam submovendo eadem ullo tempore recuperandi*, atqui si Scholasticus disponeret per testamentum non disponeret irrevocabiliter, cum testamentum ante mortem naturalem, aut civilem (qualis est Professio) sit revocabile: observat tamen Lugo *hic Disp. 3. n. 116.* non opus fore Licentiâ Generalis, si post testamentum statim sequatur Professio: per hanc enim fieret dispositio irrevocabilis. Ratio autem præmissionis est, quod nihil proprium habeant & retineant, exceptis Religiosis Ordinum Militarium, hi enim non vovent tam rigidam paupertatem: unde saltem cum Licentia Superioris testari possunt de suis bonis, imo esse jis concessam facultatem jure, vel consuetudine tradit Pirhing.

Addit Sanch. *lib. 7. moral. c. 8. n. 11.* Posse Religiosum suum peculium sibi concessum, vel utensilia cum Licentia Superioris donare mortis causa, quod esse valde probabile ait Laym. *lib. 3. tract. 5. c. 3. n. 4.* dilata enim donatio in tempus mortis multum est affinis donationi inter vivos, adeóque non est argumentum à testamento, sed cum Licentia Superioris potest donare inter vivos, ergo etiam causa mortis, concessa tamen Licentia debet esse revocabilis ante mortem, aliàs Religiosus acquireret adversus Prælatum jus irrevocabilitatis, proinde haberet aliquod proprium.

Hinc deduco cum Lugo *numero 113.* Prælatum promittentem Religioso de distribuendo inter certos ab eo denominatos post mortem peculio non obligari civiliter stare promissis, hoc est, promissionem non parere ullum jus civile, hoc est, ad agendum contra Prælatum, sed nec jus naturale, seu in foro conscientiæ contra Sanch. *n. 118.* non obstat, quod incapacitas disponendi sit ex jure positivo exinde enim non sequitur eam excludere duntaxat jus civile, sed etiam naturale, quia in sensu composito illius non potest acquirere ullum jus contra Prælatum Religiosus, nec ille cui se daturum promisit Prælatus, cum non acquirat ullum jus ante mortem, post hanc autem res sit Monasterij. His præmissis.

37. Dicendum primò omnia Monasteria extra Galliam succedendi capacia succedere in omnia bona Professi, de quibus ante Professionem non dispoſuerat, ac etiam in acquisita post professionem quovis titulo, de quo *n. 35.* dictum,

ctum, ita Lugo *numero 190. per Authen. nunc autem Cod. de Episcopis & Clericis: Authenticam ingressi & Authenticam si qua Mulier Cod. de Sacrosanct. Ecclesijs & Capitulum si qua Mulier causa 19. q. 3. hinc.*

Deduco primò omnia bona Religiosi Professi in Ordine incapaci successionis, uti sunt Minores observantes, & Capucini, de quibus non disposuit per Professionem transire ad hæredes ab intestato, ad hæredem autem institutum, si ante Professionem testamentum condidit.

Deduco secundò testamentum conditum ante Professionem non rumpi per Professionem, uti certum est, si ordo sit incapax successionis, èstque verius etiamsi Ordo sit capax contra aliquos apud Covar. *tom. 1. de testam. c. 2. n. 8.* se fundantes in eo, quod Monasterium habeatur loco posthumi rumpentis testamentum, *Authente nisi rogati, codic. de Trebell.* Ratio est, quod incapax testandi sit incapax revocandi, seu rescindendi, sed Professus in actu Professionis non potest testari, ergo nec testamentum revocare: unde negatur Monasterium esse loco posthumi Filij in jis, in quibus ante Professionem disposuerat Professus, secùs si non disposuerat, unde *cit. Authentic. si qua Mulier* statuitur, quod Mulier habens proles si profiteatur in Religione bonis ante Professionem ab ea inter proles non divisis dupliciter possit de jis disponere. Primò totum dare monasterio exceptâ legitimâ prolibus debitâ. Secundò æqualiter distribuere, & tunc debet etiam æqualem partem monasterio attribuere, ergo Monasterium est loco Filij, si autem moriatur ante divisionem, manet totum monasterio demptâ prolium legitimâ.

An Monasterio capaci bonorum competat ususfructus eorundem usque ad mortem naturalem Religiosi, quæ Professus ante Professionem per testamentum disposuit pro tertio vide cit. Covar. *n. 12.* affirmantem ex Communi & Haunoldum *tract. 4. n. 21.*

38. Dicendum secundò Carmelitas discalceatos esse incapaces omnis successionis ab intestato vi suarum Constitutionum *1. p. c. 7. n. 12.* Uti & domum Professam & Collegia Societatis JESU ratione sui Professi aut coadjutoris. *p. 6. Constit. c. 2. §. 12.* Ex testamento autem esse capaces Camelitas est certum per *cit. 7.* stabilia tamen debent redigi in mobilia per *n. 30.* hoc ipsum esse probabile respectu Domûs Professæ, & Collegiorum Societatis titulo sui Professi aut graduati per testamentum instituti probatum est *n. 35.* quo casu Domûs Professa, si hanc incolit hæres institutus debet immobilia vendere, secùs Collegium Lugo *n. 104.*

## §. IV.

## *An immediate, & quo jure Monasterium succedat in bona sui Professi viventis?*

39. DIxi *Professi viventis*, quia si Professus moritur vivo suo Patre, monasterium loco Filij nullatenus succedet postea Patri mortuo, ut enim loco Filij succedat, debet repræsentare filium, hunc mortuum nequit repræsentare, at benè vivum, proinde succedit Professo vivo jure Filij, & rumpit testamentum Patris, si Filius fuit in eo præteritus Lugo *de jure, & justit. Disput. 3. n. 192.*

Dico primò Monasterium non ut hæredem seu jure hæreditario succedere in bona sui Professi (aliàs Monasterium esset in potestate Monachi sicut Filius est in potestate Patris) sed succedere jure acquisitionis naturalis, & accessoriæ personæ sui Religiosi, hic enim ut habetur *cit. Authent. ingressi; ipso ingressu se, suáque dedicat DEO.* Ratio etiam est ex Lugo *n. 197.* quod fictione juris Monasterium sit eadem persona cum suo Religioso ratione hujus voluntatis in Religionem transfusæ, quæ repræsentat ipsum in omnibus, ergo Monasterium non est hæres Religiosi sui, sed una persona, nisi in casibus in jure expressis, talis habetur in c. in præsentia de probat. Ubi Pater habens duos Fratres & unum Filium, instituit hunc hæredem, ita ut si sine liberis decesserit, devolvatur hæreditas ad defuncti Patris Fratres, Filius factus Religiosus dedit sua Monasterio, ab hoc repetebatur hæreditas, sed frustra, eò, quod offerendo bona Monasterio non decesserit sine hærede.

40. De bonis quæ Monacho accrescunt post Professionem, an immediatè acquirat Monachus, & hoc mediate primum dominium transeat in Monasterium, vel verò immediatè Monasterium fiat eorum Dominus, quin prius dominium acquisiverit Monachus non permanenter, sed transeunter, hoc est, ita ut statim, ac à Monacho acquisitum est, transeat ad Monasterium, est valde controversum. Dixi *post Professionem*, quia habita ante Professionem ex juris dispositione transite ad Monasterium immediatè per quandam consequentiam cum persona Religiosi docet prior conclusio.

Communius Canonistæ stant pro immediata Monasterij successione, quos sequitur Sanch. *lib. 7. Moral. c. 12. à n. 36.* quia Professus est incapax acquirendi dominij. Secundò si prius acquireret Monachus, hoc invito adire hæreditatem Monasterium careret hæreditate, ergo non requiritur Monachi consensus, nec dissensus impedit acquisitionem hæreditatis, neque potest juri acquisito saltem licitè cedere, ac condonare per textum

*legis*

*legis qui autem ff. quæ in fraudem creditorum.* Hanc sententiam in foro Ecclesiastico receptam testatur Cardinalis de Luca *tom. 1. p. 2. de Regular. Discur. 56. num. 3.*

Dico secundò probabilius dominium acquiri immediatè à Professo, ita Wadingus *de Contractibus Disput. 4. dub. 5.* ex communi Legistarum: sciendum enim est ante Justinianum Monachos habuisse dominium, hoc autem nec à Justiniana nec ab Ecclesia tempore ejus statim sublatum fuisse, sed permissum saltem quoad hæreditates eis post ingressum obventuras. Ratio autem hujus sententiæ est: Monasterium bona à Professo antecedenter possessa acquirit mediante Monachi dominio, ergo etiam acquisita post Professionem. Consequentia probatur, quia per Professionem nullum jus transtulit in Monasterium ad acquirenda, cum nullum habuerit ad hæreditatem ab extraneo sibi postea relictam, ergo acquirit primùm post Professionem, per quam jura tempore Professionis habita, & postea habenda transfert in Monasterium, ergo ante translationem sunt jura penes Monachum.

Ad primùm Adversariorum argumentum. *Resp.* Esse incapacem dominij stabilis, secus transeuntis statim in Monasterium. Ad secundùm eo etiam invito posse adiri hæreditatem à Monasterio communiter docetur; Professus enim in acquisitione rerum comparatur nunc servo, nunc filio à jure hic disponente in favorem Monasterij, ergo potest Monasterium eam capere æquiparationem, quæ ipsi est utilior: cum ergo jus attribuat Patri adeundi delatam filio hæreditatem etiam eo invito, *leg. final. Cod. de bonis, quæ liberis* potest Monasterium hoc uti privilegio.

At si sermo sit de hæreditate paterna, sive per institutionem, sive ab intestato eam etiam non aditam transmittit ad Monasterium per jus suitatis.

Est autem suitas ut definit Wadingus *dub. 9. §. 2.* jus quoddam competens proximo Patris descendenti, & constituto in ejus potestate tempore mortis, ut ergo quis sit hæres suus, requiritur primò, ut sit descendens. Secundò ut non sit emancipatus: fit autem mancipatio per Professionem, & plerisque locis per conjugium. Tertiò ut sit proximè conjunctus, unde nepos secundum jura nequit esse hæres suus avi, nisi sit Pater mortuus, aut emancipatus. Quartò respectus ad Patrem, unde Mater non habet hæredes suos, quia secundum jus non habet proles in sua potestate. Hæc fere omnia desumpta sunt ex Institutionibus de hæredum qualitate.

Porrò jus suitatis facit filium Dominum hæreditatis paternæ, sive ex testamento, sive ab intestato absque omni aditione, vel acceptione hæreditatis Haunold. *De jure tract. 6. n. 597. ex L. 11. ff. de liberis & posthum.* Ibi: *In suis hæredibus: & §. sui Instit. de hæreditatibus quæ ab intestato deferuntur*, dicitur: *Sui hæredes fiunt etiam ignorantes & L. 14. ff. de suis & legit. hæredit habetur: in suis hæredibus aditio non est necessaria quia statim ipso jure hæredes existunt.*

Etsi autem filius per Professionem emancipetur, retinet tamen ex speciali privilegio jura suitatis succeditque Patri tanquam hæres suus, cum ergo jura suitatis

tatis transmittat ad Monasterium successionis capax, sicut transmitteret ad alios hæredes immediatos descendentes, sicque Monasterium nomine Religiosi adhuc viventis Patre præmortuo ea jura acquirere, & præmortuo tali Religioso ante aditam ab hoc hæreditatem posse Monasterium eam petere: at si Religiosus præmoriatur ante Patrem, nihil hæreditatis præmortui transmittitur cit. Sanch. *c. 12. n. 7.* ex Gloss. *final. in c. unicum causa 18. q. 10.* ex communi, quia legitima inquit Wadingus *Disput. 5. dub. 1. §. 2.* non debetur filio à Patre adhuc vivente *L. 1. §. impubes ff. de collatione bonorum.*

## §. V.

## *An ususfructus per Professionem Religiosi extinguatur? an Monasterium in fideicommisso excludat acquirátque Emphyteusim profitente Religioso.*

41. USusfructus *est jus utendi, & fruendi rebus alienis salvâ rerum substantiâ*, ita, *leg. 1. ff. de usufructu* est jus personale, seu annexum personæ. Quando annectitur personæ fictæ seu nunquam morituræ, uti si Civitati, aut Monasterio constituitur, durat centum annis *leg. 8. ff. de usu, & usufructu legato.*

Fidei commissum est hæreditas ex mandato testatoris tertio restituenda; hæres sic fideicommisso gravatus vocatur fideicommissarius, seu fiduciarius sic dictus à fide, cui confidit testator, ille tertius vocatur substitutus, seu hæres secundo institutus. Primùs autem institutus dicitur hæres; hinc patet quid sint primæ, quid secundæ tabulæ, de quibus fit frequens in jure mentio. Primæ enim dictæ sunt ab institutione primi hæredis, secundæ verò ab institutione secundi, seu à substitutione, quæ vel est conditionata E. g. *Si hæres sine liberis decesserit, &c.* Vel est absoluta, quando nulla adjecta conditione hæredi imponitur, ut hæreditatem totam, aut partem transmittat ad Titium.

Emphyteusis est contractus, in quo conceditur dominium utile retento directo sub onere certæ pensionis proprietario solvendæ, idque vel in perpetuum vel ad tempus longum, seu ad tempus non minus decennio. His prænotatis.

Dico primò per Professionem Religiosi exstingui usumfructum in Ordine successionis incapaci, secùs in capaci. Ratio primi quod jus personæ, seu ossibus inhærens exstinguatur morte usufructuarij *per §. finitur Institut. de usufructu.* Professio autem est mors civilis. Ratio secundi est ex communi cum Lugo *Disput.*

*sput. 3. n. 157. Haunold. tract. 3. n. 121.* quod ex juris dispositione Monasterium constituat unam personam cum Religioso, proinde hunc repræsentet unde necesse est, ut jus hoc transeat de persona religiosi ad Monasterium. Exstinguitur tamen etiam in Monasterio per mortem naturalem Religiosi & usufructus consolidatur cum proprietate, nisi ut notat Haunold *tract. 3. c. 2. n. 121.* fuisset Professo usufructus ita constitutus, ut etiam remaneret apud hæredem ipsius: tunc enim esset novus usufructus constitutus hæredi, ergo cum Monasterium sit hæres, eique usufructus constitutus durat Annis 100. per cit. *legem 8. de usu, & usufructu legato*, eo casu duraret post mortem Religiosi 100. annis.

Dico secundò substitutum in fide commisso excludi à Monasterio successionis capaci (secus incapaci) nisi substitutus sit causa pia, aut substitutio fuerit absoluta: Pars prima in favorem profitentium expressa est *in Authentic. de sanctiss. Episcopis.* (quæ est *Novella 123*) *c. 37.* Haunold. *tract. 4. n. 31.* Pars secunda habetur in fine ejusdem capitis, in quibus verbis etsi duplex tantum causa pia, nempe redemptio captivorum, & egentium altera exprimantur, ex intentione tamen præsumpta fit extentio ad alias causas pias Haunold. *n. 32.*

Pars tertia cum Haunold. *n. 33.* Molina, Palao, Sanchez contra Gomez & alios, colligitur ex *cit. Authentic.* quæ planè supponit valere substitutionem, si fit nulla adjecta conditio.

Quod si testator hanc conditionem adjecisset: si hæres Professus fuerit Religionem capacem successionis. *Resp.* Haunoldus *n. 35.* cum cit Sanch. Palao contra Covar. Barbosa, &c. haberi pro non adjecta, proinde excludi substitutum.

Dico tertio Emphyteusim ex communiore sententia acquiri à Monasterio apud Sanchez *lib. 7. moralium c. 15.* quod cætera Professi bona transeant, nec alicubi excipiatur Emphyteusis.

Notandum tamen quod non absolutè, sed cum hoc onere transeat ad Monasterium, ut teneatur alienare transferendo in personam non magis privilegiatam, quam fuerit Professus ante Professionem: quo casu alienatio non prohibetur à jure, hoc enim vetans alienationem, cum sit conditum in favorem Monasteriorum non debet in odium detorqueri per Regulam 61. In sexto, *quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum*, vide fusè Laym. *lib. 3. tract. 4. c. 23.* Ex his

Colligitur jus patronatûs annexum bonis, quorum est Religio capax, quam profitetur Religiosus, transire ad eandem, in Scholasticis verò Societatis remanere penes eorundem dominium Lugo *n. 206.*



§. VI.

## §. VI.

## *An Scholasticus Societatis sine Licentia Superioris valide disponat.*

42. DIxi validè, quia illicitam fore dispositionem est certum vi voti paupertatis: Ratio autem affirmandi valorem fundamentalis hæc est, quod sit verus Dominus rerum suarum per *numerum 32.* nec ullum jus canonicum, aut civile irritet dispositionem sic factam, idcirco est communissimè recepta inter Doctores Societatis, Soar. Sanchez, Laym, Palao, &c.

Nihilominus mihi probabilius est fore invalidam ita Haunold. *tract. 4. n. 38. Molin. Disput. 139. Less. lib. 2. c. 4. n. 28.* probatur, quoties conceditur potestas ad actum non simpliciter, sed restricta ad aliquid, sine hoc actus non est validus, sic si Pontifex det facultatem conferendi beneficium non simpliciter, sed restrictam ad Consilium Episcopi, sine hujus Consilio est collatio irrita. *Cap. cum in veteri 52. de Election.* Sed Pontifex ex speciali favore relinquens dominium Scholastico Societatis, & dans ei facultatem disponendi non dat simpliciter, sed cum restitutione ad consensum Superiorum, ergo sine hoc dispositio non est valida. Mi: probatur ex Bulla Gregorij 13. *Ascendente Domino* ibi: *quod vero ad paupertatem attinet, quamvis bonorum suorum jus, atque dominium ob causas pro Superiorum arbitrio ad tempus retinere valeant, ut in pios usu juxta Evangelicum Consilium distribuant* (ecce limitationem ad certi generis dispositionem) *in illorum tamen usu Religiosam paupertatem servant, nec ulla re tanquam propriâ* (NB.) *& sine Superioris facultate uti possint.* Ex hoc loquendi modo in legibus irritantibus consueto constat Scholasticorum jus esse vinculatum, ita ut sine consensu Superioris perinde se habeat ejus usus, ac si non esset: hoc enim denotant particulæ *non posse uti re tanquam propriâ*, sic dicente lege: Matrimonium non posse contrahi *intra talem gradum*, secundum omnes intelligitur impedimentum dirimens, id ipsum urgetur à testamento Filij familias ad cujus valorem, quia secundum leges requiritur consensus Patris etiam ad pias causas, defectus consensûs irritat testamentum de bonis adventitijs: *L. Filius familias §. 4. ff. de donationibus.* Regulam dignoscendi generalem legem irritantem à non irritante tradit hanc Haunoldus *tract. 8. n. 129.* quando jus civile, aut canonicum actum aliquem prohibet, nihil addendo, aut ulterius mentem legislatoris explicando etiam eundem irritat, nisi usus, aut consuetudo obtineat contrarium nempe valorem actus prohibiti, quia assertio hæc est juri con-

conformior, & optimè conciliat jura, quæ videntur invicem pugnare. Hinc matrimonium initum contra Ecclesiæ interdictum, aut post votum simplex castitatis, aut post sponsalia non dissoluta cum alia, Ordinatio Clerici ab Episcopo alieno, &c. valet, licet prohibeatur, quia consuetudo ita obtinet (unde ut votum simplex Castitatis Scholasticorum Societatis dirimeret matrimonium, opus erat novâ Pontificiâ declaratione) hâc seclusâ tenet pro regula ratio generalis data pro omnibus à Gregor. Magno *Cap. imperiali causa 25. q. 2. quia inquit, quæ contra leges fiunt, non solum inutilia sed etiam pro infectis habenda sunt.*

Confirmatur tanta solum potestas disponendi data est à sede Apostolica Scholasticis Societatis, quanta est necessaria fini à Societate intento, & vi cujus minime discrepet, quantum fieri potest votum paupertatis Religiosæ in Societate à voto paupertatis Cæterorum Ordinum: sed potestas disponendi valide restricta ad consensum Superiorum facit votum paupertatis Religiosæ Societatis, quantum fieri potest, minimè discrepare à voto cæterorum Ordinum, éstque fini à Societate intento necessaria, finis enim intentus à Societate in retinendo Scholasticorum ad tempus dominio est, ut Societas possit facilius dimittere justa ex causa, quem finem maximè promovet facultas disponendi validè restricta ad Superioris consensum: impedit verò facultas huic opposita: quia si possent se privare dominio invitâ Societate dimissio redderetur difficilior.

## §. VII.

## *Præmittuntur quædam de voto paupertatis Religiosæ pro decisione, qualis Licentia necessaria pro honestis, ac validis Religiosorum operationibus & de multiplici voluntarij acceptione.*

43. NOta primò quod Religiosus per votum paupertatis duo promittat, primò quod se exuat omnis directi & utilis dominij jure, reddátque se incapacem talium jurium. Secundò non uti rebus temporalibus ad commodum nostrum, nisi instar pauperum, ac ex Licentia Superioris, quia est contra statum pauperem, quem profitetur Lugo *Disput. 2. n 52.* Unde inquit Gormaz hìc *Disput. 7. n. 392.* vitalis voti manet graviter prohibita Religioso ex fine paupertatis actio sua propria (quæ ex sua authoritate seu absque consensu Superioris sibi assumat in propriam utilitatem usum rerum) Continétque malitiam gravem vi-

tiúmque proprietatis contra paupertatem etsi usus fiat consentiente rei Domino: consensus enim Domini impedit solum, ne usus sit contra justitiam, secùs ne sit contra votum paupertatis secluso consensu Superioris, sicut comestio physicè considerata non est per se contra Religionem, at prohibita intuitu Religionis ante sumptionem Evchariſtiæ evadit peccatum irreligionis, ac sacrilegij, ergo etiam simplex usus facti, seu rerum prohibitus Religioso ex fine, ne sit proprietarius (id est ne utatur *re tanquam propria*, uti loquitur Gregorius 13. si contingat citra Licentiam Superioris est proprietatis species contra votum paupertatis.

Est ergo generalis regula ex jure canonico, & sanctis Patribus deducta apud Suarez *tom 3. de Religione lib. 8. de paupertate c. 11. & 15.* Quod datio, aut usus Religiosi habeat vitium proprietatis contra votum ex genere suo mortale, nisi levitas materiæ excuset, quoties fit sine Licentia Superioris. Quare *cap. cum ad Monasterium de statu Monachorum*, subjungitur: *unde si quidquam alicui fuerit specialiter destinatum, non præsumat illud accipere, sed Abbati vel priori assignetur.* Et *cap. non dicatis 11. c. 12. q. 1.* ex sancti Augustini Regula desumpto: *Certum est eos nihil habere, possidere, dare, vel accipere debere sine Superioris Licentia.* Consonat. Trident. *Sess. 25. c. 2. de Regularibus.*

44. Nota secundò voluntarium esse habituale, virtuale, morale, & præsumptum; habituale est volitio præterita nondum revocata: virtuale est volitio præterita perseverans ratione continuationis in suis effectibus; morale ut ab utroque contradistinctum, situm est in præcedentis voluntarij formalis, aut actualis effectu inaufferibili, donec tollatur aut dissolvatur per dispensationem aut condonationem: hoc modo peccatum præteritum perseverat in jure ex peccato à DEO acquisito contra peccatorem (jus hoc est effectus peccati) indissolubilitas vinculi est effectus contractus matrimonialis, hic enim in illo durat, donec dissolvatur matrimonium ratum per Professionem aut dispensationem, &c.

Expressum voluntarium est actuale signo externo proditum, ut si petenti facultatem audiendi Confessiones Episcopus dicat, volo, ut audias, vel capite annuat, vel det scripto.

Præsumptum, prout contraponitur expresso, erit, si Episcopus intellectâ tuâ petitione audiendi confessiones nullum det externum signum manifestans consensum, adsit tamen prudens præsumptio actualis interni consensûs, ut si Episcopus videns te accedere ad Confessionem audiendam te non repellat, cum posset, sed tacet, præsumitur actualiter consentire: hic consensus actualis prout contraponitur expresso vocari etiam solet tacitus seu implicitus, ab alijs verò voluntarium præsumptum actuale absolutum.

Hinc si in aliquo Ordine vigeat consuetudo à Prælato scita nec reprobata, dum facilè posset tolli, quædam munuscula accipiendi, aut, dandi invicem, aut etiam externis, censetur actu consentire, seu Licentiam dare, valet proinde tunc in similibus casibus Regula *43. in 6. qui tacet consentire videtur.*

Præter voluntarium præsumptum actuale absolutum datur conditionatum, quale tunc intervenit, quando non præsumi-

sumitur consensus actualis, seu actu existens, sed existeret: hujus usus est frequens in materia de legibus, sæpe enim præsumitur legislatorem habiturum consensum pro hoc, aut illo casu, si prævidisset circumstantias has, aut illas: item sæpe superior concederet nun Licentiam si hæc in istis circumstantiis peteretur, quod cum verificari possit etiam dormiente, aut mortuo superiore patet actionem dependenter à tali præsumpta Superioris voluntate factam non esse Superiori absolutè voluntariam positivè, ut notavit Suarez *Prima secundæ Disput. 1. Sect. 4. sed negativè*, id est talis quæ prudenter nequit esse positivè involuntaria, si eas circumstantias actu sciret Superior, idcirco hic pro tunc non est rationabiliter quoad substantiam actionis invitus.

Porrò hic distinguendæ sunt duplicis generis actiones, quædam sunt, quarum liceitas, & valor dependet ab actuali jurisdictione, ut audire Confessiones, assistere matrimonio, &c. unde carens eâ non potest licitè, nec validè similia exercere dependeretur à voluntate præsumpta conditionata Episcopi aut Parochi, &c. Seu quod concederet eam, si peteretur, per hoc enim eam non actu confert, sed conferret: nihilominus quandóque adesse censetur absolutus actualis consensus conferens jurisdictionem necessariam, ut valeant actus: hic est communis sententia quod Ecclesia suppleat defectum jurisdictionis, si re ipsa hâc Minister Sacramenti caret, quoties probabilis est opinio, quod eam habeat pro hoc, aut eo casu.

Aliæ actiones sunt, quæ malæ sunt præcisè, quia rationabiliter prohibitæ, unde si adsint nunc tales circumstantiæ, in quibus prudenter non possunt prohiberi, cessant esse malæ ex præsumpto voluntario conditionato, eo quod videatur sufficere ad earum liceitatem legislatorem non esse positivè invitum.

Ex hoc principio Lugo *hic Disp. 21. n. 53.* colligit plures pœnitentes excusari à restitutione, nempe prudenter credentes, quod si per se, vel per alios manifestarent debitum Domino, hic condonaret: postea extendit cum Sanch. *lib. 7. moral. c. 19.* Navarro, Rebello, Lessio rem alienam usurpantes inscio Domino non committere furtum, nec graviter peccare, etsi sit invitus Dominus quoad modum, dumodo non sit invitus quoad substantiam prout non est, quando Dominus rem talem dedisset, si accipiens petiisset, quia autem non dedisset, si tu accipis ad vendendum, ideo limitant assertum ut procedat in rebus ex tali præsumpta voluntate acceptio ad proprium usum E. g. ad comedendum: hanc præsumptam conditionatam voluntatem Lugo & alij vocant etiam interpretativam sic dictam, quod quis interpretetur facile consensurum Dominum si res ab illo peteretur.

## §. VIII.

## *Qualis Superioris Licentia Religiosis necessaria ad licitè, aut validè illæso voto paupertatis Operandum.*

45. EX præmissis §. Superiore difficultas gravis oritur spectans præcisè ad statum Religiosum, an Religiosus citra gravem voti paupertatis violationem possit aliqua sine Licentia accipere, aut donare sciens Prælatum non negaturum Licentiam, si eam peteret, etsi displiceat modus sic accipiendi aut donandi, &c. affirmare videntur plures apud Lugo *n. 56.* quibus favet Less. *lib. 2 c. 41. n. 79.*

Dicendum est Religiosum accipientem, aut expendentem aliqua sine scitu Prælati ex præsumpta præcisé Licentia conditionata, seu quam petitam non denegaret non excusari à vitio paupertatis seu à peccato contra votum paupertatis ex genere suo mortali, imo Prælatus sub pari culpa obligatur non habere talem consensum ut Licentia non petita res usurpentur, sed regulariter debet esse invitus ita Lugo *Disput. 3. à n. 124.* Sanch. *à n. 15. Suar. cit. c. 11. n. 7.* Less. cit. & Gormaz tract. *de actibus humanis Disput. 5. à n. 206.* Probatur prima pars, quod ex praxi oppositæ sententiæ enervaretur Regularis observantia, & paupertas; nam si prudenter creditur Licentia non concedenda, stulte peteretur, ergo necesse est judicare prudenter & probabiliter concedendã esse, sed pauca sunt, quæ non judicentur probabiliter concedenda à Superiore imẽdiato aut saltem mediato nempe à Generali aut Pontifice, aut hujus Nuntio si peterentur, ergo regulariter sine culpa saltem gravi contra paupertatem acciperentur, & expenderentur, hæc autem praxis enervat Regularem observantiam paupertatis.

Probatur pars secunda talem voluntatem sub mortali debet habere Prælatus, qualis est necessaria, ut non enervetur regularis observantia, & relaxetur votum paupertatis; sed ad hunc finem est necessaria voluntas improbans modum ex præsumpta præcisè voluntate conditionata acceptandi res oblatas, & expendendi ergo. Quare modus subditi operandi citra Licentiam ita potest displicere, ut ratione illius velit retinere totum jus in substantiam rei, talemque usum prohibere intendat, quantum potest, atque regulariter sic intendere debet in omni Religione disciplinata ut observant citati Doctores, regulariter inquam, quia si ex circumstantijs colligitur sic non fore invitum quoad modum, aut saltem non nisi leviter; tunc usus non foret contra substantiam rei sed ad summum contra modum (propter hunc autem præcisè non apparet grave peccatum Lugo *n.* 125.) imo aliquando nec contra modum, ut si nunc non sit accessus ad superiorem pro Licentia, & prudenter præsumo, quod non habeat

habeat repugnantem voluntatem, de qua plura lege apud Lugo *n.* sequente.

46. Dicendum igitur secundo ut Religiosus licitè quædam accipiat, aut expendat sine læsa paupertate, certum est non requiri expressam Prælati Licentiam, sed sufficere tacitam aut præsumptam actualiter (qualis est, quæ fundatur in consuetudine à Prælato scita nec improbata, cum improbari posset, censetur enim consentire per *numerum 44.* Lugo *n. 123.*) imo sufficere etiam præsumptam non præcisè conditionatam per numerum priorem, sed cum hoc addito, quod non solum rogatus daret Licentiam, sed quod nunc non habeat voluntatem omnino repugnantem, gravitérque obligantem, quoties Licentia non petitur, & licet modus displiceat, nolit tamen in his circumstantiis esse graviter illicitam rei substantiam. Ita Lugo *n. 125.* in fine ex omnium sententia.

Acceptio enim, & datio similium est ex genere illo actionum, quæ ut liceant, non requiritur positiva voluntas Prælati, sed sufficit non esse repugnantem, & ut non sint mortaliter malæ, satis est, si non sit graviter invitus, ex hoc enim capite per *n. 44.* in fin. plures excusantur à restitutione, & à furto.

Quod si ab hoc exemplo ducas argumentum contra conclusionem primam est magna disparitas, quod invitus rei Dominus attendat solum ad utilitatem domûs suæ, quæ regulariter non retardatur per hoc, quod sit solum invitus quoad modum displicentiâ non redundante in substantiam: Prælatus autem debeat attendere non tantum ad proprium, sed maximè ad Religionis utile, hoc autem poscit displicentiam circa modum accipiendi, & expendendi sine Licentia redundantem in substantiam rei ut probatum est.

Rursus contra partem secundam præsentis conclusionis nihil probat, quod Licentia conditionata non sufficiat ad audiendas Confessiones, ad assistendum matrimonio, &c, quia requiritur positiva voluntas Prælati concedentis jurisdictionem, secùs in usu rerum sine Licentia ac ad evitandum peccatum furti, sed sufficit non esse positivè invitum Lugo *Disput. 21 n. 45.*

## §. IX

## *Ad qualia & quanta possit se extendere Licentia Superioris, ne violetur votum paupertatis.*

47. Respondeo primò esse debere Licentiam validam & licitam: invalida erit extorta metu, aut precibus valdè importunis Sanchez *lib. 7. c. 19. n. 17.* (ut si detur ad declinandas subditi murmurationes) aut dolo Lugo *Disp. 3. n 129.*

*n. 179.* illicita autem si sit ad vana, aut superflua, qualia sunt statui paupertatis, quem quis profitetur, repugnantia Trident. *Sess. 25. c. 2. de Regular.* unde debet esse ad necessaria (qualia sunt victus, vestitus, habitatio medicinæ ordinariæ, &c. hæc enim & similia comprehenduntur sub alimentis quæ per *n. 32.* ex justitia sunt præstanda Religiosis) aut saltem utilia, ut sumptus moderati ad studia suo instituto conformia, quando Religiosus aliunde caret medijs; Religiosus enim est quasi filius Religionis, sub alimentis autem ad quæ tenetur Pater etiam comprehendi media addiscendi artem conditioni statûs congruam tradit Molina *tract. 2. D. 239*

Respondeo secundò in spectantibus ad victum, & vestitum intra limites decentiæ, & paupertatis debere inclinare potius Prælatum ad liberalitatem quàm ad parsimoniam, cum sit verissimum D. Bernardi effatum, *ubi non est abundantia, non est observantia*, unde cum regularis disciplina præferenda sit œri alieno contrahendo congruæ sustentationi necessario, præstat moderatum contrahere, quam sine illo relaxare disciplinam. Pellizarius *in manuali Regular. tr. 3. c. 6. n. 181.* aut potiùs numerus imminuendus est Religiosorum Lugo *n. 188.* monens Prælatum non debere excogitare omnes artes excusandi sumptus, sed sicut prudens æconomus, aut paterfamilias, qui nec parsimoniam nec prodigalitatem affectat, & advertere, quod multa apud sæculares, & nobiles redolentia avaritiam apud Religiosos Prælatos laudentur quasi effectus paup tis, quam debent fovere in subditis, hi autem videntes liberalem à Superiore sollicitudinem erga subditos magis sunt attenti, ut sint veri paupertatis cultores.

Respondeo tertiò generalem regulam Prælati in danda Licentia spectato jure communi posse esse, nempe ad tantam summam quantam ipsemet Prælatus potest expendere Lugo *179.* ipse autem potest prudenter expendere tantum, quantum ipse Conventus (quia hujus agit vices) rerum Dominus, si in unum conveniret, prudenter hic & nunc vellet expendere: ubi simul spectanda est fundatorum formalis, vel interpretativa voluntas, ac finis, ob quem fiunt expensæ. Hinc non solùm necessarios pro alimentis Religiosorum potest facere sumptus, sed etiam ut conservetur & foveatur communitas, hujus decor, honor, ac existimatio, unde potest aliquando expendere ad ornatum ac splendorem intra statûs Religiosi terminos: quo spectant ex proventibus non solùm superfluis, sed etiam ex necessarijs, hoc est, competentibus ad statum Religiosum, ut notat Molin. *Disput. 276.* Eleemosynæ plures, aut pauciores pro necessitatis majoris, aut minoris occurentia, donationes moderatæ titulo gratitudinis, aut conciliandi externos, non ad liberalitatis ostentationem, minùs ad consanguineos locupletandos aut ob respectum privatum, nisi ex privatis bonis moderatè tamen, sicut ex ejus Licentia alij subditi possent, ita Lugo *numero 185.*

Dixi spectato *jure communi*, quia Superiores subordinati nequeunt dare Licentiam majorem, quam habeant forte restrictam ab altiore: de jure autem communi varias refert sententias, de quantitate summæ Sanch. *lib. 7. moral. c. 19. n. 42.* Fagundez apud Pellizarium

*tract.*

*tract. 4. c. 2. n. 439.* relinquentes definitioni viri prudentis arbitrio faciendæ attentis opibus Monasterij, dignitate Prælati, vicibus occurentibus, earúmque numero, qualitate personarum, quibus est donandum abundantia aut penuria regionis, consuetudine Ordinis, ac Superiorum, alijsque similibus, ut observant cit. Molina, Sanch. Suar. quos citans Fagundez *lib. 7. in Decal. c. 6. n. 3.* Sic concludit. *Si Monasterium habeat 15. aut 20000.* millia Ducatorum in annos singulos pro reditibus, poterit *Superior donare saltem summam assignatam* à Panormitano (quæ est 20. aut 30. aureorum, ut habet *in capit. Cæterum de donationibus ad finem*) *ter in anno*, quia hæ vices non censentur crebro repetitæ respectu totius anni. Demum monet hic nomine Superioris venire etiam Superiores locales, proinde etiam Abbatissas respectu suarum Monialium idipsum posse fusè probat Sanch. *n. 44.* Provinciali autem liberaliorem concedit manum utpote habenti digniorem Prælaturam. Addo ex salmaticensibus discalceatis Theologis *tom. 3. tract. 12. de justitia puncto 12. n. 163. & 184.* etiam attendendum ad rigorem paupertatis, cum non sit idem omnium ordinum, sed alij strictiorem, alij minus strictam paupertatem profiteantur: strictior est paupertas Ordinum carentium dominio etiam in communi præ Ordinibus id retinentibus; ex retinentibus major Monachorum, quam canonicorum Regularium; ex Monachis major mendicantium præ non mendicantibus. Ex hac diversitate provenit non posse certam Regulam pro singulis dari.

## §. X.

## *An Licentia ad usus profanos & superfluos tollat à tali usu malitiam contra votum paupertatis.*

48. EJusmodi usum non fore licitum constat *ex n. 47.* restat ut decidatur, an ejus malitia opponatur voto paupertatis.

Affirmat Sanch. *lib. 7. moral. c. 19. à n. 21.* quia nec Prælatus, nec Conventus potest licitè hanc dare, ergo est nulla, sed Licentia nulla non tollit malitiam contra votum paupertatis. Ex hoc infert accipientes à Religioso sic expendente teneri restituere.

Contra hanc rationem insurgit Lugo *Disput. 3. à n. 130.* si Licentia est nulla, ergo Religiosus expendens in usus turpes incurrit pœnam proprietatis, cujus contradictorium docet ipse Sanch. *n. 25.* quod non cohæret cum ratione data, uti nec cum eo, quod *n. 55.* dicat Religiosum conscio, & annuente Prælato furantem ab Extraneo non peccare contra votum paupertatis, sed contra justitiam erga extra-

traneum, quod etiam asserit Suarez *c. 11. n. 15.* sed si Licentia ad usum turpem ex rebusConventûs non liberat à malitia contra votum, minus liberabit acceptionem rei alienæ.

Respondet Sanchez quod vitium proprietatis consistat in eo, quod Religiosus contra votum sibi quærat, aut appropriet sine Licentia, in casu autem postremo non sibi quæreret aut appropriaret, sine Superioris Licentia. Sed contra est, quod nec in casu quæstionis quidquam quærat aut usurpet sine Licentia.

Respondeo ad quæstionem in Religione rigorosè observante votum paupertatis non impedire, quo minùs usus sit malus contra votum paupertatis non defectu Licentiæ, sed ex natura voti in tali Religione, quia votum in ea non solum interdicit voventi usum rerum sine Prælati Licentia, sed quod velit etiam conservare statum pauperis seu quod non expendet in dedecentia paupertatem Religionis, qualia sunt usus profani, vel turpes. Lugo *n. 132.* fatetur dictam malitiam contra votum paupertatis non esse vitium proprietatis, eo quod hoc tunc contingat, quando ex bonis communibus Religiosus authoritate propriâ aliquid usurpat, & expendit, quod hic non fieret, etsi non posset auffere Licentia data omnem malitiam contra votum paupertatis.

Quod autem fieri possit ut etiam in actibus illicitis certa malitia inpediatur ex Licentia Prælati explicat Lugo *n. sequenti* ab instantia Pontificiæ dispensationis cum consanguineis ad contrahendum matrimonium, quo casu non solum Copula conjugalis illis redditur licita, ac immunis ab incestu, sed etiam impedit ne inter eos extra casum conjugij exercita sit incæstuosa, item dispensatus ad esum carnium non peccat contra prohibitionem Ecclesiæ, in qua est dispensatus, etsi earum esus sit turpis, dum furto sublatæ comeduntur.

Unde infert quod positâ Generali Licentiâ Superioris de possibili non repugnante nullus usus ad superflua, aut turpia inficeretur vitio proprietatis propter rationem proximè datam, at benè vitio contra votum paupertatis, quia tamen aliqui sumptus non dedecent statum pauperum, etsi contra aliam virtutem sint, uti forent contra temperantiam in cibum, & potum sanitati talis Religiosi noxium; hinc in simili casu non peccaretur contra votum paupertatis, cum supponatur non esse nimis pretiosum, & rarum, qualis opponitur statui pauperum. Ex hoc principio colligit Lugo *n. 135.* etiam pretium modicum datum meretrici non fore contra votum, quia non est pauperibus insolitum, consequenter non pugnat cum paupertate ex hoc.

Si petas quid Religiosis censendum necessarium, quid superfluum. *Resp.* Nomine necessarij venire non solum id, quod absolutè est necessarium, sed etiam illud, sine quo res non potest decenter, & congruenter conservari, tale enim est necessarium secundum quid, superfluum est, quod pensatis omnibus circumstantijs Religionis, personæ, loci, temporis, Officij nec ad vitam, nec ad decentiam statûs Religiosorum est necessarium, unde quod in una Religione censetur usus moderatus, in altero ut superfluus reprobatur, &c. Bassævus *tom. 1. v. Paupertas Religiosa n. 11.*

§. XI.

## §. XI.

### *An Licentia Prælati concessa ad superflua contra votum paupertatis, aut ad sumptus alijs virtutibus oppositos sit valida, & an ejusmodi Licentia ex parte Prælati possit esse licita?*

49. REspondeo ad primum probabilius Licentiam valere, ita Lugo *de just. Disput. 3. n. 137.* Contra Sanch. *lib. 7. moral. c. 19. n. 22.* Probatur quod nulla sit lex irritans talem Licentiam. Trident. enim *Sess. 25. c. 2.* de Regular. solum prohibet supellectilem superfluam, ac paupertati incongruam, non autem invalidat actum oppositum. Aliàs Religiosus ab Amico superflua dono accipiens invalidè acciperet vi hujus decreti, quod nemo dicit: & licet Pontifex ut supremus Prælatus prohibeat, non tamen auffert potestatem inferioribus Prælatis, ergo nec valorem contractibus. Nec obstat, quod Prælatus non sit Dominus, sed administrator constitutus à Conventu rerum Domino; hinc enim benè concluditur, quod concessio Prælati in fraudem aut grave damnum Conventus sit invalida, secùs si sumptus non sint præjudiciosi Conventui, esto hic, & nunc illicitè fiant, quia aliàs possent esse liciti facti in alios usus.

Confirmatur: Nemo vendentem pretiosas Imagines Religioso eas ementi cum Licentia Prælati obligabit ad restitutionem pretij: idem est si quis piscem magni pretij aut sanitati noxium vendidit Religioso pro pecunia, cujus usum habuit cum Licentia) ergo valet data Licentia.

*Resp.* Ad secundam §. quæstionem, Prælatum non posse licitè dare Licentiam in particulari, seu determinatè ad usum profanum aut turpem quia cooperetur actioni illicitæ subditi, posse tamen dare Licentiam in genere, seu citra limitationem ad usus licitos, sed relinquendo obligationem & totam curam ipsi Religioso delegato, per hoc enim non concurreret ad usum illicitum Religiosi positivè, ut patet in pari primò in concursu Divino generali, & indifferenti. Secundò Pontifex dispensans cum aliquo in esu carnium non restringit ad esum duntaxat licitum, aliàs si comederet carnes furtivas, aut valetudini nocentes, peccaret contra legem Ecclesiæ vetantem carnis esum, nec ideo Pontifex coöperatur huic illicitæ comestioni, sicut nec Sacrilegio Sacerdotis in loco interdicto ex Licentia Pontificis celebrantis cum peccato mortali. Ergo Generalis Licentia permittens quemvis usum etiam illicitum non censetur coöperari abutenti concessâ Licentiâ.

50. Sed hinc oritur difficultas, an defacto Prælatus Religioso concedens Generalem Licentiam expendendi aliquam pecuniam, censeatur eam restringere ad usus solùm honestos; Affirmat communis cum Sanchez. *n. 30.* quia præsumendus est concedere Licentiam gravi vocantem culpâ, quam continet Licentia ad vana, aut turpia. Secundò à pari: Pontifex dans Episcopo potestatem testandi præsumitur dare, nisi oppositum explicet, ad sola pia opera juxta communem cum Sanchez *Lib. 2. Consil. c. 2. dub. 51. n. 6.* Ergo etiam Prælatus censendus est ad usus tantum licitos dare: consequentia urgetur, quia dat talem, qualis ab eo peti solet.

Ex his idem Doctores inferunt restituenda esse ab illis, quia à Religioso acceperunt pro similibus ob defectum Licentiæ necessariæ, ne Religiosus sit Proprietarius, seu Authoritate propria expendens. Ob hæc fatetur Lugo *n. 142.* hanc sententiam esse probabilissimam.

Respondeo nihilominus cum Lugo citato oppositam esse probabilem, probatur in alijs materijs per responsum antecedens Licentia generaliter data, quantum est ex parte dantis, auffert totum impedimentum situm in defectu Licentiæ, seu in eo, quod subditus operetur invito positivè Prælato sine restrictione ad usus ex aliis capitibus illicitos, ergo etiam Prælatus Generaliter dans Religioso Licentiam dispensandi cum aliqua pecunia non restringit facultatem ad actus duntaxat pios, sed quantum est ex parte sua, tollit totum impedimentum: ita ut nullus usus, etsi sit illicitus contra alias virtutes, sit illicitus contra justitiam, seu injustus, hoc est, fiat invito positivè Domino pecuniæ sic expensæ, aut administratore Domini sive Conventûs. Ex his.

Respondeo ad argumenta Sanch. ad primum nego, quod Licentia Generalis non restricta ad usus pios sit ex parte Prælati culpabilis, non enim concedit pro usibus illicitis, sed quantum est ex se auffert malitiam injustitiæ ab jisdem usibus, qui fiunt contra castitatem, aut temperantiam aut justitiam erga extraneos.

Ad secundum est disparitas, quod dispensatio in lege sit odiosa, proinde sit strictæ interprætationis: cum ergo Lex Ecclesiæ prohibeat Episcopis simpliciter testari, ac etiam testari ad opera pia dispensando in primò, consequenter concedendo facultatem testandi, non dispensat quoad punctum secundùm, atque adeo potest testari ad sola opera pia, Prælatus verò Religiosus non potest dispensare licentiando subditum ad usum inhonestum, sed præcisè tollendo impedimentum unicum situm in defectu Licentiæ, hunc tollit, quantum est de se, quo sublato subditus non est proprietarius, sive non exercet actum invito positivè Domino, consequenter non facit injustitiam conventui.

Ex his sequitur non debere restitui ab jis, qui à Religioso in usus turpes acceperunt, v. g. meretrix aut alij pro illicitis acceptantes pecuniam, dummodo hæc non excedat summam, quam ex consensu Religiosus sine injuria Conventûs expendere potest in honestos usus.

Dices contra primam quæstionis in §. propositæ partem: talis Licentia est contra voluntatem Pontificiam declaratam in citato *Tridentino & Clement. 1. de statu Monachorum.* Omnia superflua ac pretiosa prohibentur. Secundò

Præla-

Prælatus non est rerum Dominus sed Conventus, ipsi autem administrare debet ad mentem Conventûs, qui consentire non potest in usus jure prohibitos. *Resp.* Ad primùm esse contra voluntatem Pontificiam prohibentem usum, secùs irritantem valorem, quia non auffert à Prælato facultatem necessariam pro Licentia amovente ab usú vitium proprietatis contra votum.

*Resp.* Ad secundùm ex *num. 49.* negando quod Licentia Generalis non restricta ad pios usus sit contra mentem Conventûs, nisi sumptus sint magni, aut fraudulenti, nec Conventus nec Prælatus consentire potest in usus illicitos ut tales, secùs, ne hi liberentur ab injustitia, sive vitio proprietatis, quia nullum jus prohibet illis, ne utantur facultate de se licitâ impediendi in Religiosis malitiam injustitiæ dominio Conventûs oppositæ, etsi nequeant impedire, ne penitus usus sit illicitus contra votum paupertatis per *numer. 48.*

Pro praxi advertit Lugo *n. 143.* in fine, quod etiam secundum oppositam sententiam Sanch. non sit obligatio restituendi accepta à Religioso ob turpem actum, nempe si Religiosus dans ex fine turpi mutatâ hâc voluntate turpi donet fœminæ, quæ E. g. est pauper, aut ex alio fine honesto, supponitur enim habere facultatem expendendi in usum honestum.

## §. XII.

## *Cujus Prælati Licentia necessaria ad usum licitum.*

51. EX hucúsque à *num. 43.* disputatis clara est necessitas Licentiæ Superioris, ut Religiosus validè, & licitè citra læsionem voti paupertatis expendat, sed cum in plerisque Religionibus Religiosus plures habeat Prælatos videlicet Generalem, Provincialem, localem E. g. Rectorem aut Quardianum, aut Priorem, imo in eodem domicilio nunc hunc, nunc alium, quæritur an Licentia hujus Prælati E. g. Rectoris, aut Prioris sufficiat, ut Religiosus valeat illâ uti primò in eodem domicilio sub novo locali Prælato. Secundò an in alio domicilio, ad quod transit.

Item an sit reus proprietatis in votum paupertatis licentiam petens à pluribus Superioribus pro certa summa non excedente singulorum potestatem, puta Rectoris, Provincialis, & Generalis sciens, quod nullus eorum concederet tantam simul summam.

Item an Superior etiam ad breve tempus possit pro se uti facultate, quam alijs concedere potest, eâque uti tempore, quo erit subditus sine nova Licentia.

*Resp.* Primo posse dare Licentiam Generalem pro toto Ordine, Provincialem pro tota Provincia, Localem pro proprio domicilio Religiosis non hospitibus, imo etiam his si juxta Regulam non minus subjiciuntur illi, ac alteri incolæ Superiori talis loci prout defacto sit in

in Societate, extra quam Superior localis non est Superior hospitum Lugo *n. 129.* Bellizarius *tract. 4 c. 2. n. 421.* Deducens hospitem Societatis reversurum ad suum domicilium, cum habeat cumulativè duos Superiores posse à quovis illorum petere Licentiam, non teneri autem ab utroque, unde non tenetur à Superiore hospitij. Quod si discedat de domicilio uno ad aliud oblata in itinere, potest accipere de Licentia Superioris Prioris, aut sequentis ad quem tendit.

Quid si subditus quid notabile recipiat, & expendat sine Licentia immediati Superioris animo petendi Licentiam à mediato sibi valdè benevolo sciens facilius concedendam.

Respondet Pellizarius *tract. 4. c. 2. n. 423.* post Sanchez *lib. 7. Moral. c. 19. n. 51.* talem non peccaturum vitio proprietatis, nec mortaliter sed leviter defectu Licentiæ expressæ, aut tacitæ Superioris Localis, quia operatur solùm ex Licentia præsumpta conditionata, quæ illum liberat à vitio proprietatis, sufficit enim, quod positivè non repugnet Superior ne censeatur furtum per dicta *à n. 44.* proinde nec vitium proprietatis.

*Resp.* Secundò fas esse uti Licentiâ etiam sub alio Prælato (nisi revocaverit, quia inquit Pellizarius *n. 433.* est gratia facta, quæ non exspirat morte concedentis) in eodem domicilio, secùs in alio, eo quod loci unius Superior non possit præjudicare Superiori loci alterius. Oppositum dic de Licentia concessa à Generali, aut Provinciali, non restricta ad locum.

Petentem à diversis Superioribus à singulis summam, quam concedendi jus habent, etsi appareat aliqua fraus intervenire, simpliciter tamen loquendo à vitio proprietatis liberat Pelliz. *n. 414.* utitur enim jure suo citra obligationem ad hunc effectum unum præ alio adeundi. Ejusdem mentis videtur esse Lugo *Disp. 3. n. 129.* ita loquens: *Licentia non dicitur dolo obtenta, quoties subditus tacet aliqua (dummodo nec implicitè significet oppositum) quæ si dixisset, Superior non concessisset.* Vide cit. Pelliz.

*Resp.* tertiò Superiorem posse pro se accipere, ac retinere oblata v. g. Breviarium, vestes, pecuniam absque novâ Licentia etiam cessante Prælaturâ Lugo de Pœnit. *Disput. 19 à n. 42.* quia similia habent præsentem effectum, ac executionem nempe usum excepta pecunia, de qua etiam fatetur, quod possit oblatam accipere, ac retinere præfato modo, non tamen eam cessante officio expendere sine Licentia Superioris. Disparitas inter retentionem pecuniæ, ac hujus expensionem est, quod retentio habeat tractum seu effectum successivum, ergo cum nequeat sibimetipsi dare Licentiam pro tempore depositæ Prælaturæ (sic enim sibi qua subdito delegaret facultatem, quod repugnat, quam tamen alijs delegare potest) idcirco eâ facultate sub novo Prælato uti non potest quoad usum pecuniæ, sed benè quoad usum vestium, Breviarij, &c. nisi hæc revocet.

Contra hanc doctrinam insurgit Dicastill. *de Pœnit. Disput. 3. n. 147.* existimans inconsequenter dici, quod possit retinere pecuniam, secùs expendere sine Licentia successoris, quia retentio pecuniæ non minùs est contra votum, quam ejus expositio, est enim quædam mora-

lis

lis acceptio, ergo sicut non licet expendere ita nec retinere pecuniam sine consensu successoris.

Responderet fortè Lugo ut prius esse disparitatem, quod pecuniæ retentio ex se dicat tractum successivum, secùs expositio.

## §. XIII.

## *An Prælati Regulares possint subditis concedere usum, aut administrationem temporalium, & quid Religiosi facti Episcopi aut Cardinales possint circa temporalia.*

EXplicatio hujus §. habetur infra *n. 301.*

## §. XIV.

## *An Religiosus ex Licentia Prælati habens pecuniam adusus honestos possit eam ludendo exponere? an lucrum notabile ludo perdere, aut hoc restituere ludens sine Licentia: & quid si Religiosus Societatis pro ministerijs spiritualibus accipiat stipendium, aut missam legat nomine alterius stipendiati.*

52. QUatuor puncta quæstio includit. Primò an possit ludo exponere. Secundò an totam lucri summam notabilem perdere. Tertiò an ludens sine Licentia, aut ludo sibi vetito debeat collusori lucrum reddere. Quartò an Religiosus Societatis possit pro ministeriis spiritualibus accipere stipendium, aut pro stipendiato legere missam.

*Resp.* Ad primum posse pecuniam moderatam ludo exponere (nisi mos, aut Ordinis Constitutiones ludum talem vetent) nempe si Religiosus studens, &c. annuatim expendat in sui sustentationem 100. aureos, potest anno uno in lusum honestum expendere quatuor aut quinque, dummodo intra id tempus in alios usus non necessarios aliam summam non expendat Lugo *n. 14.*

*Resp.* Ad secundùm cum eodem *n. 145.* totam summat posse perdere durante moraliter, eodem ludo, etsi species ludi mutetur, novíque succedant lusores, dummodo non omnes simul mutentur, aliàs foret novus moraliter ludus; finitio autem primo ludo nequit Religiosus ludo novo perdere, nisi moderatam summam, quia absoluto moraliter ludo lucrum cessit in dominium Monasterij Sanch. *c. 19. n. 84.* quod esse verum in rigore juris fatetur Lugo, nihilominus æquitas petit, ut lucrum hodiernum ex communi ludendi Licentia liceat

cras

cras ludo exponere, si redeat is, qui pridie perdidit.

*Resp.* Ad tertiùm Religiosum lucrantem ludo sibi vetito, aut summâ sibi non concessâ teneri collusori lucrum totum reddere, ita Lugo *n. 146.* amplectens sententiam communem Sanchez *num. 86.* improbans tamen ejus rationem: ipse autem dat istam, quod ludus sit contractus utriusque onerosus cum mutua obligatione, ac periculo perdendi ac lucrandi, sed talis Religiosus nequit subire hujusmodi periculum ac mutuam obligationem defectu Licentiæ, nec valor hujus contractus potest claudicare ex parte Religiosi, usque ad ratifactionem Superioris, uti possunt alij contractus.

*Resp.* Ad quartùm Religiosum Societatis accipientem stipendium, aut aliud temporale pro spiritualibus ministerijs probabilius peccare ex genere suo mortaliter contra votum paupertatis Sanchez *lib. 7. c. 28. n. 6.* Suarez, Pallao contra Belliz, *tract. 4. c. 2. n. 132.* Ratio est, quod votum paupertatis in Societate se extendat ad hunc actum, nempe non admittendi stipendia pro spiritualibus, nam *cap. 1. Exam. §. 3.* sic dicitur: *Tria vota in ea* (nempe in Societate) *obedientiæ, paupertatis & castitatis emittuntur*, postea materiam paupertatis sic explicat, *hic paupertatem accipiendo, ut nec velit nec possit reditus ullos ad suam sustentationem, nec ad quodvis aliud habere:* & infra eodem contextu, *neque etiam pro missarum sacrificijs, vel prædicationibus stipendium ullum accipere, vel Eleemosynam quæ ad compensationem ejusmodi ministeriorum dari solet, possunt admittere.* Ex hoc,

Infero reum esse voti paupertatis Religiosum Societatis celebrantem ex pacto, ut stipendium detur alteri, qui talis celebratione missæ acquirit dominium pecuniæ, & id transfert in alterum, quæ ratio probat talem non posse legere missam pro clerico privato pecunias recipiente pro missis, cum pecunia non acquiratur, nisi mediâ missæ lectione, quale jus nequit acquirere Sacerdos Societatis, Sanch. *num. 19.*

Nihilominus quuando quis obligatur ad missas vi beneficij, cum tunc fructus beneficij non acquirantur per lectionem missæ, sed exstinguatur obligatio seu onus connexum juri ad fructus beneficij potest Sacerdos Societatis lectionis missæ talem liberare ab onere præfato Sanch. *n. 18.* rectè inferens *n. 24.* etiam posse facere missam pro eo, qui jam recepit stipendium, at satisfacere est impotens, ut si defectu stipendij nequeat conducere alium celebrantem, tunc enim Sacerdos Societatis censetur gratis legere missam ob impossibilitatem stipendij dandi ab inope obligato, aut restituendi danti illud, si enid moraliter posset restituere, jam pro eo legens missam id acquireret obligato, quod non licet.

Circa dicta addo tria: primùm est quod sit valdè probabile non adversari voto paupertatis celebrare pro Amico, quem scio stipendium accepisse, quia celebrans nihil temporale admittit, cujus admissionem duntaxat votum paupertatis excludit, secùs quod simpliciter gratis velit exercere spiritualia ministeria ita Palao *parte 3. tract. 16. Disp. 2. punct. 11. num. 7.* Secundùm est, quod etsi juxta sententiam assertam in responso ad quartùm

tùm sit peccatum mortale, attamen non esse damnandum mortalis contra votum ex hoc præcisè capite monet Soar. *tract. 4. de Relig tract. 10. lib. 4. c. 8. n. 11.* Dicit ex hoc *præcisè*, quia alio titulo magnum esse periculum mortaliter peccandi probat ibidem sic, quod Religiosus accipiens hæc stipendia sine ulla Licentia clare incurrat in vitium paupertatis. Quod si illa accipiat ex Licentia dolosè obtenta, ut si petita sit Licentia ad rem accipiendam tacito titulo stipendij, probabilissimè etiam non effugitur vitium paupertatis, est enim Licentia subreptitia ob tacitum titulum in hac materia substantialem, nam eo cognito nunquam Licentiam dedisset. Procedunt dicta etiam de itinerante stipendium accipiente.

Tertium est quod etiam Sanch. *n. 15.* concedit eum, qui ante initam Societatem accepit stipendia pro missis ea debeat persolvere in statu Societatis post vota, si prius non satisfecit talis enim non acquirit stipendium, sed ex ejus acceptione contractæ obligationi justitiæ satisfacit. Addit *n. 2. 3. & 25.* talia sacra esse præferenda sacris ex constitutione debitis, secùs si post vota fuisset acceptum pro jis stipendium, nam per votum Societas acquirit jus in voluntatem Religiosi ad facienda sacra in Religione præscripta. Oppositum videtur verius etiam in isto casu, quia obligatio justitiæ est præferenda obligationi constitutionis non obligantis in conscientia ad legenda sacra, ita cit. Palao *n. 11.* Vide cit. Pelliz. *n. 149.* Ex Sanch. *num. 4.* Scribentem, quod non sit contra Societatis paupertatem accipere stipendia pro obligatione assignandi certum ministrum ad conferenda spiritualia E. g. Concionatorem, Confessarium, Lectorem Theologiæ, unde in Constitutionibus Societatis *parte 4. c. 7. §. 3.* Ubi oppositum exprimi videtur verbis illis: *non convenit ullam Collegij dotationem admittere, &c. ly non convenit*, importat Consilium.

## §. XV.

## *An contractus aut delictum Prælati aut subditi Religiosi noceat Monasterio.*

53. POst Disputata commoda ex bonis Religiosi Monasterio obvenientia solet communiter Quæri, an etiam nocere possit per contractus initos, aut delictum & commissum.

Dico primò delictum Religiosi etiam Prælati nequit nocere Monasterio, quia personæ delictum non debet converti in damnum Ecclesiæ per *regulam juris 76. in 6.* nisi ex delicto commodum accepisset Monasterium E. g. ex furto, est communis apud Pelliz. *tom. 1. tract. 3. c. 6. n. 36.* aut delictum præcessisset Professionem, & Professus dedisset bona sua Monasterio, tunc enim ex his est satisfaciendum. Dico secundò contractus à Religioso initos sine Licentia Prælati nullam parere obligationem civilem, seu talem,

quæ fundet actionem in foro externo, nec naturalem, seu in conscientia obligatoriam contra Lugo *Disput. 3. n. 222.* ita Wadingus *de contract. Disput. 2. dub. 2. §. 2.* Probatur, quia inhabilis ad acquirendum, aut transferendum dominium est inhabilis ad contrahendas obligationes, sed Professus absque Licentia Superioris est inhabilis, ergo.

Non est Paritas à votis, quæ à Religioso emissa absque scitu Superioris obligant naturaliter, seu in conscientia, donec Superior irritet, quia Religiosi non fiunt inhabiles ad obligationes relatè ad DEUM, secùs relatè ad humana, quibus renuntiârunt, nisi obligatio oriatur ex delicto, sic Religosus ex facto, aut illato damno in conscientia debet reparare damnum.

Econtra omnes contractus celebrati à Religioso ex Licentia expressa, aut tacita Prælati (idem dicas de contractibus Prælati ex Licentia Conventûs, ut emptio, venditio, commutatio, &c. E. g. à Procuratore, vel administratore, aut à misso ad negotia tractanda obligant civiliter, & naturaliter, seu in utroque foro, quando illi limites suæ administrationis non excedunt Lugo *n. 218.* éstque communis, nihil enim tunc ad valorem contractûs desideratur, hinc.

Patet primò Conventum obligari ex mutuo accepto à Religioso studente expenso in res necessarias, quando illic alitur expensis Conventûs, secùs si expensis alterius, citatus Lugo.

Patet secundò depositum apud Religiosum hujus culpâ perditum etsi illud ex Licentia Prælati acceperit, Conventus non teneri resarcire, quia culpa Religiosi non nocet Monasterio, nisi fuisset ipsi commendatum Lugo *n. 219.*

Patet tertiò mutuum acceptum a Prælato ad res Monasterio comparandas, cum hic legitimè transiverit in Monasterii dominium, teneri Conventum bonifacere, etsi Postea Prælatus mutato animo malé expenderit Lugo *n. 218.* ex Sanchez *lib. 7. c. 31. n. 28.*

Circa conclusionem secundam dubitatur, an licet Religiosus non obligetur alteri vi contractûs, alter tamen obligetur stare contractui, donec rescindatur à Prælato. Affirmat cum plurimis Sanch. *n. 28.* Lugo *n. 221.* Quia Religiosus gaudet privilegio minoris & pupilli, qui si contrahant sine authoritate curatoris, & Tutoris, contractus ex parte illorum claudicat, id est, non ipsi, sed alij, cum quibus contrahunt, tenentur stare contractui, *Lege Julianus §. si quis à pupillo ff. de actionibus empti.*

Negat Less. *lib. 2. c. 41. dub. 12. n. 90.* Palao *p. 3. tract. 16. Disput. 3. p. 15. n. 7.* Salmanticens ex Generali regula æqualitatem esse servandam in contractibus, à qua non excipitur contractus Religiosi, nec privilegium memoratum potest ad eum extendi, nam in Privilegijs in jure exorbitantibus non debet fieri extensio de uno casu ad alium, maximè si eadem ratio in eo non currat, uti hic non currit, jus enim pupillo & minori favet ob defectum ætatis. Utraque sententia est probabilis, at probabilior videtur negativa.

§ XVI.

## §. XVI.

## *Corollaria Practica.*

54. COlligitur primò Prælatus ex Officio proinde ex justitia sub peccato mortali obligatur ad sequentia.

Primò ad procurandum bonum tum spirituale tum temporale Religiosorum: ex spiritualibus debet per se aut ab ipso substitutum Administratorem suis temporibus Sacramenta. Trident. *Sess. 23. c. 1. de reform.* præsertim pestis tempore etiam cum vitæ periculo.

Secundò ad procurandam observantiam Regularem, & Constitutionum Ordinis etiam ad nullam culpam obligantium Sanch. *lib. 1. moral. c. 6. n. 19.* Pelliz. *tract. 3. c. 6. n. 5.*

Tertiò delinquentes subditos Religiosos corripere, & punire, hoc enim est medium necessarium ad Regularem disciplinam, imò, & inquisitio morum subditorum, ne ex occultatione maneant delicta impunita. Hic tamen opus est magnâ prudentiâ, nè Prælatus se reddat exosum, unde *non sit nimius, non sit Zelotypus, & nimis suspitiosus* inquit S. Benedictus *c. 64. Regulæ suæ*, éstque etiam S. Thomæ *secunda secundæ quæst. 33. Art. 2. ad. 4.* Et ibi Cajetanus in fine, ad prudentiam spectat quædam leviora interdum dissimulare, ut postea correctio sit fructuosior.

Quartò ad ejusdem Officium spectat subtrahere suis occasionem propinquam peccandi, atque adeo ministeria talia eis non committere in quibus spectatâ eorum fragilitate nequeunt esse moraliter liberi à peccato gravi Sanch. *lib. 6. moral. c. 2. n. 53.* qui de matrimonio *lib. 10. Disp. 12. n. 52.* Rectè colligit Prælatum prudenter suspicantem gravem Religiosi excessum posse cum testibus idoneis observare eum ex fine illum convincendi, corrigendi, aut puniendi.

Quintò cum instauratio Regulæ collapsæ, & reformatio morum sit necessaria ad cummune Religionis bonum, ex Officio incumbit Prælatis obligatio quam maxima abolendi abusus inductos Trid. *Sess. 25. c. 1.* de Regul. de modo reformandi vide Pelliz. *tract. 1. c. 5. à. n. 5.* Sanch. cit. *c. 2.* Vasq. *1. 2. Disput. 145. cap. 4.*

Media Præcipua sunt oratio mentalis, exacta Regularum omnium observantia, recta Juniorum educatio, electio bonorum Prælatorum (Prælatus enim dissolutus disciplinam non audet procurare, ne audiat illud, *Medice cura te ipsum* & Ecclesiast. 10. *Qualis est Rector civitatis, tales & habitantes* in ea) fuga nimiæ evagationis extra claustra, evitatio familiaritatis sæcularium, restrictio nimiarum exceptionum (hæ enim invertunt Regularem disciplinam: de hoc vide formidabilem casum plurium Religiosorum æternam damnationem propriam attestantium Priori Monasterij apud Delrium *lib. 6. Disquisitionum Magic. c. 2. Sect. 3. q. 3.*

*q. 3.* inductio vitæ communis in victu, & vestitu, &c.

Quæ temporalia sint ex justitia præstanda Religiosis. Breviter constat ex *n.* 47. hæc obligatio cessat respectu legitimè ejectorum etiam Sacerdotum, aliàs commodum reportarent ex delicto; hinc plures è Societate Sacerdotes dimissi prætendentes postmodum alimenta ab eadem, causâ suâ eciderant etiam in curia Romana, si tamen Apostata, aut fugitivus captus ab aliquo reducatur, debet Religio expensas refundere titulo utilis negotiorum gestoris Sanch. *c. 9. n. 22.* id ipsum amplians ad eum, qui pœnitudine ductus redit sponte, si enim Religiosus prævenit obligationem Religionis obligatæ ad eum inquirendum, ac revocandum.

Item tenetur Religio Religiosum apud infideles captivum redimere si potest expensis moderatis, secùs immoderatis Pelliz. *tract. 3. c. 6. n. 35.* monens hac in re potiùs debere Religionem abundare, quam deficere attentis circumstantijs personæ, &c. de reliquis patet ex dictis.

55. Colligitur secundò Scholasticos Societatis ad tempus retinentes dominium non posse uti rebus suis sine Licentia Superioris citra violationem paupertatis, ita Gregor. 13. *in Constit. Ascendente Domino.* Postquam dixit eos retinere dominium subdit. *Etenim tamen quantum ad illorum usum Religiosum paupertatem servant, neque ulla re tanquam propria sine Superioris facultate uti possunt.* Ideò dicuntur, *non posse*, inquit Soarez, *tom. 3. de Religiosis. Tract. 3. lib. 4. c. 6. n. 2.* Quia agerent contra Religiosam paupertatem, & *n. 3.* subjungit formalia Congregationis quintæ Generalis Can. 7. *Qui post tria emissa vota substantialia res suas distribuit, vel illis se abdicat sine superioris facultate facit contra votum paupertatis.* Addit *n. 4.* hoc esse ex genere suo peccatum mortale, sed quia res, quæ expenditur non est Religionis, sed propria, & quia non delinquitur usurpando & retinendo, quod magis paupertati repugnat, quam abdicatio, ideò major quantitas requiritur ad peccati gravitatem. Et cum non Superioris judicium sed voluntas ponat distributionem in materia voti: hinc esto Superior judicaret aliquam dispositionem meliorem eâ, in quam subditus inclinat, hanc amplectendo, licèt imperfectius operetur, non tamen peccat contra votum paupertatis, prout peccaret, quando Superior non tantùm judicat, sed etiam vult illa fieri, quod est melius in tali materia, tunc enim jam urget necessitas voti cum usus bonorum prohibitus usurpetur.

Rursus si dubium est, an bona sint consanguineis distribuenda, & Superior statuat, ut id fiat secundùm formam Constitutionum designando duos, aut tres viros prudentes, quorum judicium Religiosus sequatur, hic pariter tenebitur ex vi voti paupertatis illum distributionis modum observare, quæ omnia tradit cit. Suarez *n. 5.*

Dices: ergo Societatis Scholasticus sine alia Licentia particulari potest licèt pro sua devotione distribuere saltem in pia, & sancta opera v. g. in pauperes, hospitalia, &c. quia ad hoc faciendum habere videtur Universæ Societatis voluntatem Exam. Generalis *c. 4. §. 1.* Quin aliquid sit præscriptum circa modum observandum inter ipsos pauperes, neque Superiori

riori commissum est circa hoc quidquam, sed totum devotioni donantis, proinde etsi ille vellet ita fieri, non faciet ejus voluntas tunc spectare materiam ad votum paupertatis E. g. ut si designaret subdito certum pietatis opus, v. g. ut det sua Societati nolens Societati dare non videtur peccare contra votum paupertatis. *Resp.* Cum Suarez *à n. 6.* hanc objectionem fusè prosequente & dico cum eodem *n. 10.* illationem fuisse probabilem ante *citatum canonem 7. Congregationis 5.* qui cum, aut novum jus in Societatem hac in parte introducat, aut vetus authoritativè declaret dicendum est simpliciter, ac sine ulla distinctione piorum operum, aut profanorum quod foret illicita contra votum paupertatis distributio in quævis opera, si fiat absque directione Superioris saltem præsumpta. Est igitur consensus Superioris necessaria conditio, ne distributio talis sit sacrylega contra votum paupertatis, neque verba illa Constitutionis *pro devotione sua* (in quibus totum robur factæ illationis est situm) repugnant decreto allegato *Congregat. quintæ.* Quia non excludunt præviam Licentiam Superioris ad Generaliter disponendum, sed excludunt necessitatem Licentiæ peculiaris ad piè disponendum, vel ad disponendum in hæc vel illa pia opera.

56. Colligitur tertiò Religiosum peccare contra votum paupertatis sine Licentia rem pretio æstimabilem accipiendo, retinendo, absumendo, donandooccultando, &c. quia votum interdicit omnem usum dominij absque Licentia Superioris secundum omnes, imò etiam cum Licentia usum superfluorum, &c. per *n.* 48. quare reus est Sacrylegij accipiens pecuniam ab amico etsi eâ comparet libros, eósque palam exponat, incorporétque Monasterio, quia pecunia acceptata statim acquiritur Monasterio *per n. 32. 34. & 37.* ergo nequit expendi in libros sine Licentia Superioris Lugo *Disput. 3 n. 153.* amplians *numero 156.* Ad accipientem cum Licentia librum sed occultantem, ut inveniri nequeat: sic enim intenditur libri possessio independens à nutu Superioris.

Item peccant Religiosi res usui suo concessas sine Licentia saltem tacita invicem mutuando, aut commodando, usuarius enim nequit concedere usum rei permissæ, ut habetur, *institutionum de usu & habit. §. 1. & 2.* in rebus autem parvis, & crebro occurrentibus censetur esse facultas tacita, & Generalis saltem ad tempus breve Sanch. *lib. 7. c. 19. n. 65.*

57. Colligitur quartò Peccare Religiosum contra votum paupertatis res ad usum sibi concessas transferendo de loco uno ad alium absque Licentia, nisi contraria consuetudo vigeat sine contradictione Superioris. Item si sibi appropriet aliquid ex bonis communibus Monasterij, sive esculenta, sive poculenta, sive alia utensilia Less. *lib. 2. c. 41. n. 78.* nisi ea injustè deneget Superior Fagundez *lib. 7. in Decalogum c. 5. n. 38.*

Quid si esculenta, & poculenta offerantur ab externo præsertim pretiosa ea absumens sit ne reus voti paupertatis, negat Lugo *Disput. 2. n. 51.* Ex hoc principio, quod absumens cibos se solùm habeat passivè, offerens verò activè absumendo illos per os Religiosi, velut suum instrumentum, sicut si per manus Religiosi projiceret gemam pretiosam in Mare. Sed hæc sententia à cæteris merito reprobatur (éstque sententia hæc prohibita doceri

ceri in noſtris Scholis per *n. 398.*) cum in morali æſtimatione non Dominus comodat, & alatur, ſed Religioſus, ipſéque Lugo paupertatis reum damnat cibos apud ſe retinentem (eſtò proteſtetur Dominus ſe eorum dominium retinere apud ſe) ita ut jis Religioſus utatur in cella ſua Nomine Domini, econtra in projectione gemmæ in morali æſtimatione cenſetur ſe habere Religioſus merè paſſivè, etſi phyſicè ſe habeat activè.

58. Colligitur quintò non eſſe contra votum paupertatis ad petitionem alterius, acceptísque ab eo coloribus pingere illi pretioſam Imaginem, ſic enim operam ſolùm ſuam impendit alteri, quod non eſt contra votum, cum nihil ſibi ſed alteri acquirat, oppoſitum dic de Imagine picta ad nullius inſtantiam, talis enim acquiritur Monaſterio, conſequenter nequit donare Lugo *Diſput. 3. n. 14.*

Quid licite citra læſionem paupertatis expendere poſſint Religioſi æconomi, Procuratores, & Adminiſtratores temporalium attendenda eſt voluntas Superioris aut Ordinis, aut conſuetudo recepta, quam ſi excedant, peccant contra vota ex S. Thoma *2. 2. q. 32. Art. 8. in corp.*

Eſt autem communis conſuetudo Religioſos ſtudentes, Peregrinantes, aut negotij gratia extra clauſtra Conſtitutos moderatas facere Eleemoſynas, ac donationes, nempe juxta ſtatûs ſui conditionem Lugo *n. 167.*

Hinc ſi Religioſus emit cum Licentia Superioris quædam ſolita alijs diſtribui, ut Imagines, Cruces, Roſaria, &c. hoc ipſo quod Superior dederit facultatem pro jis comparandis, etiam indirectè dedit facultatem eadem donandi. Sanch. *lib. 7. c. 19. n. 70.*

Item Generaliter potens ex Licentia dare, & accipere poteſt vi ejusdem Licentiæ etiam emere, & vendere (niſi ſpecialis appareat turpitudo in tali venditione, unde habens facultatem diſtribuendi Imagines, &c. non poteſt vendere) quia venditio & emptio nihil eſt aliud, quam datio, & acceptio limitata, nempe ſub conditione pretij Lugo *n. 159.* recte monens eum, qui habet facultatem ſolùm dandi vendere non poſſe, quia venditio continer etiam, acceptionem pretij, quæ non eſt datio.

An Licentia dandi uni conceſſa eo ipſo etiam ſit Licentia accipiendi in alijs ejusdem Prælati ſubditis, dubitari poteſt? *Reſp.* De rigore juris non poſſe affirmari, cum liberum ſit Superiori aufferre impedimentum, nempe defectum Licentiæ ex parte unius, non alterius, aliàs diſpenſans cum habente votum caſtitatis ex fine contrahendi matrimonium, hoc ipſo diſpenſaret cum alijs in voto caſtitatis ut cum eodem contrahant. Quare hac in re debet mens Superioris explorari: Declaravit autem P. Mutius Videleſcus Generalis Societatis pro ſuis apud Lugo *n. 165.* quod habitâ Licentia in uno ad dandum ſit etiam in altero Licentia acceptandi, & econtra dummodo fide bonâ procedatur.

59. Colligitur ultimo Religioſum non eſſe reum Sacrylegij contra votum paupertatis in uſu rerum, circa quem ſe habet vel phyſicè vel in morali æſtimatione merè paſſivè velut purum alterius inſtrumentum (quia ſic phyſicam facultatem non extendit ad aliquid, ad quod haberet ligatum vinculo proprietatis alterius Superioris voluntate) ut ſi ſæcularis accendat ignem ad Religioſum Calefaciendum, aut quid odoriferum pretioſum ad recrean-

recreandum ejus olfactum, aut exhibeat spectaculum pretio dignum, aut vehat secum in curru, aut si per manus Religiosi si projiceret gemmam pretiosam in Mare, hoc casu Religiosus in consideratione physica non habet se merè passivè, at benè in æstimatione morali, cum moraliter seu Prudentum judicio perinde sit, ac si Dominus ipse gemmam abjiceret. Idem est, si Dominus dat Religioso pecuniam, quam reddat tertiæ personæ sine utilitate in ipsum redundante, aut Nomine Domini largiatur pauperibus; censetur enim purum Domini instrumentum: econtra quando Religiosus se non habet, aut physicè, aut moraliter merè passivè, neque ut purum instrumentum circa aliquas operationes, sed eas in commodum suum vertit per activnem, in qua in morali æstimationi sed habet activè, peccat contra votum pautertatis, qualiter diximus paulò ante se habere Religiosum sine Licentia prandentem apud sæcularem.

## §. XVII. Dissertationis I. Articuli VI.

### *Quinque sequelæ contra votum paupertatis & totidem Propositiones de paupertate in Societatis Scholis doceri vetitæ.*

DE his sequelis & propositionibus vide *à num. 393.*

# ARTICVLVS SEPTIMVS.

## *De Beneficiatorum Dominio.*

### §. I.

### *De Triplici genere bonorum Clericorum.*

60. CLericorum bona sunt Triplicia: Primò Patrimonalia ut acquisita titulo hæreditatis, Artis, Laboris, Contractus, &c. Secundò quasi Patrimonialia, quæ Clericis in fidelium gratiam occupatis dantur non tanquam fructus beneficij, sed ut merces laboris E. g. pro lectione Missæ, Concione,

ne, Funere, Sacramentorum Administratione, quo probabilius spectant distributiones pro præsentia, seu ea portio, quæ Canonicis ad Divina in Choro præsentibus dantur, etsi portiones ejusmodi sint extractæ ex redditibus Ecclesiæ, nam etiam tales sunt laboris stipendium, proinde profanantur ab Ecclesia, id est traduntur Clericis sine obligatione easdem expendendi in pias causas, sicut hoc modo profanatur ea pars, quam dat Ecclesia pauperibus, cantoribus, &c. Lugo *Disput. 3. n. 24.*

Item ut probat Haunoldus *tom. 1. tract. 4. num. 87.* Contra Navarrum Azor, &c. redditus Capellaniæ tam collativæ seu inamovibilis, quàm non collativæ sive amovibilis accensendi sunt, quasi Patrimonialibus, quia ex intentione fundatorum censentur esse missarum stipendia. Item proventus Vicarij temporalis sunt quasi Patrimoniales.

An fructus commendæ & pensiones sint bona quasi Patrimonialia decidetur *num. 66.*

Tertiò sunt bona Ecclesiastica, sive beneficiaria; hæc secundum originem spectant directè ad ipsam Ecclesiam, suntque ea, quæ primitus à fidelibus sunt oblata, aut incorporata, sive ea sint mobilia, ut vasa sacra sive immobilia ut prædia, horti, decimæ, &c. Ad ministrorum sustentationem.

In primitiva Ecclesia fuerunt hæc bona communia pro indigentibus *Can. Quoniam quidquid causa 16. q. 1.* Hanc vivendi rationem introduxerunt Apostoli Hierosolymis degentes non recipientes ulla stabilia (non quod non licebat, sed quia non expediebat, eo quod ob persecuiones in Judæa Ecclesia esset transferenda ad gentes) hinc fideles prædia sua vendentes pretia eorundem offerebant Apostolis, fuerántque assignati Diaconi, qui ea singulis distribuerent, & superflua pauperibus erogarent, ut habetur *Actor. c. 4. & 5.*

At postquam persecutio fuit suspenta, & Principes sæculares facultatem dederunt profitendi Evangelium, crescerétque multitudo fidelium, ac Ministrorum, expediebat habere prædia, seu bona etiam immobilia, ex quibus perpetuo provideretur Ecclesijs, hujusque Ministris more veteris Ecclesiæ ex mandato DEI in singulis tribubus possidentibus prædia Sacerdotibus, ut constat *ex c. 34.* Numerorum *cap. videntes causa 12. q. 1.* Ubi Urbanus Papa fatetur tunc adhuc Clericos ex his bonis nihil proprium habuisse, sed alebantur in communi ex communibus Ecclesiæ redditibus, unde inquit Gormaz *Disput. 8. n. 415.* Canonici Regulares dicebantur: postea cum Clerici ægre carerent bonis proprijs, fuit jis permissum dominium Patrimonij eâ tamen lege ut proprium possidentes nihil acciperent ex destinatis in sustentationem pauperum Clericorum, ac Laicorum.

Tandem aucto numero Clericorum cessavit communis eorum cohabitatio, bonáque Ecclesiæ cœperunt dividi in 4. classes. Primà erat pro mensa Episcopi, Secundà pro Ecclesiæ fabrica. Tertià pro Eleemosynis in pauperes, peregrinos, aut pro causis pijs Quartà pro mensa capitulari, ut ea inter Clericos Beneficiarios pro singulorum dignitatibus dispensaretur.

Divisio hæc cæpit sub Annum 471. sub Simplicio Papa *Can. de redditibus causa 12. q. 2.* Ubi jubet ut Gaudentius Epi-

Episcopus, qui triennio tres Reliquas portiones sibi tantummodo vendicabat, restituat, quia inquit Glossa verbo *triennio*, licet per triennium possederit res Mobiles Ecclesiæ, furtum commisit.

Verum hæc divisio non fuit constanter observata: unde factum, ut pars pauperum teste Palao in nulla ferè Ecclesia intacta reperiretur, hodièque ignoretur, quo devenerit, an cum Episcopi, aut Clericî portione sit confusa? an nova inde erecta beneficia? aut an ad sæculares pauperes pervenerit? Ubi Notandum, quod esse bona pauperum non sit quid essentiale, ac intrinsecum ipsis bonis: si enim ita esset, etiam postquam pauperibus dantur, retinerent hanc naturam, proinde nequirent expendi ab ipsis, nisi in pias causas contra omnes igitur possunt profanari, id est, cessare obligatio ea expendendi in causas pias. His præmissis.

61. Certum est primò Clericos habere plenum dominium Patrimonialium, & quasi Patrimonialium, quia nullus adimit eis horum proprietatem, & quidem de Patrimonialibus est indubitatum, de quasi Patrimonialibus plerique sentiunt Canonistæ id ipsum contra Innocentium & Abbatem: Ministri enim Ecclesiæ non debent esse deterioris conditionis, quam sæculares. Hi autem acquirunt stipendiorum proprietatem: atqui per *n. 60.* quasi Patrimonialia sunt quasi stipendia. Hinc.

Certum est secundò si Beneficiarij ex præfatis bonis vixerint, posse eos uti compensatione ex fructibus beneficij (nisi forte expressè intenderint non uti compensatione, quod non est facile præsumendum, cum nemo privet se jure suo) nemo enim tenetur militare propriis stipendijs.

Certum tertiò quod bona beneficialia, seu Ecclesiastica stabilia, &c. non sint in dominio Ecclesiasticorum in particulari, probabilius tamen est eorum dominium esse penes communitatem Clericalem, administrationem autem eorundem esse penes particulares nempe Episcopos, Capitula Præpositos, &c. *per n. 31.*

Difficultas est de redditibus bonorum, ex quibus erecta sunt beneficia, quis sit eorum Dominus Proprietarius. Communior veriórque sententia Theologorum contra plures Canonistas respondet ipsos Beneficiarios esse Dominos quoad eam partem fructuum, quæ congruæ sustentationi est necessaria. Ratio est, quia hæc pars est justa eorum merces, quam spectare ad eos ut Dominos est proximè dictum, unde dicitur Lucæ 10. *Dignus est operarius mercede suâ & 1. Corint. 9. Quis militat stipendijs suis unquam? nescitis, quoniam, qui in Sacrario operantur, quæ de Sacrario sunt, edunt & qui altari deserviunt, cum altari participant*: Hæc omnia stabiliuntur *Cap. cum sit Romana. De Simonia.*

Rectè autem monet Navar. *de redditibus q. 1. monito 45.* Quod sicut verum pretium non est indivisibile sed habet latitudinem, nempe datur infimum, medium, & summum, ita etiam congrua sustentatio suos habet gradus, unde sicut quisque licitè potest vendere rem suam pretio justo summo, ita potest pretium summum congruæ sustentationi necessarium appropriare sibi beneficiarius, proinde si sustentatio congrua se, suámque familiam sustentandi sit E. g. florenorum 500. media erit 600. summa 700. unde potest facere suos quotannis 700. florenos, consequenter quidquid ex his re-

manserit parcius vivendo, quam potuerit licitè, spectabit ad quasi Patrimonialia, consequenter poterit de jis licitè disponere etiam per testamentum in quosvis usus de se non malos etiam profanos Lugo *num. 53.*

Dictis quod habentes Patrimonium beneficiarij non teneantur vivere ex eo, sed ex fructibus Ecclesiasticis non obstat D. Hieronymus relatus *Can. quoniam quidquid. causa 16. q. 1.* Sic loquens: *qui autem bonis parentum sustentari possunt, si quod pauperum est, accipiant, sacrilegium profectò committunt, & per abusionem talium judicium sibi manducant, & bibunt.* Non obstat inquam, quia ut glossa ibi notat: loquitur de Clericis non servientibus Ecclesiæ, quibus etiam primis temporibus sustentatio dabatur ex relicta portione pro Eleemosynis. His ut certis stabilitis.

Controversia tota superest decidenda, an redditûum superfluorum, hoc est, excedentium summam quantitatem congruæ sustentationi necessariam Beneficiarij sint Domini, & in quales usus possint, debeàntque expendere: Sit itáque.

## § II.

## *An Beneficiarij sint Domini redditûum superfluorum.*

62. NEgat Navarrus post Archidiaconum, quam sententiam fusissimè propugnat P. Gormaz hic *Disput. 8. à n. 431.* ad *n. 483.* concedens Beneficiatos redditûum superfluorum esse Dominos adæquatos adæquatione objecti, seùs adæquatione juris: Unde negat esse plenos Dominos: dicit enim, quod ubi non exstat distincta portio pro pauperibus à fructibus Beneficij, portio eorum sit commixta, & confusa cum hisce fructibus, hoc casu Beneficiarius acquirit jus ad totum non totalitate juris, quia debet ex eo toto extrahere aliquid, & ex justitia dare pauperibus, sed totalitate objecti: ad hoc enim satis est, quod bona extrahenda pro pauperibus, ita sunt commixta suis, ut nequeant decerni. *Argumento expresso, si alienis nummis ff. de solut. & liberationibus*, ubi decidîtur alienos nummos meis commixtos, quin possint discerni, fieri meos: nihilominus ex justitia debeo eos restituere illi, cujus erant: sic si sustentationi congruæ aliquid superfit Beneficiatis, hoc ex justitia debetur pauperibus: consequenter hi habent ad id jus proprietatis ad rem, ut urget Præfatus Author.

Affirmat communior Theologorum, & Canonistarum ultra 50. citantur apud Haunoldum *tom. 1. tract. 4. n. 68.* inter quos Prosper Fagnanus celebris Canonista.

Dico primò ubi reperitur etiamnum portio pauperum seorsim assignata, debent Beneficiati ex justitia eam expendere in

in pauperes, proinde non sunt ejus pleni Domini, sed Administratores (ut habetur *in Can. 39. ex Apostolicis*) Procuratores (*ut Can. si privatim. Causa 12. q. 1.*) Defensores, & Patres ut notat Glossa ad citatum proximè Capitulum, & si bene administrant, habentur loco Domini, si malè loco Prædonis. Hinc simplicius *Can. vobis causa 12. q. 2.* præcepit Gaudentio Episcopo tres alias portiones sibi applicanti restituere easdem, ubi Glossa *verbo triennio* monet eum in his portionibus commisisse furtum, quia erant distinctæ à sua. Huc spectant bona hospitalium utpote principaliter attributa necessitatibus pauperum, & ex consequente necessitatibus Ministrorum, ut expressè tradit S. Thom. *Quodl. 6. Art. 12. ad 3.* Conclusio per se patet.

Dico secundò Beneficiarios esse plenè Dominos superfluorum fructuum, ubi post erecta Beneficia non reperitur portio seorsim assignata Pauperibus: ita cit. D. Thomas. *Aliter inquit de illis bonis, quæ sunt principaliter attributa usibus Ministrorum, sicut sunt præbendæ Clericorum, & alia hujusmodi, in quibus non committitur peccatum, nisi per abusum, unde non tenetur quis ad restitutionem, sed solum ad pœnitentiam agendam.*

Probatur primò si Beneficiati faciunt fructus suos, acquirunt plenum eorum dominium, sed Beneficiati faciunt fructus suos. Major probatur, quod fieri Dominum, & facere rem suam convertantur *per cap. unicum de Clericis non residentibus in 6.* Ubi Bonifacius 8. dicit, quod à Divinis absentes distributionum *Dominium non acquirant nec faciant eas suas.* Probatur etiam Minor ex *Tridentino Sess. 23. c. 1. de Reform.* Ibi: *Si quis autem, &c.* Circa medium statuente in non residentes, *quod fructus non faciant suos*, ergo à contrario sensu, residentes faciunt fructus suos.

Confirmatur. Si non essent veri Domini *Trident. Sess. 25. c. 1. de Reform.* Non tam severo præcepto eis interdixisset, reddituum profanationem, sed declarasset non esse veros Dominos, proinde jure naturali teneri expendere in pauperes.

Probatur secundò: Quamdiu est dubium jus ad superfluos fructus in pauperibus, tamdiu non est Beneficiarijs imponenda certa obligatio justitiæ dispergendi eosdem inter pauperes, sed ubi non exstat separata portio pro pauperibus, in his est dubium jus ad fructus superfluos, cum ignoretur, quo devenerit per *n. 60.* in fine nec id agnoscit citatus D. Thomas, neque Pontifices scientes nostram sententiam practicari obligant ad rescindenda pacta, donationes, expensásque in usus profanos ex superfluis, deberent autem rescindi, & justitia administrari tot miseris personis, quales sunt tot milleni pauperes.

## §. III. Dissertationis I. Articuli VII.

### *An doctrina Superior procedat etiam de Religiosis Episcopis, & Promotis ad beneficium inferius Episcapatu.*

DE hoc vide *à num. 397.*

## §. IV.

### *Satisfit objectis contra numerum 62.*

63. OBjicies primò multos Canones, sententias Patrum, & Conciliorum, quibus dicunt bona superflua Clericorum esse Pauperum: Clericos non esse Dominos, sed Administratores, Procuratores, &c. eósque si in profanos usus expendant esse fures, & sacrilegos, sed si ita est, pauperes habent jus ad rem relatè ad superflua, proinde Beneficiarij non sunt plene eorum Domini. Ergo. *Resp.* Primò si Adversarij ex Canon. sanctis Patribus &c. Volunt evincere intentum, debent etiam ipsi negare Beneficiatos esse Dominos congruæ sustentationis, habentes Patrimonium: nam ut habetur *Can. Clericos causa prima. q. 2.* S. Hieron. scribens ad Damasum Papam ait: *Ecclesiæ stipendijs sustentari convenit eos Clericos, quibus nulla Parentum suffragantur bona: qui autem bonis pareutum possunt sustentari, si quod pauperum est, accipiunt, sacrilegium committunt.* Et S. Prosper, *Can. Pastor Ecclesiæ citato loco dicit: Nec illi, qui sua possidentes dari sibi aliquid volunt, sine grandi peccato suo, unde pauper victurus erat accipiunt,* & tamen Adversarij concedunt nobiscum Beneficiarios esse Dominos congruæ sustentationis: quis neget sæculares esse plene Dominos superfluorum? & tamen simili loquendi modo utitur D. August *Epist. 50. ad Bonifacium comitem virum militarem* relatus *Can. final. c. 12. q. 1.* *privatum*, inquit, *possidemus, quod nobis sufficiat, non illa nostra sunt, sed puperum, quorum procuratione nobis usurpatione damnabili, vindicamus.*

*Resp.* Secundò Canones aliquos conditos esse ante factam divisionem, quo tempore erant omnia communia Clericis; aliquos loqui post divisionem, ac erecta Beneficia pro casibus, in quibus constabat de portione separata pauperum: idcirco simplicius Gaudentium Episcopum obligabat ad restitutionem per *numer. 60.*

Alios

Alios loqui de bonis stabilibus, ac proprijs Ecclesiarum quorum proprietas non est penes Clericos in particulari sed in communi per *numerum 61.*

Pariter explicandi sunt sancti Patres, quorum aliqui intelligendi sunt de casu necessitatis extremæ, in qua, ut videbimus sic egentes habent jus ad rem, & potentes ex justitia tenentur sublevare illos. Deinde Patres aliquos loqui hic exaggerativè passim notant Theologi cum Vasq. Lugo, &c. Sicut D. Bernardus *Epist 2 Art. 4. & lib. de considerat. ad Eugen.* Pontificem Laicos Divites pauperibus non subvenientes vocat homicidas.

64. Objicies secundò cum Gormaz ea obligatio stringit Beneficiatos, quam omnes sancti Patres supponunt, atqui obligationem superflua expendendi ex justitia in Pauperes omnes Patres supponunt, ut August. ad Bonifacium Comitem *Epist. 50.* Hieronym. ad Damasum relatus *Cap. quoniam quidquid causa 16. q. 1. Quoniam inquit quidquid habent Clerici, pauperum est.* Hinc expendentes Clericos in profana vocant fures, sacrilegos.

Confirmatur primò si Beneficiati essent Domini superfluorum, forent vel jure Hæreditario, vel donatione, neutrum dici potest: de primò est certum. Secundum probatur, quod bona Ecclesiæ sint bona DEI per *Trident. Sess. 25. c. 1. de Reform.* Sunt Patrimonium Christi, nec Ecclesia valeat donare bona superflua, cum duntaxat ea administret: unde habetur *Can. non liceat, causa 12. q. 2. Non liceat Papæ prædium Ecclesiæ alienare.*

Confirmatur secundò Res DEO consecratæ soli administrationi, secùs Dominio Clericorum subsunt; sed etiam portio destinata sustentationi Ministrorum est res DEO consecrata: Nam S. Thom. *2. 2. q. 99. Artic. 3. Corp.* Quadruplicem speciem sacrilegij seu irreverentiæ contra rem sacram tradit pro totidem generibus rerum sacratum videlicet rerum, ut sunt Sacramenta, vasa ac reliqua DEO consecrata, item locus sacer, ac personæ sacræ, demum *ea, quæ sunt*, inquit D. Thom. *deputata ad sustentationem Monasteriorum, sive sint mobilia, sive immobilia, quicúnque autem quodcúnque prædictorum peccat, crimen sacrilegij incurrit.*

*Resp.* C. Ma. n. Mi. ad cujus probationem dico exaggerativè dici Ecclesiasticos ex superfluis non succurentes egentibus esse fures, sacrilegos, Raptores: idque patet primò ex D. Bernardo relato in fine *num. 63* August. est contra Adversarios: loquitur enim ad Laicum per citatum numerum. Si sanctus Hieronymus citatus stricte intelligendus est, sequitur, quod etiam Patrimonialia, & quasi Patrimonialia Clericorum spectent ad pauperes contra Adversarios, igitur exaggerativè loquitur, ut manifestè colligitur ex alijs ejusdem verbi relatis. *Can. hospitalem distinctione 42.* Ibi: *Aliena rapere convincitur, qui ultra necessaria continere probatur.* Præterquam quod S. Hieronym. Ambros. & August. præcesserat Simplicium Papam, sub quo primum facta est divisio bonorum Ecclesiæ, ante quod tempus fuerunt communia:

Ad Confirmationem primam dico Beneficiatos factos esse superfluorum Dominos per ipsam Divisionem, dum decimarum fundorúmque redditus eis in partem sustentationis sunt assignati claréque probatur ex D. Thoma *2. 2. c. 185. Art. 7. in 3.*

*in 3.* Ibi: *De his autem, quæ sunt specialiter suo usui deputata, videtur esse eadem ratio, quæ de proprijs bonis (quantum ad hoc, quod est eorum dominium possidere, ut scilicet, propter indeterminatum affectum, & usum peccet quidem, si immoderata sibi retineat, & alijs non subveniat, sicut requirit debitum charitatis.*

Ad id, quod dicitur de bonis Ecclesiæ esse res DEI, & Patrimonium Christi, constat ex *numero 31.* quæ phrasis potissimum tangit ipsas Ecclesiarum fundationes, unde etiam expedit, ut fructus inde collecti pro sustentandis Ministris superflui, expendantur in cultum DEI, & pauperes, qualiter esse expendendos juxta canones dicetur à §. sexto citra tamen obligationem justitiæ.

Ad Confirmationem secundam nego Ma. si sermo sit de fructibus. Ad Minorem, & ad Authoritatem S. Thomæ. *Resp.* Eum loqui de deputatis ex consequenti in sustentationem Ministrorum, principaliter autem attributis necessitatibus pauperum, ut sunt bona hospitalium & alia hujusmodi ex doctrina D. Thomæ in fine *num, 61.* relati: Similia enim bona sunt DEO consecrata, proinde eorum abusus est sacrilegium, secùs principaliter data in usum Ministrorum ut *numero 62.* ex eodem, & ex proximè citato articulo patet.

65. Pro Reliquis soluendis Nota primò. Constare ex *numero 62.* respectu quorum bonorum Beneficiati sunt Procuratores, dispensatores, &c. Secùs bonorum, ipsis applicatorum, vel etiam si respectu horum dicendi sint tales, id non sit defectu Dominij, sed quia ex obedientia, & charitate debent erogare pauperibus, qua etiam de causa dicuntur esse Pauperum, Christique Patrimonium. Deinde dicuntur sic pro tempore nondum divisim erectorum Beneficiorum, ac etiam post divisionem de jis bonis, de quibus constat assignata ea esse pauperibus.

Nota secundò ex bonis illis pauperum, ubi de jis non liquet sunt probabiliter erecta beneficia, aut hospitalia, aut alia pia loca authoritate Pontificum, aut cum ea portio lege humanâ debuerit ex justitia Pauperibus dari, potuit contraria consuetudine abrogari juxta Vasquez Lugo &c.

Nota tertiò negari in beneficijs, ubi non exstat portio pro Pauperibus esse commixta cum portione beneficij consequenter etsi pauperes ante erecta beneficia habuerint jus ad eam, non sequitur habere jus adversus tales Beneficiatos, cum enim ignoretur cui sit applicata, Clericis, an sæcularibus Principibus, &c. Pauperes non plus juris habent contra Clericos, quam sæculares, igitur dejecti sunt de jure suo ( non per commutationem; hoc enim incumberet probandum Clericis, non per commixtionem, hoc deberent probare Pauperes ) sed vel erectione novorum beneficiorum, aut contraria consuetudine, ut proximè dictum.

Nota quartò quoad de jure communi de redditibus Ecclesiasticis sint vetita testamenta non probare eos non subesse Dominio Clericorum adæquato adæquatione etiam juris, ut patet in pupillis filijsfamilias, fidei commissarijs, qui sunt Domini pleni prohibiti testari.

Nota quintò si Beneficiatus facit aliquos fructus suos, nulla est ratio negandi de cæteris, non est paritas ab hærede, de quo sic objicitur, hæres

tatem,

tatem, ergo adeundo hæreditatem facit omnia sua, non enim legata facit sua. Disparitas enim est, quod constet de voluntate testatoris, ut legatum transeat ex justitia ad legatarium uti & in fidecommisso, ut ex justitia jus totum migret in tertium.

## §. V.

## *An fructus commendæ & pensiones Patrimonialibus adnumerandæ, & in quo sita sit congrua sustentatio.*

66. CErtum est primò Beneficiarios posse quovis modo de se licito disponere de Patrimonialibus, & quasi Patrimonialibus *ex numero 60. & 61.* Dubitatur primò an quasi Patrimonialibus accensendi sint fructus commendæ, quæ aliud non est, quam facta alicui commissio cum temporali emolumento: si fit cum spirituali administratione, dicitur spiritualis commenda, ut fit, dum alicui committitur cura Ecclesiæ, non in titulum, sed commendatur illi, si verò fit ad ministerium temporale, aut alio titulo merè laico in stipendium, & præmium militiæ, uti fit in commendis militaribus, dicitur sæcularis, seu militaris.

*Resp.* Ad dubium negativè de fructibus commendæ spiritualis cum Lugo *Disput. 4. n. 33.* & communi quia commendator succedit Beneficiatis in horum munere, ergo etiam in eorundem oneribus, affirmativè verò de fructibus commendæ laicalis, quia in his commendis militaribus D. Jacobi Alcantaræ, &c. Fructus sunt pura stipendia pro servitijs temporalibus, ita Moya *in appendice ad quæstionem selectarum ad tract. 6. Disp. 6. q. 2. §. 6. n. 28.* post Soarez, & Palao, &c.

Dubitatur secundò de pensionibus, an inter quasi Patrimonialia reponendæ? est autem pensio jus percipiendi fructus ex alieno beneficio justa de causa ad tempus, vel in perpetuum. Est triplex, nempe purè Laicalis, seu data ob titulum merè sæcularem ut quæ militaribus equitibus, aut Principibus ab Ecclesia conferuntur ob merita ab ipsis, aut eorum majoribus exhibita, aut imposterum sperata, hoc titulo Reges Hispaniæ ex omnibus ferè beneficijs tertiam partem fructuum percipiunt, huc spectat portio ob munus temporale collata Cantoribus, Procuratoribus & Advocatis Ecclesiarum.

Secunda est Ecclesiastica, seu spiritualis propter munus seu Ministerium spirituale obeundum, talis est assignata Coadjutori Episcopi aut Parochi senis, aut pro alio munere spirituali.

Tertia est, quæ absque titulo Clericali datur Ecclesiasticis, ut fit in permutationibus, & renuntiationibus Beneficiorum, aut in Compositionibus, nempe dum lis componitur super orto in Beneficijs dubio Sanch. *lib. 2. Consil. c 2. dub. 47.* Addens hanc etiam non dari pro ullo Officio

Officio temporali per viam ſtipendij, ſed litis componendæ ratione permutationis, vel reſignationis, &c.

Ad dubium *Reſp.* Negativè univerſaliter Navarr apud citatum Sanch. quia res tranſeunt cum ſuis oneribus. Affirmat univerſaliter Lugo *n. 32.* poſt Vasq. quia Trident. *Seſſ. 25. c. 1. de Reform.* Extendit obligationem expendendi ſuperflua ad omnes Beneficiarios nulla factâ mentione Penſionariorum: hujus ea ratio videtur eſſe, quod Pontifex impendendo penſionem Beneficio eam portionem fructuum piè expendat etiam dum datur ſæcularibus ob merita erga Eccleſiam, aut pauperi Clerico ut ſuſtentetur, aut in Beneficiorum permutationibus ob bonum pacis: Hæc opinio eſt tuta.

*Reſp.* Laicalem penſionem eſſe bonum quaſi Patrimoniale, quia eſt merces laborum, ac remuneratio; Eccleſiaſticam verò tertij generis probabilius habere annexum onus, quale annexum eſt redditibus Beneficiorum, quia cum ex his extrahatur, trahit ſecum eandem obligationem: per hoc enim quod extractio ſit pia, non ſequitur ceſſare obligationem ſuperfluum pie expendendi, ut patet in Generali Eccleſiæ applicatione, in beneficiorum partitione, quæ etſi fuerit pia, non tamen portio fructuum jisdem aſſignata eſt profanata, ſeu non ceſſavit obligatio ſuperfluum pie expendendi.

Limita Reſponſionem, ut non procedat in caſu, quo penſio eſt Eleemoſyna, ut dum pauperi Clerico aſſignatur.

67. Certum eſt ſecundò poſſe Beneficiarios liberè diſponere ſive in vivis, ſive in mortis cauſa de congregatis ex congrua pro ſuſtentatione vitæ portione parcius vivendo per *n. 61.* Hæc doctrina eſt vera etiam in Beneficiarijs, Epiſcopis Regularibus, hi enim non minus quam ſæculares inter vivos in quæcúnque opera, & qualitercúnque expendere poſſunt id, quod parcius, quam juſte poſſent vivendo coacervarunt, ita Sanch. *lib. 6. moral. c. 6. n. 14.* Etſi enim Beneficiarij Epiſcopo inferiores non ſint Domini etiam congruæ ſuſtentationis, juſta tamen eſt præſumptio de Eccleſiæ conſenſu, ſiquidem id totum in uſus proprios expendi poterat.

Porrò congrua ſuſtentatio extendit ſe non tantum ad ſufficientiam perſonæ, ſed etiam ejus familiæ, ac pro moderatis convivijs, donationibus, ac remunerationibus ſecundum rationem ſtatûs; pro conciliandis animis, ac cuſtodienda benevolentia; pro parentibus, & conſanguineis, ut poſſint vivere honeſtè abſque dedecore Beneficiarij. Unde Epiſcopus habens propinquum notæ inferioris, cum hic ratione conjunctionis elevetur ad ſtatum altiorem, poteſt ei dare neceſſaria ad decenter vivendum intra eum ſtatum (nempe aliqualem altiorem, ſecus tantum, quantum ex Patrimonialibus Sanch. *lib. 2. Conſil. c. 2. dub. 38.*) hoc enim non eſt ditare conſanguineos, quod cit. Trident. prohibet, ſed occurrere indigentiæ ſecundum illum ſtatum; quæ ratio etiam probat poſſe illis ſtabiliri moderata media non ſolum pro eorum vita ſed etiam pro ſucceſſoribus in perpetuum, hæc enim diſpenſatio eſt uſus pius. Moya *in Appendice ad quæſtiones ſelect. ad tract. 6. Diſput. 6. q. 2. §. 4 n. 17.* poſt Sotum Sanch. addit *n. 18.* ex Navar. Molin. Sanch. quod Clericus humili loco natus ad magnam poſtea dignitatem evectus poſſit ex fructibus Eccle-

Ecclesiasticis suos consanguineos juvare, ut instar civium honestorum vivere possint.

Si Beneficiatus est litteratus aut nobilis potest plus insumere etiam habens Patrimonialia, dummodo ejus scientia, aut nobilitas sit Ecclesiæ utilis, quia sic meretur majus stipendium quod habere latitudinem diximus *n. 61.* Ita Anic. *hic D. 14. n. 63.* Lugo *n. 53. & â 60.* Rectè præmittens *n. 54.* congruam sustentationem non esse æqualem quoad omnes Beneficiatos, sed pro diversitate qualitatis, loci, temporisque diversam esse, unde Episcopus potest plus insumere quam Decanus capituli, hic plus quam Canonicus, plus Canonicus principalis Ecclesiæ quam Parochus, communiter tamen advertunt D. D. Quod nobilitas nequeat honestare, ut si habeat patrimonium usurpet tantum ex fructibus, quantum est necessarium ad splendorem statûs, sed aliquanto plus potest insumere ex redditibus: Carens autem Patrimonio potest inquit Haunold. *Tract. 4. â n. 93.* Ex redditibus accipere, quantum requirit statûs conditio: quia dare expensas pro qualitate statûs indigentis est opus pium, proinde juxta mentem Ecclesiæ. Ex hoc fundamento dispensatur in pluralitate Beneficiorum incompatibilium, quæ ratio cum cesset, dum adest Patrimonium sufficiens, idcirco indecens foret splendorem tueri bonis Deo consecratis, bene autem limitat Lugo *n. 61.* quod etiam destitutus Patrimonio nobilis e. g. Princeps nequeat more sæcularium se suósque alere, sed intra terminos decentiæ statûs.

Litteratura, propter quam Canones, & jura plus concedunt pro honesta sustentatione, denotat non mediocrem, sed solitam, & insignem doctrinam, & talis æquiparatur sublimibus, & nobilibus ita Raffenstuell *de pecul. Clericor. n. 79.* Unicus talis ignaros instruendo, dubijs consulendo, jura Ecclesiæ defendendo, damna præcavendo, plus Ecclesiæ prodest, quàm plures alij non solidè docti.

Dictum est *n 61.* versu *difficultas est &c.* Beneficiarios esse dominos congruæ sustentationis, & quidem etsi habeant patrimonialia, ex quibus valeant alimentari per dicta ibi versu. *Dictis quod habentes &c.*

Unde sic ait Less. *Lib. 2 c. 4. n. 38.* Sequitur si de patrimonialibus vivant, aut expendant, possunt tantundem accipere in compensationem ex fructibus Beneficij, & de eo tanquam de patrimonialibus disponere. Idem dic si patrimonialia durante beneficio converterint in pia opera, non enim est obligatio Patrimonialia piè expendendi, proinde piè expensa ex fructibus Beneficij possunt compensari, nisi fortè intenderint non uti compensatione, quod non est præsumendum, nisi expresse voluerint sibi adimere libertatem compensandi, ita Less.

Contra hanc limitationem arguit Lugo *de justit. D. 4. â. n. 15.* Et ex illo Moya in appendic. Ad select. Quæstiones *ad tract. 6. Disput 6. q. 2. §. 6. n. 30.* Quod propositum non compensandi, seu intentio expendendi in pios usus fructus etiam congruæ sustentationi correspondentes nullam de novo inducat obligationem ultra illam, quæ obligat ad dispensandum in pios usus id, quod congruæ sustentationi congruit, quia nec habet vim voti, nec juramenti, ergo etsi proposuerit

Beneficiarius se non compensaturum, nihil præjudicavit dominio fructum, nec ademit sibi libertatem disponendi de necessarijs ad congruam sustentationem. Opinioni huic etiam ego subscribo.

## §. VI.

## *De modo expendendi superfluos Beneficij redditus.*

68. CErtum est spectato jure communi Beneficiatos non posse etiam in pias causas testari, aut mortis causa disponere, sed debere relinquere Ecclesiæ in talia bona succedenti *cap. ad hæc de testam. ibi, Clerici de mobilibus, quæ per Ecclesiam sunt adepti, de jure testari non possunt*; â fortiori dic de immobilibus, ut declarat *cap.* Relatum *12. eodem.* Ratio autem est, ut Beneficiati majore cum merito superflua in causas pias erogantes, dum vivunt, affectum â temporalibus abstrahant.

Spectare autem ad Ecclesiam ea, de quibus vivi non disposuerunt, habetur *ex cap. cum in Officijs eod.* juncto *cit. cap. relatum*, in quo etiam exprimitur, quod in ultima ægritudine constituti; de talibus bonis tam pauperibus, locisque Religiosis, quam etiam suis inservientibus quidpiam elargiri possint, ibi: *Consuetudinis tamen non est improbandæ, ut de his (bonis mobilibus per Ecclesiam acquisitis) pauperibus, & Religiosis locis, & jis, qui viventi servierant, sive consanguinei sint, sive alij, aliqua uxta servitij meritum conferantur.*

Dixi spectato jure communi, quia Pontifex de talibus bonis facultatem potest concedere, ac sæpè concessit, sic Paulus Quintus *16. Aprilis Anni 1606. in Constitutione: in Eminenti* omnibus curialibus intra 10. milliaria Romani districtûs extra residentiam non decedentibus indulsit, ut de quibusvis proventibus Ecclesiasticis, cujusvis qualitatis, & quantitatis valeant liberè testari, hæredésque etiam consanguineos, & quasvis alias personas etiam extraneas instituere, & si ab intestato decedant, eadem bona liberè ad hæredes devolvantur. Idipsum prius constituerat Julius Tertius *Anno 1549. idibus May in Constit. cupientes ut Alma Urbs nostra.* Ante utrumque Præfatum Pontificem idem jus indulsit Sixtus IV. *Constit. Etsi universis edicta Calendis Januarij 1474.* Tribus ergo diversis sæculis Pontifices diversi agnoverunt se posse in hoc dispensare.

Hinc juxta jus commune humanum ideoque solum (ut vult Amicus *de just. Disput. 14. n. 73.* Clerici invalidè testantur de superfluis redditibus, eorúmque testamenta annullat Paulus III. Julius III. Pau-

Paulus IV. Gregorius XIII. statuentes, ut omnia Clericorum Spolia Chorum Nomine veniunt omnia Clericorum bona ex redditibus ulta congruam sustentationem remanentia pertineant ad Cameram.

Verum cum sit juris merè humani invaliditas, oppositа consuetudo valide testandi potuit induci; qualem jam esse præscriptam, & toleratam in Germania, & Hispania testatur Gervasius Brisacens. *Tom. 3. cursûs Theologici tract. 5. de justit: Disput. 51. q. 3. n. 92.* Molin. *de just. Disput. 147. Conclus. 9.* Haunoldus *tract. 6. n. 258.* Less. *lib. 2. c. 4. n 50. & c. 19 dub. 4.* Absolute tradit ex hac consuetudine Episcopos, & Clericos de superfluis posse etiam testando disponere. Econtra putat Covarru. Hanc testandi Licentiam solis Episcopis esse necessariam! eam verò velut moribus receptam competere omnibus Clericis ita *ut intestatis succedant parentes Fratres, cognati, quia inquit ubique ita servatur sciente Pontifice, & Ecclesiæ Principibus*

Quare non irrationabiliter docet Molin *Disput. 142.* Episcoporum spolia in Lusitania spectare ad successores, in reliqua Hispania ad cameram; Reliquorum verò Beneficiatorum in Regno Castellæ, & in tota Gallia ad hæredes, non secùs, ac Patrimonialia. In Regno Neapolitano Beneficiati solent paciscì cum commissarijs spoliorum de certo aliquo pretio.

In Provincijs Austriæ Principum esse dispensatum, ut tam Clerici quam Episcopi de bonis superfluis testari possint, & si ab intestato decedant, pars una cedat Ecclesiæ, altera successori. Tertia consanguineis habetur apud cit. Amicum

In styria utráque ex privilegio Imperatorum Friderici, Maximiliani, Ferdinandi II & III. Carolique Archiducis, uti etiam in districtu Neostadiensi est praxis, ut redditus in tres partes dividantur; una cedit successori, secunda fabricæ Ecclesiæ, tertia defuncti consanguineis, & in horum defectu pauperibus. Hoc privilegium reservatur apud Reverendissimum Dominum Archidiaconum, & Parochum Græcensem cum ista clausula: Hæc testamenta condi posse *pro salute animæ suæ*: proinde non possunt vi hujus privilegij disponere de redditibus in usus profanos.

Dices privilegium sæculare contra Canones vetantes testamenta Clericorum est irritum. *Resp.* Id verum esse nisi accedat consensus saltem tacitus Papæ, qualis hic potest præsumi, cum hæc praxis sciatur, & impressa habeatur in Amico Authore notissimo. Responsio alia mihi occurrit.

Ex dictis de dominio clericorum Beneficiatorum sequitur primò, quod redditуum superfluorum inter vivos in profana sit valida, etsi illicita secundum jus commune expositio, quia beneficiarij sunt Domini superfluorum, nec datur jus invalidans illam & bene prohibens.

Sequitur secundo beneficiatos posse ex redditibus alere proles suas supposito enim delicto jure naturæ sunt alendæ, utpote spectantes ad familiam, unde possunt filias dotare, & quidem secundum conditionem statûs, proinde nobilis ac dives Sacerdos plus, quam pauper, & infimæ sortis. Filliucius *tract. 43. c. 4. n. 36.* Palao *tom. 1. tract. 6. Disput. 2. punct. 5.* non tamen tantum, quantum ex bonis Patrimonialibus ijs in dotem dare possunt, ita citati Doctores, quibus adde Molin. *de justit. Disput 146. versu de filia*

*filia spuria*, quia nec Pater conjugatus spuriæ filiæ dat dotem tantam, quantam legitimæ; nec æquum est, filia aut spuria Clerici non est melioris conditionis; etsi Clerici sint Domini fructuum non tamen habent tantam libertatem in fructus, quantam sæculares in sua bona. Idem certum est posse morti vicinos inter vivos donare ad pias causas quantamcúmque summam: exsequuntur enim suam obligationem Sanch. *cit. dub 53.*

Sequitur tertio posse eosdem alere filium in studijs, aut alium suum consanguineum (etsi hujus Pater posset illum sustentare) proprijs destitutum ex redditibus, etsi patrimonialia habeant beneficiati, quia juvare ad studia censetur causa pia Laym. *Lib. 4 tract. 2. c. 3. n. 5.*

## §. VII.

## *An Beneficiati totum superfluum debeant erogare in usus pios.*

69. Certum est Beneficiatos spectato jure Communi non posse profanare omnes congruæ sustentationi superfluos redditus. Quæstio gravissima movetur, an Episcopus, aliusve Beneficiatus obligetur totum id, quod congruæ, decentíque secundùm conditionem statûs superfluit in usus pios, pauperésque in communi necessitate constitutos expendere, in Communi, inquam, quia in gravi necessitate totum superfluum esse erogandum facilè consentiunt Doctores cum Petro Hurtado 2. 2. de charitate *disput. 160. sect. 15. à § 305.* Apud de cum Diana *parte 5. tract. 8. Resol. 27.*

Sotus *lib 10. de justit. q. 4. art. 4. post. conclusi 2. dam §. quamvis* apud Math. de Moya *in appendic. ad select. quæst. ad tract. 6. Disput 6. q. 2. §. 2. &* Lugo *de just. D 4. n. 10.* existimat Episcopum satisfacturum suo debito, si eroget quartam partem reddituum in pauperes, pósque usus e. g. Si redditus sint sexdecim millium aureorum, si medietas sufficit pro sustentatione, sequitur superfluere octo millia florenorum, atque adeo si partem quartam nempe duo millia aureorum det pauperibus &c. Cum reliquis sex millibus poterit disponere ad libitum juxta hanc sententiam.

Ejusdem opinionis est Bannex *2. 2. q. 185. dub. ultimo vers. Ex dictis omnibus*: Ubi censet nullum Hispaniæ Episcopum esse absolvendum, nisi saltem quartam partem reddituum in Communibus necessitatibus expendat: Sæpe autem plus supereſt congruæ sustentationi, quam quarta pars, ergo residuum non obligatur.

Consentit Hurtadus apud relatum Dian: Obligans ad partem superflui quartam, aut medietatem attestans se nul-

nullum legisse, qui assignet minorem quantitatem, eos autem obligare ad majorem quantitatem, ut dent communibus pauperibus nullum urget argumentum, præter graves aliquos Theologos quorum opinionem autumat valde duram.

Ægidius Trullenck *lib. 1. in Decal. c. 5.* dub. 9. n. 2. putat esse probabile, quod etsi beneficium sit pingue, satisfaciat Episcopus, si elargiatur pauperibus quartam partem alij vero inferiores Beneficiarij si quintam, aut sextam expendant. *Resp.* cum cit. &c. Lugo. ex S. Thom. quodlibet 6. Art. 12. ad 4. obligare in necessitatibus etiam communibus ad dispertiendum totum superfluum in pauperes aut alios pios usus, subscribit Moya *q. 2. §. 2. n. 12.* Apud quem *Dian. p. 7. tract. 11. Resol. 36. & p. 8. tr. 7. Resol. 12. & p. 10. tract. 11. resolut. 35.* retractat quod *cit. p. 5.* tradiderat ex Hurt. Réque melius ponderatâ approbat, quod antea amplexus fuit *p. 4. tract. 4. Resol. 414.* Ex Jacob. Granado *contr. 3. de charit. D. 3. Sect. 3. n. 22.* Videlicet in pauperes, usúsque pios totum elargiendum esse

Ratio desumitur ex Trident. *Sess. 25. c. 1. de reform.* Quem textum Theologi intelligunt non solum de bonis Ecclesiæ sub pura administratione Beneficiatorum constitutis, sed etiam de redditibus ex communi omnium sensu teste Lug. *n. 12.* & Haunold *tract. 4. n. 81.* Ratio autem est, quod omnes redditus sint res DEI, ut loquitur Trident. Estque unanimis consensus SS. Patrum, ergo saltem ex jure humano graviter obligante, consequenter ex obedientia debent expendi omnes in usus pios, non enim est ulla ratio, cur pars quarta præ reliquis, sicut si ex justitia Beneficiati tenerentur erogare (ut si supponantur non esse Domini redditum) omnes superflui deberent erogari, uti omnes fateri debent.

Ob hæc reijcienda est opinio relata soti Banez ij, & Hurtadi.

## §. VIII.

## *An Beneficiati mortaliter peccent profanando redditus superfluos, & plura alia quæsita.*

70. COnstat ex n. 69. Quod secundùm jus commune omnes fructus, qui congruæ sustentationi supersunt, debeant dispensari in usus pios. An hæc obligatio sit sub mortali præcepta, hic esset resolvendum, sed cùm præsens numerus foret nimis longus eum reijcio ad appendicis n. 401.

## §. IX.

## *Quo jure fructus superflui sint expendendi in usus pios.*

71. CONveniunt omnes Theologi, & Canonistæ; inculcant sancti Patres, & sacri Canones, Episcopos, cæterósque Beneficiatos graviter obligari ad redditus superfluos Beneficiales applicandos pijs usibus saltem ex obedientia *per n. 69. â versu Resp. ad quæst.* Ibi dictis addo hic ipsum textum Tridentini *Sess. 25 c. 1 de ref.* Quo loco penitus Episcopis, cæterísque Beneficiatis *Omnino interdicit, ne redditibus Ecclesiæ consanguineos, familiarésque suos augere studeant, cum & Apostolorum canones prohibeant, ne res Ecclesiasticas quæ DEI sunt, consanguineis donent, sed si pauperes sint, ijs ut pauperibus distribuant.* Consonat Canon. *Est probanda 16. dist. 86.* Hæc procedunt, sive Beneficiati sint Domini reddituum sive non.

Quæstio non levis est an hæc obligatio fundetur in puro jure Ecclesiastico vel verò etiam in naturali.

Pro jure naturali stant apud & cum Raiffenstuell de *peculio Clericorum â n. 53.* Laym. *Lib. 4. tract. 2. c. 3. n. 2.* Pirhing *de testam. n. 42.* Molin. *Disput. 147. & concus. 11.* Vasq. *In opuscul. de elemosyn. c. 4. n. 12.* Testans se nullum legisse, qui assereret ad id Clericos teneri jure tantùm humano, sed omnes hanc obligationem fundant in jure Divino & naturali. Dissentiunt tamen inter se, in quanam virtute, & naturali ratione hæc obligatio naturalis radicetur.

Radicari in virtute justitiæ docent quotquot negant Beneficiatos esse dominos reddituum superfluorum, quos sequitur Raiffenstuell *â n. 56.* Qui fundamentum desumit ex rejectione reliquarum sententiarum, quod reduco ad formam sequentem.

Beneficiati gravissimè peccant erogando superflua in usus non pios, ut immediatè est præmissum ex *n. 69. & 70.* Sed hujus gravitatis ratio dari non potest, nisi dicendo id esse contra justitiam. Hoc probatur, si enim esset contra aliam virtutem, hæc esset charitas, & misericordia, ut volunt aliqui cum Fagnano *in c. si quis sanè n. 1. h. t.* Aut contra virtutem Religionis, ut contendit Lugo *de justit. Disput. 4. â n. 16.* Aut contra obedientiam secluso omni jure naturali, & divino atque adeo dicta peccati gravitas foret præcisè contra jus humanum Ecclesiasticum, sed nihil horum dici potest, ergo. Minor probatur: non charitas, & misericordia, nam ista non obligat sub mortali, nisi adsint pauperes extremè, aut graviter egentes secundùm certam Theologorum sententiam: Potest autem accidere, quòd in quibusdam locis nulliter sint extreme, aut graviter egentes, & tamen eo casu Beneficiati peccant mortaliter profanantes notabilem quantitatem reddituum.

Non

Non etiam virtus Religionis, quæritur enim cur tale peccatum sit contra virtutem Religionis. Respondet Lugo, quia bona Ecclesiastica secundùm Canones, & Trident. *Sunt res DEI*, sed contra urgetur, cur sint & vocentur *res DEI*. Respondet, quia fideles ea dederunt hoc fine, ut impendantur ad cultum divinum, & causas pias. Contra est, quod hinc rectè sequatur Beneficiatos ex justitia obligari ad sic expendendum. Beneficiati enim acceptârunt sub conditione, ac intentione seu fini intento à fundatoribus, hi autem habuerunt pro conditione, & fine cultum Divinum, ac causas pias, ergo acceptârunt sub hac conditione, sed acceptans aliquid sub conditione tenetur hanc implere ex justitia ut patet in contractibus conditionatis.

Demum probatur obligationem expendendi in usus pios non posse oriri ex jure solo Ecclesiastico contra Less. *Lib. 2. de just. c. 4. n. 47.* Palao *tract. 6. Disput 1. p. 6. n. 5.* Haunold. *tract. 4. n. 82.* Wiest. *de pecul. Clericor. à n. 37.* &c. Si enim esset hæc obligatio ex jure merè Ecclesiastico, tunc Pontifex posset hoc jus tollere dispensando, aut consuedine contrariâ posset contra præfatum jus præscribi, quo posito omnes proventus Ecclesiastici expendi possent in convivia, ad ditandos consanguineos &c. Quod est absurdissimum, & contra intentionem fundatorum.

Resp. Cum postremis DD. Obligationem piè expendendi sub reatu mortalis oriri ex jure solo Ecclesiastico, quia obligatio naturalis, & divina non sufficienter probatur, siquidem ejus Anthores inter se discordant, ut vidimus: Deinde Doctores stantes pro obligatione ex justitia refutati sunt *à n. 62.* Ubi ostensum est Beneficiatos esse dominos reddituum, si domini sunt, nulli faciunt injuriam, etsi vanè eos impendant.

Etiam radicem obligationis naturalis esse non posse virtutem charitatis, & misericordiæ benè probat Reiffenstuell in decursu sui argumenti proximè propositi.

Quod attinet ad rationem Cardinalis Lugo. Rectè observat cit. Wiest. n. 41. Quod proventus Beneficiales non sint in se res sacra, aut benedicta, uti calices, & vestes sacræ, sed merè temporales, ergo nulla est solida ratio, ob quam nequeat applicari ad causas profanas, sicut est ratio de rebus in se sacratis.

Concedimus fuisse mentem fidelium offerentium, ut oblata impendantur in cultum, huicque intentioni satisfactum est in ipsa Titulorum, seu beneficiorum institutione cum assignata cuivis reddituum portione: assignatio hæc fuit ultima, inquit, Wiest. executio fidelium intentionis, sicut similis assignatur ex redditibus Ecclesiasticis portio pro varijs Ecclesiæ Officialibus ut cantore, ædituo alijsque Laicis Ministris, quin obligentur ex ea residuum ad usus pios ordinare.

Etsi autem fuerit intentioni fidelium satisfactum per erectionem beneficiorum, &c. Nihilominus sacri Canones & Tridentinum obligavit graviter Beneficiatos, ut residuos Congruæ sustentationi fructus, pauperibus, alijsque pijs causis applicent.

72. Litem Superioris quæstionis sic componit Haunold. *n. 84.* existimans veram esse sententiam Lugo, quamdiu ex intentione Ecclesiæ hæc bona manent res DEI, & Christi patrimonium, quia tamen esse res pauperum Christi & DEI sit denomi-

nominatio separabilis ab jisdem rebus, ut est manifestum etiam per adversarios concedentes defacto cessare esse sacratas DEO, ac profanari, dum dantur pauperibus cantoribus, præsentibus in choro, &c. ergo etiam potest præscriptio aut consuetudo ab Ecclesia tolerata ( si tamen expedit eam tolerari ) inducere facultatem de jisdem testandi in usus profanos, proinde si alicubi est consuetum sic testari ( de quo vide *n. 68.* ) tacitè videtur Ecclesia indicare, quod velit ut redditus hi permaneant sacri usque ad mortem, exinde autem desinant esse res DEI.

*Resp.* Me assentiri Haunoldo videlicet per præscriptam consuetudinem rationabilem præscribi posse contra legem Ecclesiasticam non testandi ( quam sententiam fusè confirmat *tr. 6. à n. 256.* ) quia hæc est purè humana. Secundò, quod redditus ex sacris fieri valeant non sacri, seu profanari gravibus ex causis, ut benè probat; atqui ex jisdem causis etiam est dispensabile præceptum prohibens, ne in usus profanos expendantur, unde si alicubi fiant testamenta in usus sive profanos sive pios, videndum est, an sit legitima consuetudo, si ita, testamenta valent, si illegitima sunt nulla, utpote facta contra legem ea irritantem, de qua testandi consuetudine vide *n. 68.*

Si tamen Pontifex dispensaret ut testentur etiam in usus profanos, testamenta valerent, etsi dispensatio daretur sine sufficiente causa, quia legislator potest tollere legem suam valide, etsi illicitè dispensando in ea sine causa, Sanch. *lib. 2. Consil. c. 2. dub. 40. n. 7.* Subdens fore sufficientem causam, ut possit testari quis etiam ad profana, si vir nobilis sit benè meritus de Ecclesia. Deinde ut proxime est insinuatum fructus Beneficiales in se non sunt sacri, sed dicuntur sacri quatenus destinati sunt ad cultum divinum, & usum pium ex pia fidelium intentione, hæc autem denominatio utpote fructibus extrinseca est ab jisdem separabilis etiam secundum adversarios. Ex his

Probatur ulterius nostra opinio cum Wiest *n. 37.* si obligatio expendendi superflua in pias causas foret juris naturalis, aut divini, Ecclesia non posset dare facultatem ea instar Patrimonialium applicandi quibuscunque usibus de jisdem testandi, ac Beneficiatis intestatis succedendi, inferior enim nequit dispensare in lege Superioris, atqui Ecclesia potest ex justa causa dispensare sic applicandi fructus de jisdem testandi, ac ut Beneficiatis intestatis succedant, qui de jure aliàs in Patrimonialibus succederent: defacto enim tribus diversis sæculis à Pontificibus hæc Licentia est concessa non solum Romæ, sed etiam ad decem milliaria per viciniam extra Urbem. Videlicet à Sixto IV. Julio III & Paulo V. per *n. 68.* Hanc testandi Licentiam ad usus profanos ex causa rationabili posse concedi à Pontificibus, concedit etiam Molin. *Disput. 147. Conclusione 11.*

Eodem loco est relatum quod pluribus in locis vigeat consuetudo de superfluis validè testandi in pias causas, hanc consuetudinem posse legitimè præscribere contra legem Ecclesiasticam vetantem testamenta Clericis Beneficiatis etiam ad causas pias ( jus enim naturale hoc non vetat, supposito quod sint Domini ) recte probat Haunold. *de jure tract. 6. n. 254.* etsi enim notabiliter sit perfectius in vivis se spoliare rebus proprijs in utilitatem alio-

liorum, & ob majus DEI obsequium; finis enim Canonum irritantium testamenta Beneficiatorum erat impedire occasionem Thesaurizandi ex fine, ut post mortem habeant gloriosam sui memoriam in aliquo opere magnifico pio, quia tamen hic finis per se est valde laudabilis etsi minus perfectus, idcirco consuetudo testandi in opus pium potest esse rationabilis, atque adeò præscribere adversus præfatos canones. Consentit Molin. cit. *Disput. 147. Conclusione 6.* Censeo ulterius posse esse rationabilem consuetudinem etiam testandi ad causas profanas, ita cit. Haunoldus *num. 257.* Molin. cit. *Conclus. 7. Less. num. 46.* Ratio quia sunt Domini fructuum, ergo sicut in vivis validè dispensant eos etiam in profana, etsi illicitè, ita etiam validè poterunt dispensare per ultimam voluntatem, hujus enim irritatio cum sit juris merè humani contra eam præscribi potest.

Ex dicta *Conclusione 7.* infert Molin. *Conclus. 8.* ubi invaluit consuetudo validè testandi in usus etiam non pios, si Beneficiarij decedant intestati, in eorum bona etiam ex redditibus comparata succedere eorum hæredes ab intestato, nam non condens testamentum censetur tacitè relinquere illis sua, ergo sicut consuetudo validat eorum testamenta, ita eadem validat ultimam dispositionem intestati.

Dixit Molin. *validè* quia *Conclus. 11.* negat hanc consuetudinem esse licitam, eo quod consuetudo contra jus naturale prævalere non possit. Verùm cum Doctores nostræ sententiæ non agnoscunt ullum jus naturale prohibens fructus Beneficiales expendi in usus profanos, sed merè positivum humanum, rectè deducitur eam consuetudinem etiam licitè sic testandi induci posse, eamque defacto introductam in tota Gallia & Hispania scientibus & consentientibus summis Pontificibus, ita Haunold. cit. *juncto num. 261.* Ex his solutum manet Argumentum Patris Raiffenstuell propositum *num. 71.* ex quo pro Complemento præsentis materiæ sequentia subjicio.

## §. X.

## *Quo Ordine in pias causas sint erogandi superflui redditus?*

DE hoc videatur infra *n. 407.*

# ARTICVLVS OCTAVVS.

## *An dominium perfectum creatum posſit esſe ſimul penes duos?*

73. DIxi *perfectum*, ſive plenum id eſt inſolidum, nam imperfectum poſſe eſſe penes plures eſt certum, ut patet in Emphyteuſi, fœudis, &c. Dixi ſecundò *creatum* quia etiam indubitate dominium increatum & creatum plenum ſimul componuntur, imò hoc eſſentialiter alterum præſupponit eique ſubordinatur.

Quæſtio nequit habere locum, niſi in inſtanti translationis dominij, dum E. g. vendit Petrus, aut donat librum Paulo: utrum tam donans Petrus, quam Paulus donatarius ſit perfectus Dominus libri eo inſtanti, quo eſt verum dicere: nunc Petrus actu, & formaliter transfert dominium libri in Paulum: donatorium eo inſtanti fieri Dominum conceditur ferè ab omnibus contra Pontium, éſtque ratio evidens, quia hoc inſtanti exiſtit ratio formalis donandi, ergo formaliter ſeu actualiter exiſtit terminus, qui per eam ponitur, ſed per eam ponitur formale, & actuale dominium donati libri in donatario, ſuppoſita hujus acceptatione. Dubium ergo reſtat, an etiam pro eodem inſtanti remaneat dominium penes donatorem.

Certum eſt quod in donatore pro ſigno priori naturæ ad actualem donationem ſit poteſtas phyſica ad abdicandum à ſe dominium & non abdicandum, proinde ſit hæc poteſtas indifferens, ut pro ſigno poſteriori naturæ coëxiſtat abdicationi, aut ejus contradictorio. Eodem modo etiam in donatario eſt phyſica poteſtas expedita ad acceptandum vel non acceptandum dominium libri oblati, ita ut hæc poteſtas de ſe indifferens valeat conjungi cum formali dominio, aut hujus negatione.

Hæc phyſica poteſtas, quod non ſit formale dominium patet, quia hujus contradictorio coëxiſtere poteſt, eam tamen cum Mauro *q.* 166. vocamus dominium radicale ſeu fundamentale: igitur pro hoc intelligitur facultas ad dominium antecedenter habitum retinendum, aut ad nondum habitum acquirendum: per formale verò intelligitur jus poſitivum antecedenter habitum retentum, aut de novo à nobis acquiſitum, & definitum *n.* 14.

Ex his liquet ſine contradictione jus radicale translatoris ad retinendum dominium actuale eſſe cum jure radicali translatarij ad acquirendum idem actuale dominium, hujus enim acceptatio eſt objectum immediatum, ac directum domi-

nij

nij fundamentalis in translatario, in translatore autem ejus objectum est dominij ejusdem oblatio: ideo hoc non male vocari potest jus reflexum: Controversia itáque est. De dominio formali.

74. Dicendum repugnare etiam divinitus plures simul esse plene dominos in instanti translationis, ita Communior Theologorum, & omnium Juristarum contra Lugo hìc *Disput. 2. Sect. 2.* Ariaga, &c. probatur primò: Dominium formale totale, seu plenum est potestas perfectè disponendi de re per *num. 14.* proinde moraliter restringendi libertatem aliorum, ne ea utantur ac ad libitum rem destruendi sine ullius injuria, atqui repugnat, ut talis sit penes plures in instanti translationis, ergo.

Confirmatur: secundùm omnes actuale dominium non acquiritur ante ejus acceptationem, ergo nec transfertur nisi per renunciationem juris prius habiti, sicut enim se habet acceptatio ad acquisitionem novi juris, ita abdicatio ad ejus amissionem, non abdicatio autem ad retentionẽ ejusdem ergo si instanti translationis remanet penes translatorem, hoc instanti est necessaria non abdicatio juris: sed eodem instanti simul esset abdicatio juris, seu renunciatio, ergo translator juris eodem instanti renunciaret juri suo, & simul non renunciaret.

Probatur secundò, implicat ut perfectum dominium pro priori naturæ ad donationem sit in donator, ergo. Antecedens probatur, perfectum dominium est jus firmum in re, proinde est essentialiter circa rem physice, aut moraliter existentem per *n. 12.* sed implicat ut qua tale sit in donatore pro priori naturæ ad donationem, sic enim pro eodem signo deberet intelligi existentia rei donabilis, sed hoc implicat, siquidem pro eo signo habens perfectum dominium est indifferens, ut donet rem vel non donet, sed destruat: indifferentia autem ad rem destruendam pro signo posteriori repugnat, cum existentia ejusdem rei pro signo priori, aliàs pro eodem instanti reali esset simul existentia rei & hujus negatio.

75. Objicies primò in instanti translationis componitur Dominium fundamentale donatoris cum dominio fundamentali donatarij; ergo etiam dominium formale utriúsque. Secundò Dominium formale plenum circa eandem rem simul penes duos non impedit plenam utriusque libertatem in eandem rem, ut patet in Dominio DEI & Creaturæ. Tertiò plenum dominium unius non infert exclusionem à Dominio pleno alterius, sed præcisionem, potest enim cum illo componi & separari. E. g. Petrus conducit Paulum pro deferendis Viennam litteris, Paulus conductus potest eodem tempore operam suam elocare Cajo pariter poscenti, ut suæ eo deferantur: hoc casu tam Petrus quam Cajus habet plenum Dominium in operam Pauli Titulo stipendij soluti, idque patet exinde, quod etsi Petrus dissolveret pactum cum Paulo, mercedémque repeteret, Paulus adhuc teneretur ex vi pacti Cajani ire Viennam.

*Resp.* Ad primum esse disparitatem, quod formale utriusque Dominium respiceret eundem terminum v. g. librum donatum secùs fundamentale, hoc enim in donatore pro objecto immediatè haberet abdicationem, seu oblationem dominij, quæ unicè, & plenè subest potestati do-

nantis, ex parte Donatarij autem respiceret pro objecto acceptationem Dominij, quæ subest immediatè libertati solius Donatarij.

Ad secundum nego assumptum de duplici pleno creato, disparitas inter duo creata & unum Divinum, alterum creatum est clara, quod creatum Dominium proprietatis sit essentialiter à DEO revocabile citra injuriam, neque possit stringere libertatem DEI, unde relatè ad DEUM non est Dominium, sed simplex usus facti, at respectu alterius Creaturæ obligat, ac moraliter stringit libertatem aliorum, ut sic in duobus plenè moraliter stringat, ostendimus impossibilitatem.

Ad tertium nego assumptum, ad probationem. *Resp.* Rectè procedurum, si non laboraret falso supposito: supponit enim quod Paulus vi contractûs vendat suam operam, quod est falsum: si enim ita, tunc postquam eam vendidisset Petro, non potuisset eandem vendere Cajo, quia hic vendidisset rem non suam, venditur ergo obligatio ponendi operam ex vi pacti: potest autem circa eandem rem esse multiplex obligatio, nempe pro multiplicitate contractûs, consequenter multipliciter vendi potest sicut Missæ auditio potest accidere ex pluribus obligationibus, ut si festum incidat in Dominicam.

76. Objicies quartò cum Lugo quicúnque validè transfert librum in Paulum, transfert cum potestate legitima, seu munita favore legis, sed talis potestas transferendi librum in Paulum est Dominium in solidum: ita enim transfert, ut possit validè non transferre, ergo quicunque validè transfert librum in Paulum, transfert cum Dominio in solidum, ergo formale Dominium retinet: sed etiam acquirit translatarius, ergo. Confirmatur: libertas abdicandi à se Dominium in librum, vel constituitur per ipsum Dominium, vel saltem ut conditionem necessariam exigit, ergo cum libertas abdicandi necessariò debeat posse conjungi cum abdicatione, aut hujus contradictorio, necessariò dicitur etiam conjungi cum Dominio formali, sive abdicet Dominium: antecedens autem probatur. Libertas ad comburendum pallium vel constituitur ex ipso pallio vel hoc saltem ut necessariam conditionem affert, ergo etiam libertas abdicandi à se formale Dominium, vec constituitur per ipsum Dominium, vel hoc ut necessariam conditionem includit.

*Resp.* Distinguo majorem, transfert cum potestate legitima formali nego majorem, cum radicali, seu fundamentali concedo Ma. Mi. est vera de legitima potestate formali, secùs de radicali, & negatur consequentia. Quare translator eo instanti non habet jus perfectè disponendi de re, sed libertatem & potestatem physicam, ut jus formale penes se retineat, aut destruat, hæc autem libertas ad retinendum jus non sufficit ad formale jus, sed necessaria est exclusio abdicationis, & destructionis juris formalis.

Ad Confirmationem nego antecedens cum sua probatione nam libertas in actu primò proximo comburendi pallium est libertas immediata hoc instanti ad destructionem aut conservationem pallij, proinde potest conjungi in actu secundo cum alterutra, proinde etiam cum destructione: ergo nequit constitui ex pallij existentia, neque hæc afferre libertati necessa-

cessariam conditionem. Hoc applica libertati abdicandi Dominium.

Ad tollendam hac in re æquivocationem distinguenda est duplex libertas ad aliquid destruendum, nempe mediata, & immediata, prior antecedit instans, in quo est formalis rei destructio, consequenter componi potest cum existentia rei postea destruendæ, talis est libertas medio veneno tollendi vitam alterius, ea enim est mediata respectu propinationis veneni, eique coëxistit vita postea destruenda, immediata autem libertas aliquid destruendi pro nullo signo potest intelligi coëxistens rei destruendæ E. g. supponamus sententiam Vasq. quod perfecta contritio sit forma sanctificans, & formalis destructio peccati, libertas proxima ad contritionem eliciendam, est eo ipso libertas proxima ponendi peccati destructionem ponendo contritionem, vel per hujus omissionem finere perseverare peccatum, ergo cum libertas se conterendi queat componi cum contritione, proinde cum peccati destructione incompossibili cum peccato, fit, ut peccatum destruendum non constituat libertatem proximam destruendi peccatum, nec afferat ei conditionem necessariam, sed satis est, quod habeat virtutem ponendi contritionem, quâ positâ sequatur formalis destructio peccati, uti sequitur in sententia Vasq. vel in sententia aliorum, quod sit solum ultima dispositio, hâc positâ DEUS cedat juri suo per infusionem gratiæ, aut per condonationem extrinsecam, ad quam sequitur formalis destructio peccati.

77. Objicies quintò eodem instanti quo Petrus donat librum Paulo, & hic acceptat, potest Paulus eundem donare Titio, sed hoc fieri non potest, nisi Paulus donator acquisiverit Dominium formale, cum nemo possit donare aliquid, cujus nunquam habuit Dominium, seu rem non suam.

Confirmatur: translatio libri in Paulum est exercitium actuale Dominij in librum, sed actuale exercitium Dominij debet coëxistere Dominio: effectus enim etiam moralis non potest existere nisi causa ejus moralis existat: Dominium autem est causa moralis translationis.

*Resp.* C. Majorem, nego Minorem ad probationem Distinguo nemo potest donare aliquid, cujus nunquam habuit Dominium aut formale aut radicale C. M. cujus nunquam habuit formale, habuit tamen radicale nego. Paulus qui in casu posito est respectu Petri donatarius, donator verò respectu Titij, nunquam haberet Dominium formale, haberet tamen radicale, per quod in donatore intelligitur facultas expedita ad oblationem formalis Dominij, in donatario autem significatur facultas ad acceptationem oblati Dominij formalis, seu est potestas ponendi aliquid, nempe acceptationem per quam potest acquiri Dominium formale, seu jus in re: exinde patet quod Dominium radicale non sit jus formale & jus in re, nec potestas de re disponendi, sed quod per radicale possit conferri formale, & jus in re. Ex his patet verum esse, quod nemo possit donare rem non suam, quæ non sit sua suitate tam formalis, quam radicalis Dominij, secùs si non sit sua suitate formalis Dominij, dummodo sit sua suitate Dominij radicalis.

Ad Confirmationem. *Resp.* Translationem libri esse actuale exercitium Dominij

minij non formalis sed radicalis : hoc non illud est causa moralis ipsius , dicitúrque translationi velut suo effectui coëxistere.

78. Pro Reliquis Nota primò pro signo priori translationis in translatore non intelligitur formale Dominium absolutum nec ejus carentia , sed præscinditur ab utroque : pro signo posteriori si transfert , intelligitur destructio formalis Dominij. Si non transfert , intelligitur formale perseverare , similiter in translatario pro priori naturæ ante acceptationem non intelligitur jus formale , nec hujus carentia , sed ab utroque præscindit , id est , nec includit nec excludit alterum extremum , sed liberè determinando ad unum excludit alterum.

Nota secundò Dominium redicale proximum donandi primò cessare post translationis instans , quia in esse proximi constituitur per voluntatem donandi & possessionem formalis Dominij pro instanti præcedente instans translationis existentem , quæ possessio cum deficiat pro instanti translationis , fit , ut pro sequente etiam cessèt jus radicale proximum donandi in donatore.

Nota Tertiò si plures personæ Divinæ , eaque singulæ assumpsissèt singulas naturas humanas , fuissent plures Christi. Eo casu nullus Christus adversus alterum habuissèt jus , neque plenum in creaturas Dominium , sed cumulativè , nullus enim sine consensu alterius posset disponere E. g. de gloria ut Corona mihi danda , nec tamen voluntatibus dissensissent propter unitatem voluntatis Divinæ , cui quisque suam conformaret.



DIS-

# DISSERTATIO II.

## *De Dominio imperfecto.*

# ARTICVLVS PRIMVS.

## *De Conjugatorum Dominio, & quando id invicem lædant.*

### §. I.

*De varijs Conjugum bonis.*

79. Conjugum bona sunt triplicia, propria mariti, propria uxoris, & utrique communia: ad unum genus ex his revocatur dos, contrados, seu donatio propter nuptias, Arrha, donatio, remuneratio pro Thesauro Virginitatis, sponsalitia largitas & paraphernalia.

Dos est illud quod datur, aut promittitur marito ab uxore, aut ab alio ejus Nomine ad onera ejusdem sustentanda. Dividitur in æstimatam, & in non æstimatam; prior est, cujus valor certo pretio taxatur, hæc taxatio rerum dotalium tripliciter fieri potest. Primò eo modo, quo res venduntur, proinde in Ordine quasi ad faciendam marito venditionem, hoc modo taxatio ex parte uxoris efficit contractum venditionis, Emptionis verò ex parte mariti, unde soluto matrimonio obligatur solum reddere pretium, non res dotales, nec eas si vellent mariti hæredes reddere tenetur uxor, nec hujus hæredes recipere, ita Haunold. *de jure tract. 4. n. 331.* addens si ex tali dote legaret maritus uxori E. g. aureum torquem, non idcircò pars dotis esset soluta, sed nihilominus torquis illius pretium deberetur.

Si æstimatio dotis fuit iniqua licèt non ultra dimidium justi pretij, est tamen reducenda ad æqualitatem, id enim in favorem dotis jus specialiter statuit *leg. 6. §. 2. ff. de jure dotium.*

Si in bonis mariti pretium non exstet dotis æstimatæ, at benè ipsa dos, hanc potest uxor sibi vindicare exclusis omnibus hypothecarijs ut ut anterioribus *L. 30. c. de jure dotium.*

Secundò fit æstimatio præcisè, ut constet de valore dotis, ut si culpa mariti deterioretur, uxor queat repetere certum

tum pretium. Inæstimata dos est, cujus valor non est taxatus. In dubio an æstimatio sit facta venditionis animo, communis opinio præsumit, quod sic, at rectius censet Haunold, præsumendum esse id, quod in tali loco communiter, & frequentius fit.

Contrados est portio à marito, aut ab alio ejus nomine assignata ad dotem assecurandam. De jure communi est æqualis doti *Novella 97. c. 1.*

Arrha secundùm jus commune est id, quod sibi sponsi mutuo tradunt in signum futuri matrimonij, ut sunt annuli, gemmæ, &c. unde habent rationem pignoris *Leg. Arrhis Codice de sponsalibus.* Jure verò Hispanico apud Sanch. *lib. 6. de Matrim. Disput. 27.* est id: quod sponsus sponsæ, aut maritus uxori dat in præmium dotis receptæ, vel nobilitatis, vel pudicitiæ sponsæ, quam ipsa soluto matrimonio lucratur.

Donatio Remuneratoria pudicitiæ, Germanicè Morgen-Gab definitur ab Arnoldo Roth. quod sit Matutinale donum quod maritus altero die nuptiarum pro thesauro pudicitiæ, & virginitatis novæ nuptæ elargitur. Morgengeben Shneydewein convertit eum sponsalitia largitate. Verum juxta Haunold. *tract. 4. n. 330.* rectiùs in eo differt quod sponsalitia largitas sit donatio facta inter sponsos contemplatione futuri matrimonij.

Jure hodierno omnibus hujusmodi donationibus inest hæc tacita conditio, si matrimonium sequatur.

Paraphernalia sunt omnia illa bona, quæ uxor præter dotem ad maritum affert, aut durante matrimonio hæreditate, aliorum donatione, suâ industriâ, &c. post exhibitas in familiæ administratione debitas operas citra mariti coöperationem acquirit.

Communia sunt, quæ tempore matrimonij acquiruntur utrique conjugi v. g. per donationes communes, communem industriam, &c.

## § II.

## *De dotis Dominio, Constitutione, fidejussione, repetitione, alienatione, ac restitutione.*

80. Dicendum est primò Dominium naturale dotis æstimatæ æstimatione faciente venditionem esse penes maritum *leg. 5. cod. de jure dotium*, quia perinde est, ac si maritus dotem emisset.

Dotis verò inæstimatæ, aut æstimatæ æstimatione non faciente venditionem esse penes uxorem; civile penes maritum (per civile Legistæ intelligunt illud, quod non ex jure communi, & naturali sed singulari, legísque authoritate & fictione quadam competit quoad certos usus vel clarius sic cum August. Michel *Theologia Canonico moralis part. 1. tract. 3.*

*tract. 3. §. 1. n. 1.* exponi potest: quod jus civile sit Dominium non plenum jure civili marito in dote ab uxore allata attributum, vi cujus quoad rei vindicationem, fructuum perceptionem, & plenam administrationem pro Dominio rei dotalis se gerit maritus durante matrimonio, licèt res naturali ratione reipsa pertineat ad uxorem) imò, & naturale scilicet, quando est consistens in numero, pondere, & in mensura, etsi non æstimetur æstimatione faciente venditionem: Pars prima & secunda de jure naturali ex communi Theologorum & juristarum contra Bart. & Baldum desumitur *ex leg. in rebus cod. eodem.* Ubi dicitur: res dotales ab initio uxoris fuisse, & naturaliter in ejus permansisse dominio.

Pars tertia de civili penes maritum probatur *ex Instit. titulo quibus alienare licet, aut non*, ubi maritus dicitur: Dotis Dominus, sed non est hujus Dominus naturaliter ut est probatum, ergo est Dominus civiliter id est, jus fingit manere apud ipsum Dominium ad effectum vindicationis, illi enim competit rei dotalis vindicatio.

Pars quarta satis clarè decernitur *in leg. 42. ff. eodem* quia talis dos se habet instar rei mutuo datæ, ergo maritus fit ejus Dominus naturaliter, & civiliter qui soluto matrimonio tenetur ejus numeri, generis, & qualitatis tantundem restituere, quasi interveniisset mutui contractus per L. 42. ff. de jure dot.

Universaliter autem maritus stante matrimonio fit Dominus naturaliter fructuum omnis dotis, si onera matrimonij sustinet, etsi fructus forent majores oneribus: *per legem unicam §. cúmque ex stipulatu. Cod. de rei uxoriæ actione.*

Ex his colligitur, quod periculum dotis inæstimatæ absque mariti culpa, sicut etiam incrementum ejus spectat ad uxorem titulo naturalis Dominij, æstimatæ verò ad maritum *L. 10. ff. de jure dotium.*

81. Dicendum secundò Pater legitimus graviter obligatur ex proprijs bonis dotare prolem legitimam (illegitimæ etiam naturali dos non debetur: hæc enim computatur in legitimam *leg. 129. cod. de inofficioso testamento:* Legitimæ autem tali non debetur, ergo nec dos ultra alimenta illi jure canonico, imò & naturali debita Haunold. *tract. 4. n. 380.*) & quidem probabilius contra Fackinæum Palao, &c. esto filia aliunde sit dives. Pars prima est expressa *in leg. 19. ff. de ritu nuptiarum:* Ubi etiam habetur nolentem Patrem sub pœna arbitraria compelli posse.

Pars secunda etiam teste Palao in praxi observanda probatur cum Haunoldo *n. 379.* alijsque Juris consultis (*ex leg. 7. Cod. de dotis privatione* id satis clare supponente, éstque ratio hæc, quod expediat habere meliorem Maritum. Ad hoc autem est necessaria dos pinguior. Si pater nequit dotare, tenetur paternus avus dotem nepti dare *leg. 6. ff. de collat. bonorum*, ibi: *& quia Pater filiæ: ideo avus propter filium nepti dotem dare debet.*

Hæc avi obligatio probabiliter eum ligat ante Matrem secundùm plerósque Legistas cum Haunold. *n. 386.* contra Palao, quia per se tenetur avus, si pater deficit per jus cit. Mater autem solùm per accidens *Arg. leg. 14. cod de jure dot.* neque, inquit: *Mater pro filia dotem dare cogitur, nisi ex probabili & ma-*

*gna causa.* E. g. ob periculum continentiæ, si filia caret proprijs.

Si dicas cum Palao: Major est obligatio alendi neptem, quàm dotandi, sed neptem divitem avus non tenetur alere ergo nec dotare. *Resp.* Obligatio alimentorum supponit pro causa indigentiam, dotatio verò acquisitionem melioris & ditioris mariti.

In defectu Patris, Avi, & Matris tenetur Frater ex eodem Patre dotare Sororem pauperem, est communis apud Haunold. *ex leg. cum plures §. penultimo ff. de administratione & periculo tutorum*, ibi: *sed non dabit dotem Sorori alio à Patre natæ, etiamsi aliter ea nubere non potuit*: ergo cum exceptio firmet regulam in contrarium, dum excipitur Soror uterina, Soror consanguinea ex obligatione est dotanda, uterina verò solum ex libertate.

Hinc à fortiori sequitur consanguineum obligari alere inopem Sororem, valet enim argumentum, à dote ad alimenta etsi non ècontra. Deficientibus prædictis tenentur eorum hæredes ex generali Regula, quòd succedens in jura succedat etiam in onera.

82. Quæritur primò an maritus pro dote promissa queat exigere fidejussores, possitque fœmina fidejubere? Secundò an, & quando durante matrimonio possit à Marito dos revocari? *Resp.* Ad primùm affirmativè quoad partem utramque primùm habetur *in leg. 55. ff. de jure dotium.* Secundum *L. fin. codic.* Ad senatus consult. Vellejan. ubi etiam exprimitur, hoc in casu fœminam fidejubentem non posse frui beneficio dicti S. C. Vellejan. ècontra quòd uxor per se loquendo nec ante matrimonium, nec hoc constante possit à Marito exigere fidejussores de dote conservanda, solutóque matrimonio restituenda, habetur *in L. 2. cod. ne fidejussores dotium dentur.* Ratio datur in L. ab Imperatore, quod turpe sit uxorem concredere suum corpus Marito, ècontra in conservatione dotis plus fidere alijs, quam Marito. Dixi *per se*, quia per accidens possunt exigi, nempe dum Maritus vergit in inopiam, aut est periculum dotis prodigendæ, Arg. *Cap. per vestras de donat. inter virum & uxorem.*

*Resp.* Ad secundùm Marito vergente ad inopiam ex culpa (verius est oppositum, quando ex infortunio inculpabili: ita Haunold. *n. 398.* contra multos nixos *L. 30. cod. de jure dot. §. fin.* propter vocem *infortunium*, contra quos est, quod hæc lex loquatur de Marito minùs idoneo administrandæ doti, & infortunium etiam possit esse culpabile, lexque mox citanda expressè loquatur de casu malæ administrationis) potest ab eo repeti dos securiùs administranda ad sustinenda ex fructibus onera *L. 24. D. soluto matrimonio* & clarius *Novell. 97. c. 6.* post med. ad quam notat Haunold. non requiri, donec Maritus ad inopiam vergat, sed sufficit apparere malè usurum rebus dotalibus, ut si res proprias prodigat.

Quod si constabat uxori tempore datæ dotis de moribus Mariti, probabilius dos nequit repeti nec cautio fidejussoria exigi, quia leges hoc concedentes loquuntur de casu emergentis novæ causæ, proinde traditio tali Marito facta non est tacitum pactum dotis cum Marito de dote non repetenda, sed est conditio, quâ stante leges non dant jus dotem repetendi. Hinc *lex 14. & 17. ff. de pactis* (quam Authores nobis contrarij allegant) dicens mulie-

mulierem nullatenus posse ullo pacto deteriorem facere conditionem dotis, nihil est contra nos.

Præfato privilegio revocandi dotem non potest validè renuntiare ob causas novas emergentes, ita Haunoldus *tract. 4. n. 403.* quia ista renuntiatio esse pactum non utendi beneficio legis & sic faceret pejorem conditionem dotis, quod citatæ proximè leges invalidant, prior enim nempe *L. 14. ff. de pactis*, dicitur: *ut liceat paciſci de dote, dum ne mulieris conditio deterior fiat*; posterior 17. sic habet: *pacto existimo meliorem conditionem mulieris fieri posse, deteriorem non posse.*

Hinc non obstat quod juxta *legem 21. c. ad ſ. c. Vellejun.* uxor valeat renuntiare Hypothecæ, quam habet in bonis Mariti, disparitas enim est, quod renuntiatio Hypothecæ non præjudicet doti, at benè renuntiatio privilegij revocandi dotem, quia licet uxor renuntians Hypothecæ nequeat actione Hypothecariâ bona mariti avocare, potest tamen per actionem ex dote, aut per rei vindicationem dotem repetere.

83. Quæritur secundò an fundus dotalis (hujus Nomine venit quævis res immobilis non æstimata æstimatione faciente venditionem Marito in dotem data) speciésque, id est, res mobiles possint à Marito validè alienari cum spontaneo uxoris consensu: hoc enim secluso certum est quamvis alienationem proinde etiam Hypothecationem (quæ est species quædam alienationis teste Haunoldo *n. 405.*) rerum immobilium irritâ esse propter naturale Dominium ejus in dotem inæstimatam: unde lege Juliâ alienatio invita muliere vetita fuit, quam legem jus novum, sive codicis ampliavit ad res omnes immobiles licet uxor consentiat *Lege unica §. 15. C. de rei uxoriæ actione.*

*Resp.* Primò fundi dotalis alienationem etiam per Hypothecam & cum consensu mulieris invalidam esse per proximè citatum jus codicis, nisi uxor consensum suum juramento firmet (hoc cum alteri non præjudicet, nec redundet in dispendium æternæ salutis, est adimplendum *per cap. cum contingat de jurejurand.* ad hujus juris canonici observantiam etiam judices sæculares per Ordinarios censuris compellendi sunt) aut post biennium iterum, iterumque consentiat (dummodo vir sit solvendo) ex Auth. sive, &c. *ex Auth. sive à me cod.* ad S. C. Vellejan. aut si fiat ex causa utili per commutationem fundi cum alio meliore (si uterque conjux consentiat aut si prior vendatur, ac pretio hujus alius subrogetur *Leg. fin. ff. de jure dot.* aut si ex causa necessaria alienetur, ut si sit solvendum æs alienum uxoris, consentiárque Maritus, hæc pars teste Haunold. nullâ lege clarâ exprimitur, sed ratione probatur, quòd uxor in conscientia obligetur satisfacere debitis contract s modo possibili.

Imò si contracta sint ante matrimonium non requiri mariti consensum decidit senatus Neapolitanus: sed oppositum est verius ex Haunoldo *n. 409.* post Palao quia maritus fundum totalem accipit non minùs contractu oneroso, quem emptor, sed si hic dissentir, alienatio facta in creditorum fraudem non rescinditur, ergo etiam si dissentit Maritus, nequit satisfieri creditoribus, sed debitorum

solutio suspenditur in tempus soluti matrimonij.

*Resp.* Secundò etiam mobilia inæstimata æstimatione faciente venditionem (nisi sita sint in numero, pondere & mensura: hæc enim ad libitum Mariti posse distrahi decidit *lex 42. ff. de jure dot.*) non posse validè alienari à Marito qui non est solvendo, quia cum citata hæc lex specialiter disponat de consistentibus in numero, de reliquis tacitè negat posse alienari, nisi ut communiter Legistæ excipiunt, Maritus sit solvere potens, quia cum lex julia specialiter loquatur de fundo dotali, seu de immobilibus, neque jus codicis eam extendens ampliat ad mobilia, horum valida est tunc alienatio, *quando enim unum ex pluribus prohibetur, cætera concessa intelliguntur, leg. 12. §. cum Prætor ff. de Judic.* Vide Haunold. *à n. 413.*

Sequitur primò ex dictis fundum totalem invalidè alienatum posse vindicari ab emptore per Maritum saltem uxoris nomine propter Dominium naturale. Imò Haunold *n. 417.* putat esse certum, quod Maritus etiam suo nomine vindicare posset propter Civile Dominium, cujus effectus est rei vindicatio *per n. 80.*

Sequitur secundò quod Maritus validè alienet res dotales, quarum habet Dominium etiam naturale, ut si dos fuerit constituta in re immobili æstimata æstimatione faciente venditionem, aut in memorata pecunia, & pro hac fuit emptum bonum immobile E. g. prædium, quod postea Maritus vendit sequela constat ex *n. 80.* & traditur ab Haunold. *n. 422.* ubi etiam agit, quid juris, & remedij competat uxori eo in casu, si Maritus non sit solvendo, & universaliter existimat, quòd etsi titulo oneroso ad alios dotalis fundus pervenerit, uxori competat utilis rei vindicatio ex generali Regula, quod in casibus dubijs in favorem dotis sit semper pronuntiandum vel in ambiguis *ff. de reg. jur. in ambiguis causis pro dote est respondendum.*

84. Quæritur tertiò quando soluto matrimonio dos sit restituenda, & quis tunc fructuum Dominus? quis alimenta uxori ante restitutam dotem præstet? an ob dotem bona Mariti illi sint Hypothecata, cum prælatione aliorum creditorum? & utrum hæc prælatio competat etiam uxoris hæredibus.

*Resp.* Primò dos immobilis corporalis inæstimata est statim restituenda, intra annum autem (secluso alio pacto) dos mobilis, aut incorporalis, ut jura aut immobilis corporalis æstimata æstimatione faciente venditionem, aut si certa summa in valore sit restituenda *L. unica §. exactio cod. de rei uxoriæ actione.* Ex re frugifera inæstimata à die soluti matrimonij fructus accipit uxor, usus autem jurium, dotisque sitæ in summa est Mariti, hujusque hæredum tempore, intra quod ex lege aut pacto dos non est restituenda.

Si domum Mariti possidet, potest eam retinere, cum illic contentis pignoris loco, donec restituatur dos, & si prægnans est, debet ali ab hæredibus Mariti usque ad partum, licet habeat propria bona, dósque jam sit restituta *leg. 1. §. 19. ff. de ventre in possessionem mittendo*, si autem non gerit uterum tempore non restitutæ dotis ab jisdem est alenda, adhuc enim habet rationem dotis, ergo onus quod habuit Maritus incumbit hæredibus, nisi ex fructibus ali possit, aut aliun-

aliunde, nempe operis statum non indecentibus, sicut enim hi alendi modi Marito vivo conduxissent ad illam alendam, ita conducunt hæredibus: ut aut hæredes obligentur alere, debet in domo hæredum morali, operásque suas præstare illis.

Quid si uxor dotem repetat à Marito, aut socero, aut à filijs ex Marito susceptis, competitne illis beneficium competentiæ, nempe ut nequeant in plus conveniri, quàm superst competenti eorum sustentationi. *Resp.* Aut uxor est in pari necessitate, aut non: si in pari, dos tota est restituenda, debitor enim nunquam dicto beneficio frui potest, dum creditor pari necessitate laborat: Extra parem necessitatem etiam dos inæstimata tota ad eam pleno redit Dominio, si autem fuit æstimata æstimatione faciente venditionem, cum tunc Maritus fuerit factus plenus ejus Dominus, quisque ex præfatis gaudet beneficio competentiæ. De Marito habetur §. *item si de dote Instit. de actionibus*, de Socero *L. 15. §. 2. ff. soluto matrimon.* de filijs deciditur *L. 18. ff. eodem.*

*Resp.* Ad quæst. tertiò uxori titulo allatæ dotis tacitè hypothecantur bona Mariti cum prælatione ad creditores priùs tempore privilegiatos *per L. 30. cod. de jur. dot. & L. 12. §. 1. cod. qui potiores in pignore* (an hoc privilegium competat etiam hæredibus vide Haunold. *n. 436.* Ubi negativa sententia est certa de extraneis hæredibus, affirmativa certissima de descendentibus) amplia responsum, etsi dos tempore contracti matrimonij fuerit solùm promissa, modo postea sit numerata; si non sit numerata, locus non est privilegio prælationis ante dictos creditores August. Michel *Theologiæ Canonico moral. part. 1. tract. 3. p. 4. n. 1. ex Gloss. in L. assiduis verb. dote qui potiores in pignore.*

Dubitatur tamen an hæc prælatio locum habeat solùm respectu aliorum hypothecæ tacitæ, vel etiam habentium hypothecam expressam. Communior, veriórque opinio apud Haunoldum *n. 440.* contra Jasonem aliósque affirmat hoc secundum, quia allegata lex generaliter loquitur, quæ si oppositum sensisset, expressisset creditores tacitam habentes, cum hic pauci sint, tum quia mulier in dote præfertur creditori, cujus pecunia est res empta aut reparata *Nov. 97. c. 3.* Ibi: *quæsitum est igitur &c.* Sed talis creditor præfertur habentibus expressam hypothecam *L. 5. ff. qui potiores & L. 7. Cod. in quibus causis pignus vel hypotheca tacita contrahitur*, ergo etiam mulier eis præfertur: *Si vinco vincentem te: multò magis vincere te debeo L. 14. § 3 ff. de perpet. & temp. præscript.*

Oppositæ sententiæ fundamenta dissolvit Haunold. *à n. 441.* trésque adducit casus, quibus mulieris dos postponitur. inter eos est causa funeris, seu actio funeraria, item contractus fisci, &c. Quibus modis queat elidi actio dotis, vid. cit. Authorem *à n. 448.*

## §. III.

## De Conjugum bonorum Reliquorum Dominio.

85. Dico primò uxor Paraphernalium est plena Domina, proinde habet proprietatem, utilitatem, & administrationem *L. hac lege c. de pactis Conventis.* Hæc tamen lex innuit, æquum esse, ut committatario administrationem, quæ est revocabilis ad libitum uxoris, quo casu nequit uxor citra Mariti consensum licitè disponere, quia postquam illi est tradita administratio adminiculo juris est bonorum administrator, secùs fructuum Dominus, eos tamen in suam, & uxoris utilitatem vel causas ad quas uxor voluerit, potest expendere. Eo casu uxori competit tacita hypotheca in bona Mariti, si de expressa sibi non providit, sine tamen jure prælationis Mynſ. *Cent. 5. observat. 4.*

Dico secundò Dominium naturale contradotis est penes Maritum. Civile autem (vi cujus rei vendicatio competit) est penes uxorem. Ratio primi, quia finis contradotis est assecuratio dotis: hic finis non petit transitum naturalis Dominij in uxorem, ergo remanet cum usufructu in Marito. Secundùm desumitur ex *Novella 61.* Ub. subditur Ratio à Novella supponens uxori convenire rei vindicationem, proinde civile Dominium. Hujus civilis Dominij in uxore est etiam iste effectus quod contrados consistens in re immobili non possit à Marito alienari, nec hypothecari *cit. Novel. § unde hoc.*

86. Dico tertiò sponsaliciæ largitatis Dominium secuto matrimonio est penes uxorem, consequenter soluto matrimonio non est restituenda. Probatur omnis liberalis donatio acceptata transit in jus naturale acceptantis post impletam conditionem, nisi eam jus irritet, sed sponsalitia largitas est donatio liberalis facta sponsæ, eámque jus non irritat, ergo post impletam conditionem nempe secutum matrimonium transit in naturale jus sponsæ Haunold. *tract. 4. n. 349.* Si matrimonium non sit secutum, ejusmodi donum reddendum est donanti, (nisi per ipsum, aut ejus parentes steterit non consecutio matrimonij, tunc enim nihil est restituendum, sed insuper si quid acceperit dono ab altero debet reddere) *L. 15. 16. Cod. de donat ante nuptias*: nisi intervenerit osculum; titulo enim hujus sponsa lucratur partem dimidiam donationis, reliquam sponso restituet, aut hoc mortuo ejus hæredibus, è contra si sponsa quidpiam donavit sponso, etiam interveniente osculo totum debet reddi sponsæ.

Arrha completo matrimonio est restituenda eam danti, quia habet rationem pignoris, seu signi de secuturo matrimonio per *n. 79.* ergo hoc secuto est pignus reddendum.

De Arrhis sequentia notat Haunoldus *tract. 4. Controver. 3.* Primò eas pos-

se

se esse mutuas, & in quavis quantitate rei mobilis, & immobilis. Secundò eas non amitti matrimonio non secuto ex causa justa *L. 2. & 5. de sponsal.* quia dantur ad salvandum promissum, quamdiu est obligatio servandi. Tertiò resiliens sine causa justa eas amittit, & insuper tantundem inæquivalenti per *cit. L. 2.*

Quartò potest illis adjici pactum, ut eas accipiens & injustè resiliens teneatur triplum, aut quadruplum (ita tamen ut in triplo aut quadruplo includatur Arrha accepta) secus ultra. Minorem excipit cit. *L. 5.* contenta si reddat simplum seu id, quod accepit.

87. Dico quartò uxor consummato matrimonio acquirit plenum Dominium doni matutinalis seu Morgenbæ (quam Hispani, ut monui Arrhas vocant) & sub hac voce DD. Hispani de præfato dono scribunt ut Sanch. *Lib. 6. de Matrim. Disput. 27. n. 2.* Molin. *Disput. 431. n. 8. & 9.* ita ut si præmoriatur viro, possit de ea libere disponere, ac relinquere hæredibus ab intestato. Laym. *Lib. 3. tract. 4. c. 13. n. 11.* citatus Sanch. & Molin. contra aliquos. Probatur: donationes remuneratoriæ fiunt statim donatarij post traditionem etiam factæ inter Conjuges, ut communior ac probabilior fert sententia Theologorum & Juristarum apud & cum Haunold. *tract. 9. n. 201.* Contra Lugo & aliquos Legistas volentes ante mortem non esse firmas: Contra quos est, quòd etiam per Lugo non sint propriè donationes, sed compensationes, proinde leges infirmantes inter Conjuges donationes non possunt intelligi de remuneratorijs, sed simplicibus, atqui donum matitunale est donatio remuneratoria pudicitiæ *per n. 79.* ergo. Si Morgengeba non est constituta expressè, & Virgo nupserit, judex eam determinat ita tamen, ut allatæ dotis tertiam partem non excedat, ita August. Michel *Theologiæ Canonico-moralis parte 1. tract. 3. §. 1. punct. 2. num. 9.*

Sed quid si sponsa credita Virgo non sit talis? facitne sui juris donum matutinale? plures negant apud cit. Sanchèz *n. 3.* ob errorem substantialem, seu in causa finali, ipse ècontra *n. 4.* affirmat credens adæquatam finalem causam non esse Virginitatem: si hæc alicubi foret tota causa, negativa sententia est omnino vera.

88. Dico quintò bonorum communium Dominium naturale est penes ambos Conjuges (administratio autem penes solum Maritum, nisi plus consuetudo alicubi juxta conditionem, & statum permittat) quare medietas spectat ad Maritum, & altera ad uxorem, ut patet ex terminis.

Porrò ea quæ Maritus tempore matrimonij lucratur, suâ arte, labore, bonis, per mutuum, elocationem, venditionem, &c. modo aliunde sufficienter provideat familiæ, non sunt communia, sed propria Mariti, uxoris verò quæ ipsa pariter ultra operas rei domesticæ debitas lucratur suâ industriâ, censu, &c. censentur enim parapherna: Ratio est, quod jus commune tum civile tum Canonicum nihil in oppositum disponat: Cæterum cum variæ sint hac in re consuetudines, hæ sunt observandæ, siquidem alicubi etiam lucra sunt communia, ita Gobat. Theologiæ Juridico: Moral. *c. 24. sect. 1.* contra pleros Juristas.

§. IV.

## §. IV.

## *Practicè declaratur jus, & obligatio Mariti erga uxorem.*

89 Dico primò uxorem subjici viro ut Domino, habetur ad Ephes. *5. c. 23.* subjectio hæc non est instar mancipij, vel ancillæ, sed est viri socia, non planè expers omnis gubernationis, & administrationis familiæ, in hoc inferior, quod sine consensu viri nequeat profusè expendere Laym. *lib. 5. tract. 10. p. 3. c. 2. n. 6.* hinc minus subjicitur viro, quàm filij, quia in eam non habet patriam potestatem Wadingus *de Contract. D. 2. dub. 7.* nec castigare eam potest tantum, quantum mancipia aut filios, sed moderatè, etsi graviter delinquat. Citat. Layman.

Administratio per se spectat ad virum, uxorque in servos ancillas, operarios, divisionem temporis, cibum potumque parandum plus juris non habet, quàm ei tacitè vel expressè permittit vir: hic enim est Caput, & Dominus uxoris, cui in dubio censetur permittere tantum, quantum aliis uxoribus paris Conditionis & prudentiæ permitti solet, Gobat experim. Theol. *tract. 10. n. 788.*

90. Dico secundò Maritum peccare mortaliter contra justitiam non solùm notabiliter dilapidantem bona dotalia, aut propria uxoris, sed etiam communia sine uxoris consensu: agit enim contra jus proprietatis uxoris cum onere restitutionis, siquidem Paraphernalium nec habet usumfructuum, communium verò, est Dominus solùm in dimidio, reliquorum habet usumfructum salvâ integrâ eorum substantiâ Laym. *lib. 3. tract. 4. c. 12. n. 6.* negans maritum peccare contra justitiam faciendo sumptus superfluos ex bonis communibus, cum enim sit, inquit, administrator plùs valet circa bona communia, quàm uxor.

Ex his infertur Maritum lethaliter peccare exponentem ludo paraphernalia, aut dotalia uxoris cum onere restituendi, si non potest lucrans debet reddere ut rectè probat Tannerus *2. 2. Disput. 4. q. 8. dub. 6. n. 130.* secùs exponendo communia cum ludus sit contractus in his æque cedens in spem lucri uxoris, nisi hæc nolit consentire, uti non tenetur, quando videt maritum communiter perdere, aut agitur de magna quantitate Less. *lib. 2. c. 12. n. 88.*

91. Dico tertio Maritum uxori dotatæ teneri alimenta præstare secundùm decentiam statûs, id est, necessaria ad victum, vestitum, famulatum, recreationes, donaitones, e Eleemosynas, secundùm morem mulierum talis Conditionis. Les. *n. 85.* & passim Theologi cum Legistis *lege si filia § 1. ff. familiæ* Herciscundæ, dummodo viro cohabitet, nam absque viri culpa temerariè abeunti non debentur alimenta, *qui enim non facit quod debet, non recipit, quod oportet L. si ea Codic. de condit. insertis.*

Si autem recedit ob viri culpam v. g. sævitiam, est alenda, tunc enim perinde est,

est, ac si in ejus obsequijs esset *L. jure Civil ff. de Condit. & demonstrationibus*, ubi conditio habetur tanquam impleta, quando deficit culpa ejus, cui est implenda Sanch. *L. 9. de mat. Disput. 4. n. 20.* Si vir præstat sufficientem cautionem de securitate, uxor tamen renuat redire, deobligatur âb ea alenda Sanch. *n. 24.* ultima enim culpa uxori nocet per *regul. 17. ff. de periculo, & commodo rei venditæ; ibi, æquum est posteriorem moram nocere.*

Conclusionem amplia primo etsi dos fortuito casu perierit. Sanch. *Disp. 5. n. 10.*

Amplia secundo ad uxorem indotatam, ut si duxit pauperem: tunc enim onus in se transtulit Sanch. *n. 8.* cum omnibus.

Amplia tertio ad incarceratam culpabiliter, aut ex culpa morbo contagioso laborantem Sanch. *n. 23.* Contra surdum & alios: sicut è contra uxor virum pauperem bannitum debet alere leg. mutus §. manente ff. de jure dotium Sanch. *n. 13.* Ratio autem est, quod agens pœnitentiam recuperet jus ad alimenta atqui incarceratam pœnitet, estque parata cohabitore viro.

Amplia quarto si uxor, aut Pater ejus fide bonâ promisit dotem & postea nequit solvere: uxor enim ejusque pater *per n. 84.* gaudet beneficio competentiæ, ut nequeat conveniri pro solvenda dote ultra quam facere possint, Sanch. *n. 5.* Cum multis contra Henriquez Lib. 11. c. 18. n. 2. oppositum dic si dolose uxor, & Pater promisserent, scientes se non fore solvendo, fraus enim nulli debet patrocinari: etiam cessat obligatio in casu dotis imperfolutæ promissæ âb externo, seu sub cujus potestate uxor non fuit, quales sunt etiam fratres &c. Non enim se obligabit alere, nisi sub pacto solvendæ dotis vide Sanch. n. 5.; & cum uxor debeat marito præstare duo, nempe dotem, & obsequia, etsi maneat in ejus obsequiis, illique cohabitet attamen non tenetur illam alere, quando pater est morosus in solvenda dote: ita Sanch. *n. 9.* contra Abb. arguentem pro alimentis tunc præstandis titulo obsequiorum, eo quod non sit pejoris conditionis, quam sint servæ, quibus in obsequio dantur alimenta: verum disparitas est lata, quod exinde non sequatur servam fore melioris conditionis, eo quod uxori vir obligetur in casus omnes fortuitos, secùs servæ: illud tamen concedendum est Abbati, quod si eo casu alat uxorem sine protestatione, nequeat prætendere compensationem Sanch. *n. 7.*

Amplia quinto etiam ad uxorem adulteram in foro externo â marito accusatam de adulterio, quamdiu lis pendet: tunc enim debet solvere etiam litis expensas, ne denegetur adulteræ justa defensio jure naturali omnibus debita. Idem die, si uxor maritum accuset de adulterio ad divortium Sanch. *Lib. 10. de matrim Disput. 8. n. 28.* Dixi *in foro externo*, quia maritus scientiam habens adulterij non tenetur in foro conscientiæ eam alere, sicut non tenetur illi cohabitare, ergo eam accusans solum in foro externo cogi potest Sanch. *n. 25.*

Quod si uxor injustè expulsa, aut cocta ab sævitiam fugere domo, adulteretur? amittitne jus alimentorum? negant plures cum Covar. Posse eum tunc agere contra uxorem ad dotis amissionem, eo quod ipse sit causa adulterij, sed rectius affirmant alij cum Sanch. *Disput.*

*5. n. 10.* quod maritus sic sit solùm causa indirecta, ac remota, proinde injusta expulsio non excusat adulterium: Hinc *Cap. significâsti de divortio*, non admittitur uxor adulterij post injustam expulsionem Commissi excipiens contra virum accusatorem.

## §. V.

## *Quæ liceant, aut non liceant uxori circa bona mariti?*

29. DIxi *circa bona mariti*, quia circa bona paraphernalia potest plenè, ac licitè disponere secundùm jus Commune *per n. 85.* ad ea pertinent ipsi legata, donata, & industriâ propriâ acquisita *per n. 88.* imo & ea, quæ sibi conservat parcè, & modestè vivendo ex illis, quæ maritus ipsi donat ad sumptus congruos sibi juxta conditionem statûs. An etiam de paraphernorum genere sint bona, quæ acquirit adultera ex turpi Corporis usu, DD. dissident: negant Molin. Banez &c. attribuentes illa marito utpote Domino corporis uxoris. Tambur. verò *lib. 7. in Decal. C. 5. §. 3. n. 22.* approbatus â Gormaz *D. 9 n. 516.* & alij volunt esse uxoris, quia vir non est plene Dominus Corporis uxoris, sed ita ut illo queat uti in conjugali debito.

Et cum ususfructus dotis spectet ad maritum, hinc etiam ille est inter bona mariti. Quid de reliquis bonis? constat à *n. 85.*

Dicendum est quod uxor etiam ex proprijs paraphernis dives habeat jus ad alimenta *per n. 91.* non est administratrix bonorum mariti, & dotalium, nisi Maritus domo absit, aut sit amens, sed nec tunc, si Magistratus, aut vir aliter dispoſuerit: quia tamen etsi non sit Domina, est tamen socia mariti, ei licent omnia, quæ alijs uxoribus secundùm morem fœminarum aliarum sui statûs: expendens autem quid notabile ultra hoc ex bonis mariti propriis, aut utriq; communibus, aut dotalibus peccat mortaliter contra justitiam cum obligatione restarciendi, nisi maritus tandem prodegerit ex bonis uxoris: tunc enim est mutua compensatio, aut etsi non prodegerit maritus: hic tamen facilè concederet uxori hujusmodi sumptus, vel eo inscio prodigè expensos nollet sibi restitui âb uxore si rogaretur, ita Lugo *Disp. 21 n. 53 Laym. lib 5. tract. 6. c. 10. n. 16.* uxor enim ex tali præsumpta voluntate usurpans bona mariti non est fur, quia ad furtum requiritur positiva Domini voluntas retinendi jus suum adversus alterum. Vide superius *n. 44.* Ex his

93. Infero primò posse uxorem occultè compensare, si maritus partem dotis, aut paraphernorum absumit, dummodo caveat, ne ob ignoratam compensationem à morte mariti sibi, aut suis hæredibus portio compensata restituatur Less. *lib. 2 c. 12. n. 87.*

Infero secundò durante penes uxorem administratione potest facere sumptus non tantùm, quos soler maritus, sed etiam alios quos judicat prudenter fieri posse Less *n. 86.*

Infero Tertiò uxor potest ex bonis com-

communibus facere expensas necessarias (quas maritus ex avaritia aut negligentia, vel ignorantia non facit) ad avertendum grave malum mariti Corporale, ut morbum, Carcerem &c. malum enim viri redundat in damnum uxoris, ergo habet jus avertendi illud Less. *n.* 85. probabilius extendens ad avertendum damnum Spirituale v. g. ut agat pœnitentiam, vel amplectatur veram fidem contra Gobat Molin. quia utilissimè gerit negotium mariti.

Infero quartò potest uxor ex bonis cõmunibus succurrere liberorum necessitatibus ac familiæ in viri neglectu, quia tunc nequit esse rationabiliter invitus: hinc dum vir dilapidat, potest uxor clam surripere necessaria ad sustentationem familiæ, partemque suam salvare Less. *n* 87.

Infero quintò potest ex communibus secundùm morem mulierum sui statûs expendere in victum, vestitum, ludos, recreationes Eleemosynas &c. unde potest indigis suis parentibus, aut liberis prioris matrimonij, aut fratribus aut sororibus succurrere dummodo in hos Eleemosynæ factæ junctæ eleemosynis in alios pauperes non excedant summam statui suo, & facultatibus competentem Less. *n.* 85. 88. & sequentibus allegans *L. mutus 73. ff. de jur. dot.* quæ expressè loquitur de necessitate alendi patrem, fratrem, aut sororem. Ratio quod honesta uxoris sustentatio se extendat etiam ad largitiones, ad quas jus naturale obligat. Vide Gob. *Theol. Juridico-Moral. c. 24 mihi à n.* 44.

Illationes præsentes locum habent etiam in uxoribus indotatis quia etiam his competit sustentatio secundùm statûs congruitatem, nec DD. faciunt differentiam teste Gob. *n. mihi.* 51. Ex dictis etiam locus si in defectu communium fiunt expensæ præfatæ ex proprijs Mariti, & dotalibus Gob. *n.* 52. post Navar, Raginal. &c.

Illud est juris incerti, utrum uxor habens propria possit suos prioris matrimonij liberos, Parentes, aut fratres juvare ex bonis communibus, aut in horum defectu ex proprijs Mariti: ex proprijs debere præstare ex communi tradit Gob. *à n.* 53. proinde expensas factas ex communibus debere uxorem postea referre in suam partem tempore portionis bonorum communium cum Mariti hæredibus; at *n.* 56. esse oppositum probabile censet. Verum si suos consanguineos juvet Eleemosynis etiam in unum congregatis, quas potest uxor ex communibus (si hæc adsunt) aut ex Mariti proprijs in defectu communium facere in alios egentes, nullam agnoscit culpam Molin. *Disput.* 274. §. *quia ergo n.* 12. etsi aliquanto pinguior fiat illis Eleemosyna, nec apparet obligatio in partitione cum hæredibus Mariti computandi in partem suam hic expensa, aliàs eliam Eleemosynas in alios pauperes factas deberet referre. Ejusdem Sententiæ est Lugo *Disput. 16. n.* 72. in cujus initio tradit oppositum si uxor habet paraphernalia, aut bona alia cum libera administratione. Hæc opinio, cum sit communiore calculo recepta videtur præferenda.

## §. VI.

## *Tria de uxore quæsita expediuntur.*

DE his vide appendicis *numerum 408.*

## §. VII.

## *An uxor debeat sequi domicilium viri & debita ad eam alendam à viro paupere contracta dissolvere?*

94. DIcendum primò secluso pacto uxorem teneri sequi Maritum transferentem alio suum domicilium; idque sub culpa mortali, ita ut certum apud omnes tradit Sanch. *Lib. 1. Disp. 41. de matrimon. n. 2. ex cap. unaquæque causa 13. quæst. 2.* vir enim est caput mulieris *ad Ephes. 5.* ergo subjicitur viro quoad habitationem ex jure Divino, & ex vi contractûs matrimonialis propter redditionem debiti. Unde secluso viri consensu nulla potest prævalere contraria consuetudo, sicut tamen cum valdè gravi suo incommodo non tenetur reddere debitum, ita cum gravi detrimento non debet Maritum sequi, uti nec si eam vellet pertrahere ad peccatum, ducendo illam ad peccandi pericula E. g. ad hæreticos, ut inter hos vivat: tunc enim prævalet præceptum vitandi peccatum & hujus periculum præcepto cohabitandi.

Dixi in conclusione *secluso pacto*, quia si ante contractum matrimonium intercessit pactum pactum de non mutando domicilio, non tenetur sequi, nisi mutatio domicilij fieret ex causa valdè urgente, eo enim casu sequi debet, quia pacta cum magna difficultate non obligant, ut ex communi docet Sanchez *Disput. 41.* extendens ad pactum etiam juramento firmatum utpote pro eo casu non obligativum, quia est de re contra bonos mores, nempe de occasione adulterandi respectu utriusque conjugis, si non sibi cohabitarent. Sed teneturne sequi virum, quando uxor potest citra grave incommodum, nec fit mutatio domicilij ex turpi causa sed nec vir habet causam necessariam? *Resp.* Affirmativè cum Sanch. *Disput. 41. n. 5.* Cum plerisque contra Alexandrum de Nevo, quia etsi uxor, & Maritus parificentur quoad reciprocum usum corporis in Dominio; in eo tamen est differentia, quod vir sit caput uxoris, proinde ejus sit domicilium constituere etiam seclusâ causâ urgente, siquidem etiam vir debet sequi uxorem ex causa urgente

gente mutantem domicilium propter Dominium ad debitum conjugale.

Idem tamen Sanch. *n. 6.* ex recepta sententia deobligat uxorem à sequela Mariti, si hic tempore contracti matrimonij non fuit vagus, aut ignoravit esse talem, illéque vagari vellet; quia obligare uxorem ad vagandum esset onus gravissimum, nisi antea scivit vagum, nihilominus contraxit, tunc enim sibi imputet.

95. Quoad secundam partem paragraphi quæstio gravissima est, quando defuncto viro nulla hujus supersunt bona, an vidua relicta ex suis proprijs teneatur solvere debita à viro contracta ad ipsam, & familiam alendam, nempe ad solvendam familiarium mercedem, domûs conductionem, vestes, cibaria, &c.

Decisioni præmittendum est, quod Maritus inops non teneatur alere uxorem, ita pleríque cum Sanch. *Lib. 9. de Matrim. Disput. 4. n. 27.* quia non tenetur uxori ultra, quàm facere possit, *Leg. etiam & Leg. maritum ff. solnto matrimonio*, imò si uxor dives est, debet alere pauperem Maritum *L. si cum dotem 23. §. si maritus ff. eod.*, ibi: *quid enim tam humanum est, quam fortuitis casibus mulieris maritum, vel uxorem viri participem esse.*

Quamvis autem inops maritus non teneatur alere uxorem, filiósque, hæc tamen obligatio non exstinguitur, sed suspenditur pro inopiæ tempore, sicut quisque debitor intra tempus inopiæ non est deobligatus ab onere solvendi debita, sed tantisper suspenditur obligatio. Ratio quia si post inopiam viri hic acquireret media solvendi debita tempore inopiæ contracta pro alimentis uxoris nemo obligaret hanc ad solutionem sic contractorum debitorum, sed vir adstringeretur, ergo obligatio alendi non fuit exstincta, aliàs non reviviscceret. Hoc suppositio.

Dicendum secundo uxorem deobligatam esse à præfatis debitis solvendit secundùm mihi probabiliorem sententiam multorum cum citato Sanchez *n. 29.* contra Fagundez *Lib. 4. in Decal. c. 9. n. 10.* & multos apud Sanch. *n. 28.* fatentem valde probabiliter eos loqui, quibus, & ego assentior. Primò in casu quo matrimonium est celebratum medietate bonorum, hoc est, ita ut lucra sint communia viro, & uxori, tunc enim etiam medietas onerum nempe debitorum spectat ad uxorem, Molin. *Disput. 274. §.* addidi maximè, &c. nisi ante contracta à marito debita uxor renuntiet lucris, quia sicut tunc caret favore, ita liberatur ab onere solvendi debita Molin. *Disput. 435. n. 8. §.* tertium est.

Secundò assentior obliganti sententiæ ad solvendum, quando pauper maritus contrahendo debita pro alimentis familiæ protestatus est se nolle gratis alere uxorem, quia pro eo casu non tenetur eam alere (aliàs tenetur ultra posse contra dicta) ergo non tenetur ære alieno gravari pro ejus alimentatione ergo quantum ejus causa vir insumpsit, tantum hæc tenetur compensare ex suis. Extra hos duos casus.

Probatur efficaciter conclusio: si vir pauper mutuam pecuniam accepisset, eáque priorum creditorum æs solvisset, creditores eâ pecunia soluti non tenerentur eam restituere creditoribus posterioribus, ne in subsidium quidem viri inopis defuncti, quia pecuniam non acceperunt titulo lucrativo, sed oneroso, atqui eadem est

ratio

ratio de uxore alita ære alieno ab inope viro contracto, ergo.

96. Respondebis esse disparitatem, quòd maritus pauper non teneatur alere uxorem, filios, &c. consequenter dum hos, & illam ex mutuo alit, hanc, & illos non alit ex debito, sed ex causa lucrativa: ècontra creditores anteriores soluti sunt non ex causa lucrativa. Contra enim est, quòd sit prorsus eadem ratio pauperis viri comparati ad uxorem, filiosue alendos, & ad creditores, quia est utrisque obligatus, his ad debita solvenda, illis ad alimenta præstanda, propter actualem tamen paupertatem excusatur, tum ab actuali debitorum solutione, tum ab alimentorum subministratione, ergo si creditores hoc non obstante accipiunt debitorum solutionem, non ex causa lucrativa, etiam uxor, & filij accipiunt alimenta non titulo lucrativo, quia etsi excusetur à peccato non ministrando alimenta, attamen debitum eadem ministrandi semper manet, ut præmisi *num. 95.* aliàs si non maneret debitum, hoc etiam postquam sortem pinguiorem, nanciscerétur: non teneretur amplius alere uxorem, filios, &c. quia obligatio semel extincta non revivíscit *L. cum ex causa Cod. de remissione pignoris.*

Quid si penes uxorem, & filios pecuniâ mutuò acceptâ res empræ exstent, an saltem tunc uxor, & filij teneantur, si maritus, aut hujus Pater non sit solvendo. *Resp.* cum Sanch. *n. 29.* in fine negativè, quia nulla est creditoribus actio adversus res mutuâ pecuniâ emptas, nec illæ sunt subjectæ hypothecæ; sed competit sola actio personalis adversus mutuatarium adversus aliquos.

Argumentorum sententiæ oppositæ substantia reducitur ad hoc, quod secundùm *Legem Ei qui 7. §. alioquin. Codic. quod cum eo, &c.* teneatur in subsidium contrahentis, si res illa sit conversa in meum commodum. Item secundùm *Glossam in legem his solis ff. de condictione indebiti,* Verbo *Proficit.* Etsi in lege decernatur jus petendi pecuniam competere tantum contra recipientem, secus contra eos, quibus proficit: tamen hæc legis dispositio fallat in subsidium, si recipiens non sit solvendo, & quibus proficit, habeant ex causa lucrativa, prout uxori, & filijs in casu nostro cessit in utilitatem ex causa lucrativa, ac tandem quòd uxor, &c. ex re aliena tunc fiat ditior: omnis autem ex alieno ditior teneatur ad restitutionem *Lege. 2. ff. ad L. Rhod. de jactu.*

*Resp.* Citatam *Legem Ei qui* Non habere locum in nostro casu, quia illud mutuum non dicitur verè conversum in utilitatem uxoris & filiorum, utpote eis debitam, consequenter negatur eos accepisse ex causa lucrativa, sed onerosa, nec fieri ditiores ex alieno, sed ex debito, uti ostendit argumentum à nobis factum pro conclusione.

Ex his patet idem dicendum, si propter filios alendos pater inops mutuum accepisset, eos non teneri Patre defuncto debitum contractum exsolvere.

§ VIII.

## §. VIII.

## *An, & quæ ex bonis suis Viduæ, aut Viduus transiens ad secundas nuptias debeat relinquere prolibus prioris matrimonij*

97. Jus Cæsareum intra annum luctûs binnubis plures pœnas olim statuerat, quas leges apud Haunold. *tract. 4. n. 468.* has posterius jus, & Canonicum *Cap. fin. de secundis nuptiis* ob libertatem secundi matrimonij cassavit: quas tamen non esse cassatas defacto respectu viduæ intra annum luctûs fornicantis tradit communis apud citatum Haunold.

Præter eas etiam sunt statutæ aliæ etiam post annum luctûs secundò nubenti fœminæ, quando hæc habens proles exstantes ex primò matrimonio, & titulo lucrativo acquisivit ex bonis defuncti mariti fortunas aliquas sive inter vivos, sive per ultimam voluntatem. Hæc juris dispositio non est principaliter pœnalis, sed prudens provisio, & favor collatus prolibus beneficio legis, proinde est simpliciter favorabilis: Unde etiam canones eas approbant utpote non in odium matrimonij secundi statutas.

Dixi titulo *Lucrativo*, quia bona à viro acquisita titulo oneroso transiens ad secunda vota non amittit, nec tenetur partiri inter proles: hujusmodi est medietas bonorum communium, & quidquid ab eo accepit emptione, permutatione, vel locatione, &c.

Dubitatur an acquisita ab uxore contemplatione mariti sint reponenda inter lucra uxoris. Affirmat communis cum Fachineo *Lib. 2. c. 15.* Sanch. *Lib. 6. de matrim. Disput. 26. n. 21.* Verùm oppositum ut verius tuetur Haunold. *num. 475.* post Arnold. Rath. quia cum uxor non sit sub patria potestate constituta, sed sui juris, licèt quoad effectus matrimonij subjiciatur viro, donatio ei facta non est similis donationi factæ filio intuitu Patris, sed donationi mihi factæ intuitu mei Amici, unde cum arrogatus subjiciatur Patriæ potestati arrogatoris, non est argumentum à donatione facta arrogato intuitu arrogatoris, quæ secundùm jus huic acquiritur.

Item intra lucra per secundas nuptias amittenda non venit ususfructus relictus uxori à viro defuncto, ita jure novo *Novella 22. c. 32.* Corrigentis jus *in Leg. unic. Codic si secundo nupserit mulier*, cui maritus usumfructum reliquit, nisi, uti excipit Nov. hæc marit us eâ lege usufructuariam fecerit, ut ex secundis nuptijs intereat ususfructus. His prænotatis.

98. Restat decidendum primò, an bonorum, quæ binnuba ex bonis mariti defun-

defuncti acquisivit titulo lucrativo, quando proles ex defuncto susceptæ exstant, amittat proprietatem retento solùm ad dies vitæ usufructu, ita ut proprietas sit relinquenda prolibus in conscientia, & quidem æqualiter inter eas dividenda.

Hæc æqualitas jure recentiore *Novellæ secundæ c. 1.* & *Authentic. lucrum de secundis nuptijs* statuta est contra jus antiquius codicis, secundùm quod erat liberum binnubæ totum relinquere uni soli proli dummodo cæteris daretur legitima.

Eadem ratio est de Patre binnubo habente lucra defuncta prima uxore, declarat enim Imperator §. *in illo 4. cod. de bonis quæ liberis*, & præcipit exemplo Matris bona Patris secundò ducentis uxorem hypothecari prolibus prioribus matrimonij ad præfata lucra jisdem conservanda, ita ferè omnium sententia cum Sanch. *Lib. 7. de Matrim. Disput. 89. num. 10.*

Decidendum est secundò, quantam portionem Mater binnuba novo Marito seu prolium Vitrico, aut Pater binnubus earundem novercæ uxori suæ secundæ ex bonis suis possit relinquere testamento, vel codicillo, vel legato, vel dote, vel donatione ante nuptiali, vel mortis causa, vel inter vivos relinquere.

Dico primò uxorem binnubam ante sententiam Judicis amittere in conscientia omnium lucrorum proprietatem acquisitam à Marito, ita Haunold. *n. 504.* contra Laym. *lib. 5. tract. 10. p. 3. c. 6. n. 11.* probatur invertendo argumentum Laymani, ideò non obligaretur in conscientia ante sententiam Judicis, quòd amissio proprietatis sit quædam mulcta, hæc autem non incurratur ante sententiam, sed amissio proprietatis lucrorum non habet rationem mulctæ, seu pœnæ, sed favoris beneficio legis collati prioris Mariti prolibus per *num. 97.*

Limita conclusionem nisi conjux mortuus, aut liberi relicti expressè renuntiet juri suo beneficio recentiorum Novellarum eis competenti prout posse renunciari illi citra authoritatem publicam est communissima sententia, contra Giphanium, eò quòd amissio proprietatis lucratorum favor & provisio providentialis facta sit filijs, secus ratio pœnæ saltem pura: soli autem legitimæ pœnæ sine authoritate publica à privatis nequit renunciari.

Porrò non renuntiatur dicto Legali favori per tacitum consensum situm in eo, quòd proles non contradicant secundis nuptijs, quia aliàs vix unquam citatæ legi de secundis nuptijs locus esset, cùm raro proles apertè contradicant: imò etsi apertè consentiant in secundas nuptias, adhuc tamen non renuntiant juri suo formaliter, ut est certum; nec virtualiter, quia cum expresso in nuptias consensu potest stare protestatio reservativa proprietatis lucrorum, cum quali protestatione est impossibilis virtualis consensus in renutiationem dicti beneficij Legalis, ita Haunold. *n. 489.* Andr. Fachin. *lib. 3. c. 65.* communem veterum.

99. Objicies contra hanc ultimam partem etsi Pater nequeat impedire tutelam filio delatam contra *Institutionum qui testamento Tutores*, quia est munus publicum, *Institutionum de legitima agnatorum tutela §. cur fœmina*, attamen quia non tenetur consentire, consentiendo in illam sibi præjudicat, quatenus potest conveniri in solidum ob malam

lam filij administrationem, si autem non consentit, tenetur tantùm de peculio (id est non insolidum, sed eatenus tantum, quantum vires peculij patiuntur Ant. Perez *Lib. 4. Instit. tit. 6. §. Actiones autem leg. si filiusfam. 7. ff. de Tutel.* ergo etiam expressus prolium consensus in secundas nuptias præjudicat juri prolium. Secundò expressus prolium, consensus in secundas nuptias impedit injuriam] in eos ex nuptijs resultantem, ergo impedit, ne cesset proprietas lucrorum in Matre, vel Patre binnubo, quia proprietatis amissio est pœna vindicans injuriam illatam prolibus.

*Resp.* Ad primum esse disparitatem quòd lex allegata pro antecedente non loquatur de qualiumcúnque consensu, sed de consensu in ipsos actus filij approbando illos, proinde aliqualiter suos faciendo, ut clarè patet ex contextu, consensus autem in nuptias non approbat actus parentis.

Ad secundum supponitur falsum nempe secundas nuptias parere infamiam, & injuriam prolibus: postquam secundæ nuptiæ sunt Canonizatæ contra jus civile ab Ecclesia propter libertatem matrimonij, & vitandum incontinentiæ periculum.

100. Dico secundò si vidua, aut viduus transiens ad secundas nuptias habet prolem unicam nequit plus hujus vitrico, aut Novercæ dare, quam proli, si autem habet plures proles, & hæ habent æquales portiones, nequit plus donare, quam pervenerit ad unamquamque prolem, si autem habent inæquales portiones, nefas est plus relinquere quam proli, cui minor portio est relicta, aut donata, concluso tota decisa est textu clarissimo *L. 6. cod. de secundis nuptijs apud* Haunold. *n. 500.*

Addit lex, ut quarta pars, quæ ex legibus debetur eisdem prolibus nempe legitima, nullo modo minuatur, postea annullat quidquid ultra relictum aut donatum fuerit; quæ annullatio ut proximè præcedenti conclusione dictum ante judicis sententiam locum habet.

Dictis pœnis locus non est, quando defunctus conjux superstiti dedit licentiam transeundi ad secunda vota, Gail *lib. 2. observ. 98. n. 18.* Nec si proles ex priori matrimonio nullæ exstant.

Post mortem binnubi, aut binnubæ parentis liberi possunt præfata lucra sibi vindicare à quocúnque eorum possessore *L. 5. c. de secundis nuptijs.* Contra hanc vindicationem non præscribitur nisi spatio 30. annorum, idque tempus incipit primùm currere à tempore, quo liberi facti sunt sui juris, *Novel. 22. c. 24. in fin.*

Item à die non contracti secundi matrimonij, sed à die, quo aliquid ex lucris ad binnubum Patrem, aut Matrem provenit, facultates hujus liberis manent obligatæ titulo hypothecæ *L. 6. §. omnibus c. cod.* id ipsum statuitur *L. 8. §. in illo.*

Demum parens aut Mater binnuba transiens ad secundas nuptias debet cautionem dare de salva lucrorum substantia, aut pretio, quanti illa fuerit æstimata à jurato arbitrio, & quod post mortem restituetur, cit. *L. 6. §. his illud, &c. & Novel. 22. c. 41.*

# ARTICVLVS SECVNDVS.

## *De Dominio Paterno & filiorum, eiqúe annexis.*

### §. I.

### *Quid sit jus Paternum & an filiusfamilias habeat aliquod jus?*

101. DIco primò jus Paternum est potestas legitima dispensandi de rebus filij lege non prohibitis ordinata ad utriusque felicitatem inductum à lege naturali principalius in favorem prolis, secundario in favorem Patris, ita Esparza *hic q.7.* Probatur: Patrem ut talem posse de rebus Filij non emancipati disponere est certum, quia non emancipatus non est sui juris, sed sub potestate Patris: hanc dispositionem esse Ordinatam indivisim ad utriusque commodum colligitur exinde, quòd pater huic obligationi non satisfaciat, si in educatione filij posthabito hujus commodo quærat præcisè suum, nec si promoveat præcisè bonum filij: hic enim ultra limites obligationis paternæ agit, id est, non agit pater, ut pater, sed cedit juri suo, hoc enim consulit etiam felicitati paternæ, etsi minus quàm felicitati filij. DEUS enim ut Author naturæ ex rei natura æqualiter amat Patrem, & filium, ergo cum pater plura præhabeat necessaria ad suam felicitatem, quàm filius, ipsa natura in favorem filij magis gravat Patrem. Ex his.

Colligitur hoc jus inductum esse à lege naturali; lex enim naturalis obligat, ut totum consulat partibus, & vicissim, filius autem ut talis est pars patris non solùm physica titulo generationis, sed etiam Moralis, quatenus subjacet voluntati Patris in concernentibus educationem, morum directionem, institutionem, ac subministrationem eorum, quæ sunt necessaria ad commodam pro ratione statûs vitæ sustentationem, donec filius emancipetur.

Colligitur secundo Jus paternum esse partim jurisdictionis, partim proprietatis, quia prospicit felicitati tum filij, tum suæ: hinc cæteris paribus magis obligat, quàm jus pure proprietatis aut jurisdictionis, cùm duorum felicitas sit majus bonum, quàm unius.

102. Dico secundo filiusfam, ut talis (ideſt filius, qui est in patris potestate constitutus) nullum habet jus simpliciter tale, quia filius ut talis est correlativum Patris, & pars hujus moralis, atqui pars ut talis nullum habet jus strictum, est simpliciter tale contra totum, cujus est pars defectu perfectæ alteritatis, cùm filius qua talis non sit simpliciter alter à Patre alteritate voluntatis per corollar Primum. §. II.

## §. II.

# *De Patria potestate, ejus effectu, & extinctione.*

103. PAtria potestas hic definitur âb Haunoldo *tract. 4. n. 166.* patria peteſtas est jus per quod filij & filiæ cæteriqúe descendentes supremo ascendentium superstiti ex linea Masculina subjiciuntur in Ordine ad certos effectus jure civili introductos. Est igitur jus quoddam in filios, & horum bona competens Patri ut tali ex justis, ac legitimis nuptijs secundùm legem potiùs Romanorum, quàm naturalem aut divinam: unde abrogari potest per consuetudinem aut leges municipales, Gormaz *D. 9. n. 511.* Dixi *Patri*: Matri enim etiam defuncto Marito hanc potestatem jus non attribuit, nec Patri respectu filij illegitimi, nisi per subsequens matrimonium sit legitimatus, aut Principis rescriptum.

Quando patria potestas dissolvitur per emancipationem tunc filiusfamilias, evadit in Patremfamilias, seu fit juris sui, proinde potest liberè contrahere, testari, & cætera agere ut alij Patresfamilias, sitque plenus Dominus in acquisitis bonis remanente tamen penes patrem (si liberè emancipavit filium) usufructu in medietate bonorum adventitiorum filij in præmium emancipationis. §. *hoc autem Institut, per quas personas nobis obligatio acquiritur.*

Quapropter naturales & Spurij non subsunt patriæ potestati; nec nepotes, & neptes progenitæ ex filia, secus ex filio. Patria igitur potestas attribuitur soli patri, vel ascendentibus in linea paterna, unde si patris avus, & proavus vivit, penes hunc est patria potestas in reliquos descendentes; eo defuncto penes avum, ac post hujus obitum penes patrem. Mortuo igitur Supremo ascendente proximus huic fit sui juris, sed reliqui recidunt in hujus potestatem.

Si quis ex descendentibus egreditur patriam potestatem E. g. filius non propterea proles natæ, aut conceptæ ante ejus egressionem, liberantur à patria potestate avi, sed solùm Conceptæ post emancipationem. §. *illud autem 9. Instit. quibus modis jus patriæ potest. Salvatur.* Verùm cùm hodie fere ubiqúe filius per Matrimonium egreditur patriam potestatem, consequens est ferè ubiqúe defacto soli Patri competere patriam potestatem.

Constat præterea ex defectione patriæ potestatis, quòd filius ex filia non sit in potestate avi Materni.

Effectus patriæ potestatis sunt sequentes de jure relati ab Haunold. *Tom. 1. tract. 4. â n. 170.* Primarius est jus in bona filij in quædam quidem quoad usumfructum tantùm, ut in adventitia in quædam etiam quoad proprietatem, ut in profectitia, de quibus postea.

Secundus est, quòd Pater oppressus fame, aut probabiliter, etiam, dum aliter vitam non potest tueri, possit filium vendere, aut oppignorare cum obligatione eundem redimendi si poterit.

Tertius filius in potestate paterna constitutus (extende etiam ad emancipatos, & ab extraneo adoptatos) nequit cum Patre litigare, nisi habita prius à Judice veniâ, quæ non datur, nisi lis sit, aut de bonis Castrensibus vel quasi, aut de emancipatione, aut de alimentis, aut de adventitiorum dilapidatione, vel alienatione immobilium, aut filius agat nomine alieno videlicet ut Tutor, Curator, Procurator, &c.

Quartus quòd filiusfamilias ex mutuo nequeat obligari sine Patris consensu, uti constitutum est per S. C. Macedonianum.

Quintus Filiusfamilias Patre non consentiente nequit donare mortis Causa, at nec ex ejus consensu testari, nisi de castrensibus & quasi.

Sextus filio impuberi injuriam illatam eo invito Pater potest condonare, nisi filius sit in dignitate constitutus, &c. plures lege apud cit. Haunold.

Quibus autem modis finiatur patria potestas, Consule eundem *à n. 176.* Certum est finiri per mortem naturalem habentis prolem in potestate. Secundò per Religiosam Professionem filij. ¦ An post emissa vota simplicia in Societate JESU dimissus ex ea recidat in patriam potestatem dubitari potest. Affirmativa est vera ex Sanch. *lib. 5. Moral. c. 5. n. 31.* approbato ab Haunoldo, ideo enim professio tollit patriam potestatem, quia profitendo fit transitus in perpetuam potestatem Prælati, qualiter simplicia vota non faciunt transire Scholasticum in jus Prælati, sed duntaxat, quamdiu suberit Prælato, ita cessante subjectione revivisit patria potestas. Hinc non est paritas à Professo ejecto non recidente in patriam potestatem, nam status professi est suo modo perpetuus sicut status Matrimonialis. Quare non est audiendus idem Sanch. *lib. 1. Consil. c. 1. dub. 14. n. 4.* Oppositum tradens à paritate professi ejecti.

## §. III

## *De onere alendi proles annexo paterno Dominio.*

104. POst Primum triennium tenetur Pater alere filium non modo jure naturali, sed etiam positivo, *lege si quis à liberis ff. de agnoscendis & alendis liberis*: Primo autem triennio integro Mater debet alere lactando per *legem nec filium Cod. de patria potestate.*

Ut autem alat proprio lacte non est obligatio mortalis, dummodo (nempe suis expensis, si ipsamet possit lactare, non tamen lactet, nisi eam excuset causa justa, qualis est etiam conformitas cum more patrio: Stante hac causa, aut si lactare non possit, tenetur vir etiam nutricem

tritem solvere Azor *p. 2. l. 2. c. 4. q. 3. & 4.* ) provideat de nutrice non infecta morbo, aut pravis Moribus: exinde ergo debet alere Pater; in hujus defectu ejus ascendentes, iis impotentibus, aut nolentibus Mater.

Hinc sequitur naturalis obligatio in parentibus ad comparanda mediocri saltem diligentiâ adhibita bona sufficientia naturalia honestæ prolium sustentationi ex illo *ad Corinth. 12. non debent filij thesaurizare parentibus, sed parentes filijs.*

Obligationis inter Patrem & Matrem notabilis differentia est relatè ad alimenta prolibus præstanda, cùm respectu Matris nomine eorum solùm lac primo triennio præbendum etiam spurijs, reliquas expensas omnes debet facere Pater ex omnium Sententia teste *Azor c. 5. q. 8.* Si potest si non potest ( nisi avus paternus valeat per *n. 81.* ) Mater etiam post triennium lege compellitur educare per cit. *L. si quis, &c.* eâ deficiente avus Maternus, deinceps alius propinquior consanguineus, ac tandem Hospitale publicum.

Respectu verò Patris per alimenta intelliguntur omnes expensæ necessariæ ad sustentationem non solùm secundùm naturæ necessitatem, sed etiam statûs æqualitatem, consuetudinem patriæ &c. Azor *c. 4. q. 19.* præmittens *q. 17.* ex omnium consensu Patrem jure compelli ad sumptus pro litteris addiscendis necessarios intelligendo per litteras ea, quibus cæteri paris Conditionis more patrio informari solent; Pater enim debet filium juvare ad statum, quem filius rationabiliter eliget: ex quo inquit Gobat. *Theol. Juridico. Moral. c. 28. Sect. 2.* rectè probatur parentes quorum liberi nequeunt conformiter suo statui se alere nisi litteris, ut sunt filij nobilium aut Doctorum tenuis fortunæ obligari ad eos studijs excolendos; non autem sequitur, quod rusticus aut opifex debeat filium ad Scholas mittere, sed perficere, ut valeat statum eligere suæ conditioni congruum v. g. militarem, Mechanicum, Sacrum &c. Addit *n. 19.* ex communi usu, quod Pater habeat jus determinandi filio aliquod Studium certum, in eo tamen determinando magnam debet habere rationem inclinationis in filio animadversæ.

105. Dicta de alimentis extendunt Doctores ad illegitimos etiam spurios secundùm jus Canonicum *Cap. cum haberet de eo, qui duxit in matrimonium,* in fine ubi de adulteris conjugibus statuitur, ut secundùm quod *eis suppetunt facultates necessaria spurijs submini-strent*, & hoc jure standum est in omni foro contra jus civile, *auth. ex complexu nefario Cod de incestis nuptijs* à Canonico correctum quoad necessaria secundùm decentiam statûs, quoad alimenta verò absolutè necessaria ad vitæ sustentationem, ut impium naturali juri rejicitur, *cum jura sanguinis nullo jure dirimi possint L. 8. ff. de regula juris.*

Extendunt secundò ad Clericum, quòd possit alere prolem spuriam ex redditibus Ecclesiasticis Azor *c. 4. q. 7. vers. quæres an.* Amplia ad hæredes parentis spuriorum. *Auth. licet Cod. de naturalibus liberis* apud Gob' *n. 36.*

Extendunt tertio ad fratrem divitem: hic enim etiam jure Sanguinis deficientibus præmemoratis compellitur alere etiam illegitimum fratrem *L. Mariti*

*Cod. de jur. dot.* éstque sæpè decisum à Rota Romana teste citato Gobat. *n. 39.*

Limita hucúsque adductam obligationem alendi, ut non procedat de filijsfam etiam legitimis, qui aliunde habere possunt alimenta Gobat, *n. 28.* cum Covar. cæterísque Jurisconsultis contra Azor *c. 4. q. 1. &c.* Ratio quia præstantur alimenta titulo imminentis necessitatis, & non ultra, unde filius Opifex præsumitur posse se ipsum alere & etiam ditari *L. si defunctus Cod. arbitrium Tutelæ*, & in eam Baldus. Unde *L. si quis à liberis ff. de agnoscendis & alendis liberis* §. *sed si filius*, ita sancitur: *sed si filius se possit exhibere* (ut crebro loquitur Ulp.) *æstimare judices debent, ne non debeant ei alimenta decernere.* Et mox subditur: Patrem non tunc compelli, *ut alat filium Opificem, qui in ea valetudine sit, ut operis sufficere possit.* Quare rectè Raginaldus *Lib. 20. n. 39.* Gobat. *n. 40.* deobligat Patrem ab alimentis, quando quis alius filium vult nutrire contra citatum Azor. Ex his,

106. Cùm Mater ultra lac non teneatur, si quid in alia filio necessaria expendit, animo non donandi, potest à Marito non paupere repetere, *L. alimenta Cod. de negotijs gestis*: Unde si filius expensas in addiscendis litteris ex alijs bonis habere potuit, potest eas Pater repetere factas animo computandi in partem legitimæ, secùs censetur liberaliter donâsse Azor *c. 4. q. 15.*

Infero secundò graviter peccare illos, qui liberos suos exponunt clam ad hospitalia, aut Januas Divitum *L. necare, de liberis agnoscendis*, excusantur tamen, si aut eos alere nequeunt, aut aliter infamiam incesti concubitûs evadere, Gob. *n. 31.* Azor *c. 5. q. 7.* Bonacin. Rego & obligantes ad refusionem expensarum, si exponens per se ipsum alere potest, quia hospitalia erecta sunt pro egentibus.

Cæterum citatus Gob. *n. 33.* post Bonac. posse licitè Patrem impotentem prolis alendæ eam secluso alterius mali periculo in loco, ubi non est hospitale ad portam Episcopij, aut divitis deponere tradit, quia omnibus miserabilium cura commissa est Trid. *Sess. 13. c. 1. de reform.*

Infero tertiò cum Gobat *n. 44.* graviter à Confessarijs esse increpandos parentes, qui ita sua dilapidant, ut post mortem proles cogantur carere alimentis pro statu, & filiæ dote pro nuptijs.

## §. IV.

## *A quo alenda dubia proles?*

107. PRiore §. resoluta concernunt alimenta prolium, quas constat esse proprias: modo quæstio intricata decidenda est de prole, de qua considerantis omnibus prudenter dubitas, an sit proles tua, aut alterius E. g. sub idem tempus, quo habuisti rem cum adultera, eam carnaliter cognovit Maritus, aut si cum

cum soluta alius etiam perfectè fuit illi copulatus. Quritur an tu dubius parens tenearis ad alimenta integra, aut saltem ad dimidia, aut ad nulla, quæstio agitari potest de dubio tum late sumpto, nempe pro opinione probabili, quòd proles non sit tua, videlicet dum ponderatis universis circumstantijs & argumentis positivè, ac rationabiliter ita hæres suspensus ut nequeas formare determinatè judicium de prole an sit, vel non sit tua.

Quid si adultera Marito suo cohabitans dicat ex te prolem conceptam esse. tenerísne ei credere? quid si Maritus resciat circa idem tempus uxorem carnaliter se commiscuisse cum alijs, debetne prolem pro sua agnoscere? & quid si peperit quinto mense, aut sexto, decimo, aut undecimo, &c. & demum an filius teneatur credere Matri asseveranti, quòd sit illegitimus, & illa se prodere ad evitanda damna legitimis imminentia?

Circa principalem quæstionem, seu dum de genitore minimè constat est triplex sententia prima obligat ambos pro rata ad alimenta, proinde in æquali dubio ab utroque concubinario prolem esse alendam, ita Molin. *tract. 3. Disput. 103.* Vasq. *1. 2. Disput. 60. c. 8. n. 47.* Palao *tract. 1. Disput. 3. punct. 5. n. 15.* Franciſc. Bardi. de conscient. *Disput. 6. c. 9. §. 1.* Secunda obligat quemvis ad totum, si alter nolit, aut non possit, Bonacin. *de matrim. q. 4. punct. 15. n. 10.* Tertia penitus deobligat cum Less. *Lib. 2. c. 10. n. 39.* Lugo *hic Disput. 13. sect. 2. n. 20.* Gob. *Theol. Juridico - moral. c. 28. sect. 3.*

Præmitto quòd etsi in physicis possint dari naturaliter plures semiconcausæ ejusdem effectûs, imò secundùm plures etiam totales, omnes tamen supponunt utriusque causæ simultaneam ad idem passum applicationem, similis plurium ad generationem ejusdem hominis applicatio esse non potest, siquidem plures eandem fœminam simul simultate temporis cognoscere non possunt, hinc naturaliter repugnat, ut plures sint ejusdem adæquati aut semi Patres.

Dico primò probabilius nullus ex positivè, & rationabiliter strictè dubijs genitoribus tenetur alere prolem. Probatur tunc nullus tenetur alere prolem, quando nullus tenetur se gerere ut Patrem, sed nullus tenetur hoc casu se gerere ut Patrem, ergo. Major patet, obligatio enim alendi fundatur in paternitate. Minor probatur, si aliquis tenetur se gerere ut Patrem uterque se deberet gerere ut Pater, quia non est potior præsumptio pro uno quam alio, sed uterque non se tenetur gerere ut Patrem, quia vel quísque se gereret ut Patrem adæquatum vel inadæquatum: neutrum potest dici, uti est præmissum.

Confirmatur primò in causa alimentorum proles est actrix petens alimenta, concubinarij sunt Rei, ergo cum actori incumbat onus probandi, proles debet probare, quòd uterque sit parens vel adæquatus vel partialis, quia jus ad alimenta radicatur in paternitate, ergo quamdiu non probat, Rei sunt ex integro absolvendi, nam *per Regulam juris 11. in 6. cum sunt partium jura obscura, Reo favendum est potius quam actori.*: Concordat, *Regula juris civilis 168. favorabiliores Rei potius quàm actores habentur*, nisi ubi contraria juris dispositio magis favet actori uti favet in causa

causa matrimonij, libertatis, dotis, testamenti.

Confirmatur secundò secundùm plerósque cum Suarez apud Dianam *p. 4. tract. 4. Resol. 10.* Contra Vasq. &c. dubius de emisso voto potest se gerere ut liberum ab omni voto, ergo etiam dubius de genita à se prole potest se genere ut liberum ab omni generatione, ac obligatione alendi prolem genitam pauperem, sicut in antecedente dubius de voto emisso alendi aliquem pauperem deobligatur alere. Infero ex dictis, nec ad partem alimentorum teneri ullum dubium Patrem, quia obligatio ad partem alimentorum fundatur in partiali paternitate, qualis nulla intercedit.

Dices. debitor dubius de certo creditore tenetur utrique pro rata dubij, ergo etiam filius dubius de certo Patre ab utroque justè exigit alimenta pro rata dubij.

*Resp.* Disparitatem esse, quia in primò uterque creditor in consortio alterius (licet non seorsim) potest se gerere ut inadæquatus creditor adeóque exigere solutionem debiti, in secundò verò neuter genitor dubius potest se gerere ut inadæquatus Pater, nec ut adæquatus, sicut nec debitor tenetur solvere debitum cuivis creditori dubio, ut creditori adæquato & ratio est, quia collectio dubiorum creditorum habet jus ad solutionem debiti, quia hæc collectio est creditor certus, è contra collectio dubiorum genitorum non potest esse Pater adæquatus.

108. Dico secundò etsi nullus dubius genitor teneatur ante sententiam judicis alere prolem, potest tamen judex justè condemnare concubinarios ad suum tribunal delatos saltem ad partem alimentorum, imò ante sententiam dubius genitor debet restituere Marito, & alijs legitimis prolibus partem saltem illati damni, Maritus enim patitur damnum in prole alenda incerta, legitimæ verò proles patiuntur jacturam portionis legitimæ, aut hæreditariæ dandæ proli illegitimæ: hæc pars est Lugo *n. 23. in fine & seqnenti*: & probatur quísque certus damni auctor tenetur ad reparationem damni pro rata damnificationis, sed quísque concubinarius est certus auctor damni in eo siti, quod quísque suâ copulâ causet incertitudinem actoris, qui teneretur solvere damnum, quod patitur Maritus, aut alia legitima proles occasione prolis incerti parentis, sicut si duo sagittarij injustè jacularentur in bovem meum, uterque tenetur mihi resarcire damnum pro quantitate dubij, dum ignoratur, cujus sagitta sit interfectus, quia uterque me privat jure exigendi reparationem ab occisore certo mei bovis.

Pars prima etiam probatur ex *L. ita vulneratus §. æstimatio ff. ad legem Aquil*, ibi: *Cùm neque impunita maleficia esse oporteat, neque facilè constitui possit, uterque potius lege teneatur*, uterque æstimationem (uti in lege præmittitur) servi occisi, unus majorem, alter minorem, præstabit, nempe pro majoritate, vel minoritate dubij, aut æqualem, si omnibus perpensis æqualis est contra utrumque præsumptio, hæc pars prima est Gabat *n. 54.*

109. Objicies primò cum Bardi. Uterque cognovit mulierem, ergo uterque dedit causam sufficientem generandæ prolis, ergo stat possessio juris in prole contra

tra utrumque, nisi certò constet de alterutro non influxisse, unde neganti influxum causæ suæ certò applicatæ incumbit onus probandi: sicut quando certus es te consuluisse furtum, teneris saltem partialiter restituere & dubitas an fur ex tuo, an Titij Consilio motus sit furatus. Quia es certus, quòd datum Consilium sit causa sufficiens sufficienter applicata ad furtum secuturum, ergo sicut Consiliario incumbit onus probandi Consilium non influxisse, & quamdiu id non probat, obligatur restituere saltem partialiter, ita in nostro casu.

Confirmatur primò à paritate duorum sagittariorum injustè impetentium tuum bovem, aut servum, à quibus secundùm secundam partem conclusionis secundæ facienda est compensatio. Confirmatur secundò aliàs sequeretur prolem carituram Patre, à quo alatur. Confirmatur tertiò quamdiu est incertum an proles sit potiùs ab adultero quam à Marito, potest proles se gerere pro legitima, sed proles legitima habet jus ad alimenta præstanda à Marito suæ Matris tanquam à Patre: ergo Maritus Matris debet eam alere, ne actio prolis sit inutilis, detúrque utrinque bellum materialiter injustum, quod implicat.

*Resp.* Concesso antecedente & prima consequentia distinguo secundum consequens: stat possessio juris in prole contra utrumque ad alimenta nego consequentiam (possessio enim juris ad alimenta supponit filiationem, atqui proles dubia de Patre non est in possessione filiationis contra utrumque, nec contra ullum præ alio) stat possessio juris in prole contra utrumque relatè ad effectus, à quibus arcentur, de quibus positivè constat illegitimitas concedo consequentiam; tunc enim arcenti incumbit probatio, quòd sit illegitima, è contra si proles sit actrix, ut si contendit habere alimenta, vel hæreditatem, tunc ipsa probet se esse legitimam, cum fundamentum intentionis sit legitimitas.

Concedo quòd dubius genitor, si neget se influxisse, deberet positivè probare non influxum: at ut liberetur ab onere alendi non est necesse negare influxum, sed sufficit, quòd influxus sit incertus, nam hoc ipso etiam incerta est paternitas, atque adeo incerta obligatio alendi, prævalétque certa possessio bonorum adversus incertum jus ad alimenta prolis.

Hinc disparitas est de Consiliarijs furti, & sagittarijs, de quibus in confirmatione prima, quòd duæ nequeant esse concausæ filij, seu partiales Patres. Econtra duo consulentes aut sagittarij, ut causæ partiales concurrere possunt ad idem damnum.

Ad Confirmationem secundam concedo citra absurdum sequelam, uti omnes debent admittere in casu, quo non est dubium, sed probabile prolem non esse tuam: tunc enim teste Less. *num. 19.* certum est te non debere, ut etiam ex Adversarijs consentit Bonacinna apud Gob. *n. 69.*

Ad Confirmationem tertiam. *Resp.* Majorem esse incertam eam siquidem affirmant Vasq. & alij plures, negant Abbas, Decius, Mascardus, &c. Utramque sententiam melius conciliant Palao, & Oviedo nempe quòd affirmativa procedat, dum filius est Reus, negativa verò

dum est actor : Distinguenda igitur est major, potest se gerere pro legitima dum contra eam ut Ream agitur concedo majorem, dum ipsa agit nego majorem, & concessa minori nego consequentiam, nequit proinde agere actione utili, nisi probet se legitimam.

110. Dico tertiò etsi probabiliter judices prolem esse tuam, adhuc non teneris alere, dummodo probabile etiam sit non esse tuam prout contingit, quando tempore adulterij Maritus etiam Carnaliter cohabitavit adulteræ, ita Bonacin. Gob. cum cit. Less. Probatur: ut teneaeris alere, debet in prole esse jus certum ad alimenta sibi à te præstanda, sed quamdiu probabile est prolem non esse tuam, in prole non est jus certum ad alimenta sibi præstanda, quia certitudo ejusmodi juris radicatur in certa paternitate, quæ hic deficit, ergo. Major constat, quod obligatio certa, seu certum debitum præsupponat jus certum.

Quare dum S. Thomas *2. 2. q. 62. Artic. 7.* de cooperante ad damnum agit, tunc solum tenetur, cùm probabiliter æstimari potest, quòd ab eo actio injusta sit subsecuta: Ly *probabiliter*, ut explicat Lessius, non intelligitur generatim, sed de probabilitate non compatiente secùm rationem dubitandi de contrario, quam regulam restatur Lugo *n. 20.* passim etiam ab alijs asseri, ut ergo adulter adigi possit à Confessario ad alimenta, debet esse moraliter certus de suitate prolis.

Hinc hactenus dicta vera sunt, etsi adultera asserat, prolem esse adulteri, ita Alciatus, Gottofredus Henriquez, Palao, Molina, &c. quia assertum mulieris non facit moralem certitudinem præterquam, quòd mulieribus non sit facilè credendum *Capitulo forus de V. S.* Ibi: *varium & mutabile testimonium semper fœmina producit*, & benè notat Henric. *Lib. 11. c. 21. num. 3.* Quando à pluribus intra breve tempus cognita est, ignorat ex quo conceperit, quæ ratio suadet idipsum etsi adultera juramento firmet assertionem, prolésque referat lineamenta adulteri, quia rectè observat Part. *in leg. Gallus n. 14. ff. de liber. & posth.* assimilationem persæpè oriri ex sola Matris imaginatione. Unde Azor, Menoch. & Mascar. hoc signum nihili, aut parvi faciunt ad probandam prolis illegitimitatem. Ex his.

Sequitur primò Maritum conscium adulterij ab uxore commissi sub tempus, quo eandem carnaliter cognovit non teneri alere prolem.

Sequitur secundò Regulariter non esse necessitatem sciscitandi ex confitente copulam cum conjugata, an eam imprægnaverit, sicut nec ipsam adulteram, an ex adulterio conceperit, quia rarò sciunt adulteræ, rarissimè adulteri: monet tamen Gobat *n. 90.* non obfuturum, si assuetis adulterari proponantur pericula ingentium injustitiarum respectu Mariti, & prolium legitimarum.

Sequitur tertiò Matrem teneri ad omnes expensas alendæ prolis, dum Pater est incertus, quia nullus datur Pater, qui sit obligatus.

Sequitur quartò Confessarios hujusmodi prudenter dubios Patres non posse cogere ad præstanda alimenta genitæ proli, sed etiam nolentes esse absolvendos; sunt enim dispositi sequendo sententiam certo probabilem.

111. Di

111. Dico quartò filius etiam in Articulo Mortis Matri asserenti esse illegitimum, non tenetur credere etiam in foro conscientiæ, consequenter nec tenetur Mater ei manifestare, nisi indubitatis argumentis possit probare.

Pars secundà sequitur ex prima, si enim filius non tenetur credere, frustranea est revelatio materna, ad frustraneam autem nequit obligari Mater. Pars prima probatur, forum externum asserto Matris non tenetur stare, nisi indubitatis id probet argumentis, ergo nec filius in foro conscientiæ. Antecedens est certum inter utriusque juris Doctores apud Lugo *Disput. 13. n. 61.* Less. *lib. 2. c. 10. n. 51 ex leg quia semper ff. de in jus vocando*, ibi; *Mater semper est certa, Pater verò juris præsumptione est is, quem nuptiæ demonstrant.* Etsi Mater circa tempus conceptionis esset deprehensa in adulterio, quia cum esse possit alterius, præsumitur potius esse Mariti, nisi graves sint conjecturæ in contrarium, ut si Maritus credebatur sterilis, &c. Ratio est *ex cap 8. inter dilectos de donat.* Quòd *allegans suam turpitudinem non sit audiendus.* Nempe in præjudicium tertij, prout hic contingit.

Consequentia autem est citati Lessij, Laym. Lugo *n. 62.* cum plerisque Canonistis contra Molin. *Disp. 101.* Panorm, &c. probabiliter dissentientes præsertim in Articulo Mortis, quando proles meritò sibi persuadet Matrem verum dicere, ut si Mater sit fide digna, proba, timens DEUM, ac amans prolem, hoc approbat etiam Vasq. & licèt proles in foro externo esset declarata legitima, idque esse certum meritò sentit Lugo *Disput. 13. n. 62.* Stante præfato judicio, nempe quòd filius judicet Matrem verum dicere. Quare id, quod negamus est, videlicet filium teneri credere, sed posse se tutò conformare judicio fori externi, quando ex jisdem argumentis, si hæc foro externo proponerentur sententiam ferret pro legitimitate, quam ferendam posset assequi, si tacito suo nomine per personam interpositam consuleret Doctos Advocatos & prudentes, ita Lugo cum quo dicta consequentia probatur, quod nulla ratio sit cur pariformiter non sit judicandum in utroque foro, quamdiu in foro interno non constat externum inniti falsæ præsumptioni, sed quamdiu indubitatè non probatur à Matre illegitimitas prolis, tamdiu non constat forum externum inniti falsæ præsumptioni, unde jure gentium est introductum ad evitandas plurimas fraudes, ne ullus in suum grave præjudicium teneatur credere unius hominis etiam minimè suspecti judicio, licèt jurejurando asseveret Dicast. *Lib. 2. de just. tract. 2. Disput. 7. dub. 11. n. 196.* prævalet enim possessio legitimitatis, & præsumptio jure gentium introducta, quamdiu oppositum non fit moraliter certum ex hoc.

Infero primò cum Less. *n. 50.* Matrem non teneri filio prodere sine morali certitudine se impedituram damna, quia in dubio profuturitionis est melior conditio possidentis Matris famam suam, imò nec tunc absque peccato posse crimen suum prodere, quia infructuosè præberet filio occasionem peccandi contra Justitiam, si hic Matri credens, aut teneretur credere, retineret hæreditatem Lugo *n. 32.*

Infero secundò Mater etiam infimæ sortis in nullo casu tenetur prodere cum

vitæ periculo, vita enim est pretio inæstimabilis Lugo. *n.* 43. Cum plerisque contra Sotum, cui *n.* 44. Consentit, si ex successione spurij commune bonum periclitaretur, tunc enim vita privati est postponenda bono communi (si posset impediri Successio) non propter restitutionem hæreditatis ob rationem datam, sed ob commune damnum, proinde non ex justitia commutativa, sed legali.

Infero tertiò etiamsi proditione Sceleris sui moraliter certificaretur Mater de avertendis damnis, nihilominus deobligatur, quando imminet periculum tantæ infamiæ, ut hæc notabiliter præponderet damno temporali Mariti aut prolis legitimæ Lugo. *n.* 45. Molin. *Disput.* 102. *n.* 13. Contra Adrian. Paludan. &c.

112. Dico quintò si mense undecimo sub finem, ac deinceps proles nascatur post ultimam conjugalem copulam, proles habenda est pro illegitima, etsi enim aliquando contingat partus legitimus mense etiam decimo tertio, quia tamen rariùs id accidit, ad fraudes evitandas negat Bartolus relatus *n.* 110. *versu hinc hactenus &c.* in foro Civili prolem pro legitima tenendam, & post illum Mynsingerus *cent.* 6. *observ.* 40. apud Laym. *L.* 5. *tract.* 10. *p.* 3. *c.* 5. *n.* 23. ex Ulpiano apud Mendo *in Append. Cas. valdè notabilium ad Epitomen. Opin. verbo de acquisitione & retentione hæreditatis*, attamen censeo cum Mendo filium 5. 6. à fortiori 7. mense post nuptias natum posse hæreditatem adire, retinere, dummodo non constet Matrem ante nuptias, vel in absentia Mariti ante mensem quintum &c. correspondentem licentiosè vixisse. Ratio est, quia plurimi ex primariis Medicis apud Mendo affirmant mense quinto, sexto &c. esse partus vitales, & licèt non sit ita frequens, non est, cur non potuerit evenire in hoc casu, nec est, cur contra se judicet filius, cum fundamentum contrarium non constet, neque Matris impudicitia: idque adhuc certius erit, si constet de ejus honesta vita, aut si ante nuptias fuerit in clausura Monialium, vel in domo parentum invigilantium sedulò suo honori.

Hinc re ad forum externum delatâ posse judicium etiam pro prolis jure sententiam ferre in præfatis circumstantijs censeo cum Mendo, dispositio enim Ulpiani de partu Undecimesti, quæ cum sit odiosa Matri, & proli non est extendenda per paritatem ad quintum Mensem, uti nec ad decimum aut initium Mensis Undecimi: consentit citatus Mynsingerus, Gobat *cit. c.* 28. *sectione* 4. *n.* 98 quoad Mensem decimum, & initium Undecimi, secùs quoad quintum.

## §. V.

## *An filius habeat jus ad Legitimam, & quid circa eam observandum.*

113. Quæritur primò quid sit Legitima? an pars bonorum & hæreditatis, eaque quota? quo jure, & quibus debita? *r.* ad primum legitima est certa portio legibus definita illius, quod

quod quis ab intestato habiturus esset jure legitimæ successionis, ita Haunold. *tract. 6. n. 479.* non igitur est tota substantia ab intestato competens, sed pars per leges constituta, in qua quis ad minimum, ac necessario est hæres instituendus.

*Resp.* Ad secundum ex communi contra Henric. Zoës. & alios esse partem bonorum, non hæreditatis; ubi nomine bonorum veniunt. Solùm illa, quæ post mortem remanent deducto ære alieno, expensisque funeris, nomine autem hæreditatis intelligitur cumulus omnium relictorum etiam obnoxiorum creditoribus: *hæreditatis appellatio* inquit *Lex 119. ff. de V. S. Sine dubio continet etiam damnosam hæreditatem.* De bonis ita loquitur *Lex 39. §. 1. ff. eodem bona intelliguntur cujùsque, quæ deducto ære alieno supersunt.* Atqui legitima ex illis bonis debetur, quæ supersunt deducto ære alieno, funeri que expensis per *legem 8. §. 9. ff. de inofficioso testamento* ibi: *quarta autem accipietur deducto ære alieno, & funeris impensa.*

Porrò portio in legitimam debita jure antiquo fuit quarta pars ejus ut patet ex proxima *citata Lege 8.* quod liberi erant habituri, si ab intestato successissent: ast jure authent. & jure Novellarum *Novella 18. c. 1.* est aucta, ita ut si proles sint pauciores, quam quinque sit triens, seu pars tertia bonorum, si verò sint quinque, aut ultra, sit semis, seu pars dimidia bonorum (quæ habuissent simul, si ab intestato successissent) inter eas æqualiter dividenda.

*Resp.* Ad tertium legitimam non esse taxatam à lege naturali, aliàs nulli posset ex dispositione juris civilis denegari, cùm tamen negetur secundùm jus civile exhæredatis, ac defacto in Principatibus, magnatum fidei Commissis &c. manent bona omnia penes primogenitum sine onere dandi legitimam cæteris liberis (quibus solùm sufficiens sustentatio pro conservatione familiæ suæ debet assignari) idcirco in jure vocatur *legalis pars, legibus debita, legitima quarta* Zoël. *in ff. de inofficioso testam. n. 100.* quia tamen instinctus naturæ rationalis parentes invitans ad relinquendam legitimam tolli non potest, idcirco dicitur *Cap. Raynutius de testam.* quod *legitima portio sit debita jure naturæ*, secus quod inclinet, ut nequeat justa ex causa hoc debitum negari, aut rationabili consuetudine abrogari, est ergo taxatio quotæ de lege civili, radicata tamen in naturali.

*Resp.* Ad quartum Primò ab ascendentibus tam à Matre, quam à Patre debetur legitima descendentibus liberis Masculis, & Fœminis etiam emancipatis, ac Religionem capacem successionis professis (nisi præcesserit renuntiatio) non solùm naturalibus, ac legitimis simul (illegitimis naturalibus non legitimatis, secùs Canonicè spurijs, id est natis ex damnato coitu, debetur à Matre, secùs à Patre, qui tamen penes hæreditatem relictam legitimis potest relinquere proli illegitimæ naturali unam unciam, hoc est, partem duodecimam bonorum dividendam cum Matre superstite, in defectu autem legitimorum, si non vult instituere universalem hæredem, prout potest, debet tamen instituere in duabus uncijs æqualiter dividendis cum Matre quia cum illa in his ab intestato de jure succedit Patri Less. *lib. 2. c. 19. n. 72.* Molin.

Molin. *tract. 2. Disput. 166. Concluſ. 3.*) non ſolis inquam naturalibus & legitimis ſimul, ſed etiam legitimis tantùm, nempe adoptatis, aut arrogatis ab aſcendente. In defectu filiorum, & filiarum debetur legitima nepotibus in locum parentum ſuccedentibus, & ſic deinceps. Haunold. *tract. 6. à n* 487.

Nota ulterius primò, quòd renuntians hæreditati non eo ipſo renuntiet legitimæ, quia uti dictum eſt, legitima non eſt pars, hæreditatis.

Secundò filia renuntians per ſtatutum Succeſſioni, non poteſt petere legitimam acceptâ dote ex generali regula: excluſio à ſucceſſione ab inteſtato ſit etiam excluſio à legitima in caſu acceptæ dotis, ſecus iſtâ non acceptâ, aut acceptâ ſed inſufficiente pro alimentis.

Tertiò ſi filia poſt juratam renuntiationem habet proles, & moritur ante Patrem cum accepta dote, proles ejus cum immediatis hæredibus avi, ſeu fratribus Matris ſuæ ſuccedunt, in legitimam jure repræſentationis, cui Mater non poterat renuntiando præjudicare etiam jurejurando, niſi etiam renuntiet pro prole per 45. Verſ. ſed quid juris. At ſi filia Patri ſupervivit, nihil petere poſſunt, non jure proprio, ut clarum eſt, non etiam jure Matris accepta dote reliquum accreſcit cæteris immediatis: his deficientibus jure proprio nepotes ſuccedunt, proinde ijs materna renuntiatio non obeſſet ita Haunold. *tract. 6. n. 488. & ſeq.*

*Reſp.* Secundò ad quartum legitima à deſcendentibus debita aſcendentibus eſt univerſaliter triens, eo quòd moraliter ſit impoſſibile, ut plures ſint quam quatuor aſcendentes unius deſcendentis, è contra eſt poſſibile, ut ſint pluret deſcendentes unius aſcendentis quàm quatuor, idcirco tunc eſt legitima non tantùm triens, ſed etiam ſemis.

Hac occaſione ſciendum eſt pro intelligentia juris Cæſarei, & veterum Legiſtarum ex Molin. *Diſp. 158. n. 4.* quòd apud eos univerſa hæreditas dividebatur in partes duodecim æquales, quas uncias appellabant, igitur tota hæreditas conſtat duodecim unciis, omnes ſimul ſumptas complectitur as, id eſt vocant aſſem: plures uncias, ſeu aſſis partes peculiaribus vocibus ſignificant: ſic uncia cum dimidia dicitur ſexcunx: ſextans ſignificat duas uncias, ſeu ſextam partem aſſis, quadrans autem tres, triens quatuor &c quatuor uncias, ideſt, tertiam partem aſſis: quincunx quinque uncias, ſemis ſex uncias; ſeptunx ſeptem; bes 8. dodrans 9; dextans 10; decunx 11. ita habetur Inſtit §. hæreditas juncta gloſſa ibidem.

Ex his Colligitur Primò quod filia generalibus terminis renuncians paternæ hæreditati poſſit petere legitimam, niſi etiam hanc expreſſerit, quia legitima ut dictum eſt non eſt pars hæreditatis formaliter ſumptæ ſed bonorum per Reſpond ſecundum, unde filius repudiatâ hæreditate poteſt conſequi legitimam, Haunold. *n. 485.*

Colligitur ſecundò fœminæ acceptâ competente dote non poſſunt petere legitimam, ubi per ſtatutum excluduntur à Succeſſione in favorem Maſculorum, quia juxta generalem regulam excluſo à Succeſſione ab inteſtato non debetur legitima Haunold. *n. 488.*

Quæritur ſecundò quo tempore debeatur? an conſtitui poſſit in re ſingulari? an in uſufructu? an in bonis Emphyteu-

teuticis ? an admittat gravamen ? *Resp.* ad Primum non deberi ante mortem, unde licèt Pater sua prodigat, secundùm plerósque filius nequit agere in vita Patris pro obtinenda legitima, competente enim remedio Ordinatio non est deveniendum ad extraordinarium, medium autem Ordinarium est, ut per Magistratum Patri interdicatur bonis, est horum curator detur, unde cùm Professio Patris in Ordine incapace successionis æquivaleat secundùm omnes morti naturali, post eam filius agere potest pro legitima, quod Canonistæ ampliant contra multos Civilistas, etsi profiteatur in Ordine capaci successionis, quia etiam tunc Pater pro mortuo habetur Haunold. *n. 514.* Sanch. *Lib 7. Mor. c. 10. n. 3. ex c. cum simus de Regular.* ibi, *& bona paterna quæ ipsi ex successione proveniunt, postulare.* Nec est verum tunc Patrem in eo casu fuisse mortuum, id enim non dicitur in textu. Idem tamen Sanch. *n. 2.* vocat sententiam probabilissimam quæ negat, quòd legitima tunc sit debita ante mortem naturalem Patris, hoc autem superstite legitima non debetur, *L. 1. §. Impuberi ff. de collectione bonor.* Non obstat relatum c. cum simus, quia non constat Patrem tunc vixisse. Utraque opinio est probabilis. At loquendo de Patre in Societate JESU emittente vota biennalia, cum retineat bonorum Dominum, non debetur legitima ante Professionem, Sanch. *n. 6.*

*Resp.* Ad secundum affirmativè : dummodo res æquivaleat legitimæ sitaque ejus utilitatis cum alijs rebus hæreditarijs nequè loco periculoso, aut rixoso, vel potenti vicino accola, néque habeat onera annexa meritò filio ingrata ita communis apud Haunold. *n. 521.*

*Resp.* Ad tertium negativè, etsi usufructus sine proprietate relictus æquivaleat legitimæ seu parti tertiæ bonorum *Novella 18. c. 3* prope finem ibi : *non licebit* &c. legitima enim sine onere & in Substantia Patris est relinquenda, id est, Substantia paterna debet in individuo, & sine gravamine ad filium pervenire vide Haunold. *à n. 523.*

*Resp.* Ad quartum affirmativè si res Emphyteutica sit hæreditaria, secus si non sit hæreditaria ita Haunold. *tract. 6. n. 530. & tract. 9. n. 575.* Hæreditaria est, quæ est concessa pro quibusvis hæredibus etiam non descendentibus, non hæreditaria dicitur concessa pro filijs, & descendentibus, talis Emphyteusis dicitur concessa ex pacto, & providentia. Ratio primi est, quia tale bonum hæreditarium est instar boni patrimonialis, sive allodialis sed in hoc potest constitui legitima. Ratio secundi est, quòd tale bonum non sit profectitium â Patre, sed adventitium, id est adveniat à Domino directo.

*Resp.* Ad quintum gravamen, quod ineſt rei non obest legitimæ, E. g. fundus habens servitutem realem, dummodo propter annexum onus fundus secundùm proprietatem, & utilitatem filio cessus minus æstimetur. Cætera verò onera jure hodierno reijciuntur & habentur pro adjectis, ut si in duobus filijs unus alteri substitueretur reciprocè, & unus alteri post mortem cedat legitimam tanquam fidei Commissum, aut si filius universalis hæres institueretur, uxori verò legaretur usufructus ad vitæ tempus, legatum

gatum non valeret quoad quotam legitimæ commensuratam & sic filius haberet in ea etiam usumfructum, *Auth. novissima Cod. de inofficioso testamento* in fine, ibi: *cujus portionis* corrigens *legem 37 ff. de* usufructu per legatum relictum oppositum statuentem.

Unde ubi ex statuto dos est loco legitimæ, ea debet esse immunis ab omni onere, quapropter si doti tunc adjiceretur hæc conditio *si nupserit* ea non esset differenda in eventum nuptiarum, Haunold. *n. 534.* nec valeret ista, *si filia decesserit sine prole, dos revertatur ad testatoris hæredes.* Responsum totum est Haunoldi *tract. 6. à n. 531.*

## §. VI.

## *An Professus aut exhæredatus, aut renuncians hæreditati augeat, aut minuat legitimam.*

HUjus §. explicationem vide *in n.* 409.

## §. VII.

## *Quorum bonorum Filij sint Domini, & quid circa ea possint?*

114. UT intelligatur hoc genus Dominij, quadruplex Theologi cum Juristis distinguunt filiorum peculium sic dictum à pusilla substantia, quæ si acquisita, est in Castris aut intuitu Militiæ, dicitur peculium Castrense; ad quod ex speciali Constantini Imperatoris Privilegio revocantur comparata in Palatio Regis ab Aulicorum obsequium suâ industriâ aut parsimoniâ, ut largitate Principis: si est acquisita ex publico officio ut judicis, Assessoris, Medici (secus acquisita per artem Mechanicam *Leg. unic. Cod. de inoffic. Testamento*) aut in clericatu &c. dicitur quasi Castrense, ideſt, gaudet privilegio Castrensium: si est acquisita extra hos titulos, nec primario intuitu Patris, nec ab ipso Patre, sed advenit ex jure hæreditatis lineæ maternæ, ex donatione, industria, labore, artificio, fortuitâ inventione, negotiatione cum pecunia mutuò data à Patre, aut ex donatione antidorali aut remuneratoria, vocatur adventitium: demum acquisita principaliter intuitu Patris, aut ex rebus, & Substantia Patris, ut si negotietur pecuniâ Patris non mutuò accepta, proinde nomine Patris est peculium profectitium.

Dico

Dico primò filiumfamilias esse plenum Dominum, seu Proprietarium & usufructuarium bonorum Castrensium & quasi Castrensium, ita omnes ex jure *ff. & Cod.* ex eodem jure est certum, quòd adventitiorum sit proprietarius, eorundem verò ususfructus regulariter sit penes Patrem.

Dixi *regulariter*, quia in quibusdam casibus filius est etiam horum usufructuarius privativè ad Patrem, ut si Pater usumfructum remittat, aut quid donetur filio eâ lege, ut etiam ususfructus sit penes filium, unde si Mater maritum instituerat eâ conditione, ut filio postquam attigerit legitimam ætatem, hæreditatem restituat, exinde acquiret filius proprietatem cum usufructu hæreditatis excepto usufructu tertiæ partis, seu Legitimæ, nam cum Legitima ex bonis etiam maternis sit filio debita, ejúsque ususfructus de jure debeatur Patri, hoc jure Mater non potuit privare Patrem *per Auth. ut liceat Matri Cod. de bonis, quæ liberis.* Item si Pater succedat filio in bonis adventitijs cum altero filio defuncti Fratre, hic suæ portionis, est etiam usufructuarius, non Pater, *Auth. item hæreditas Cod. eodem.* Hæc Authentica utpote correctoria juris communis malè à saliceto, & alijs extenditur ad casum, quo Pater, & filius succedunt extraneo. Haunold. *tract. 4. n. 205.*

Item quando filio relinquitur ususfructus sine intuitu Patris. Item cessat ususfructus per emancipationem legibus, aut consuetudine per matrimonium inductam: tunc enim ususfructus consolidatur cum parte. Alios casus lege apud cit. Haunold.

Demum bonorum Profectitiorum proprietas, & ususfructus est penes Patrem §. *1. Instit. per quas personas nobis acquiratur*: Hoc tamen commodi filius habet ex hoc peculio, quòd si ex Patris delicto publicarentur bona ejus, illud peculium non publicetur *Leg. 3. §. sed utrumff. de Minoribus.* Et licèt à Patre data filijs in Patrimonium pro suscipiendis Ordinibus sacris, aut filiæ in dotem, aut filio ad nuptias spectant ad genus profectitiorum, nihilominus filius, aut filia acquisivit eorum Dominium & usumfructum, etsi postea debeant in partitionem afferri non quoad fructus sed quoad substantiam, Haunold. *n. 200.*

Quæritur an defuncto filio maneat ususfructus apud Patrem, esto Dominium ad alios hæredes perveniat? *Resp.* Affirmativè *ex lege fin. Cod. ad Tertull. S. C.* Ibi: *Sin verò defuncta persona in sacris Patris* (id est, in Patria potestate) *constituta decesserit, Pater usumfructum, quem & vivente filio habebat, teneat, donec vivat incorruptum*: Cæterum si quid jure municipali circa usumfructum constitutum est discordans à jure communi, illud est observandum. Haunold. *n. 207.*

115. Dico secundo filiusfamilias pubes potest suâ Authoritate de bonis Castrensibus, & quasi Castrensibus disponere etiam per testamentum, aut donationem causa mortis. Ita omnes *ex L. Pater, qui dat, ff. de castrensi peculio*, de bonis verò adventitijs, quorum Pater habet usumfructum nec cum consensu Patris potest testari ad causas profanas *Instit. quibus non est permissum facere testamenta*, Ibi: *adeò quidem, ut quamvis eis permiserint nihilo magis jure testari*

*possint, L. 3. §. 1. Cod. eodem filium autem, qui in potestate est, testamentum facere non posse indubitati juris est.*

Dixi *profanas*, quia ad causas pias de proprietate testari potest *ex cap. licet §. fin. de sepult. in 6. pro anima tamen sua præter ipsius* (nempe Patris) *assensum aliquid judicare non potest*, ubi per ly judicare Glossa intelligit testari, testamentum enim dicitur ultimum judicium, ergo à contrario sensu cum assensu Patris potest testari pubes de proprietate adventitiorum pro anima sua.

Utrum per alios contractus in vivis possint alienare dicetur §. sequenti in fin.

An prohibitio testamenti præfata se etiam extendat ad adventitia, quorum plenum Dominium consequenter etiam usufructus pertinet ad filium *per numerum 114.* dubitari potest, sed extensio firmata est communi sensu Theologorum, ac Legistarum cum Haunold. *tract. 6. n. 232.* quia à jure non habetur ut paterfamilias, respectu etiam talium bonorum, ergo Lex prohibet usum pleni Dominij per ultimam voluntatem, secùs inter vivos Less. *lib. 2. c 4. n. 9.*

Dixi in Conclusione *pubes:* hoc est expleto decimo quarto anno, impuberes enim, sive hâc ætate inferiores etiam de Castrensibus, & quasi defectu indicij testari non possunt: Notat autem Perez *Institut. quibus non permissum, versu quod quidem jus*, quod quis expleviss dicatur annum, ultimum ejus diem attingens: *Quoties enim de favore alicujus agitur, placuit diem cœptum haberi pro completo.*

## §. VIII.

## *Resolvuntur aliquæ quæstiones de Patre erga filium, & vicissim.*

QUæritur primò an Pater debita à filio contracta debeat solvere? & obfilij delictum teneatur ad mulctam.

**Prænotandum** est hic, quod occasione cujusdam Creditoris Macedonis filijsfamilias ad quemvis luxum pecunias mutuas dantis, hi, ut ære alieno facilius se liberarent sæpè vitæ Parentum insidiabantur, conditum sit S. C. Macedonianum prohibens dare pecunias mutuas filijsfamilias, seu in Patria potestate constitutis, ita ut mutuanti denegetur. Actio tam adversus Patrem, quàm contra filiosfamilias etiam postquam egrediuntur Patriam potestatem, patérque mortuus est *L. 1 & 6. ff. de S. C.* Macedon. quia, inquit Perez *ad Institut. quid cum eo, qui in aliena est potestate. §. illud propriè*, hæc exceptio inducta est in odium creditoris, quod non cessat per mortem Patris, cujus favorem principaliter respexit, idcirco filiusfamilias nequit huic benefi-

neficio renunciare, éstque probabile, etsi jurâsset se soluturum adhuc deobligari etiam post Patris mortem contra Less. *lib. 2. c. 20. n. 9.* (cujus sententiam ob jurameuti reverentiam, & D.D. multitudinem vocat valdè probabilem citandus Wadingus *n. 4.*) quia eadem sequuntur incommoda ex hoc juramento, quæ ex mutuo simplici, imò si valeret, foret majus periculum insidiandi, est igitur ejus objectum ob annexas præfati periculi circumstantias illicitum Haunold. *tract. 9. n. 328.* ex communiore Legistarum. Et Canonistarum.

Nulla igitur nascitur obligatio naturalis Theologicè talis, seu in conscientia solvendi exceptis certis casibus: hoc enim potuit rationabiliter statui in pœnam fœneratorum, & favorem Parentum, Haunold. *n. 327.* si tamen filius neglectâ exceptione solvit, nequit solutum repetere, uti nec ejus fidejussor *L. 9. ff. eodem.* Hinc est disparitas inter fœminam fidejubentem quæ potest vi *S. C.* Vellejan. ex errore solutum repetere, nam hoc simul est præcisè favorabile fœminæ, Macedonianum S. C. verò est in favorem Parentum, & æque in odium Creditorum, quos, si in judicio non excipit, proinde est condemnandus; sed adhuc non tenetur solvere, sed potest excipere prout habetur expressè *in L. 11 ff. de S. C. Macedon.*

Deobligatio dicta in conscientia solvendi probabiliter habet locum, etsi mutuum extet apud filiumfam, aut inde factus sit locupletior Wadingus *de contract. Disput 6 dub. 4 §. 1.* Haunoldus *n 329.* Contra Laym. Palao. Quia lex, aut filiusfamilias sit tutus in conscientia, nunquam exigit hanc conditionem, si inde non sit factus ditior, sed potius oppositum statuit, dum apertè concedit, quòd filius etiam locupletior possit opponere creditori petenti solutionem beneficium *S. C. cit. L. 9. §. 2.* ergo si in pœnam fœneratorum est tutus in conscientia, quando non sit ditior, etiam tutus est, licèt fiat ditior, aliàs non posset excipere contra creditorem.

Dixi non esse *obligationem solvendi in conscientia* certis exceptis casibus, in quibus negatur hoc beneficium, nempe primò si Pater mutuum ratificet. Secundò si filiusfamilias sit miles, uterque casus habetur *in Leg. 7. c. de S. C. Macedon.* nisi mutuum expendendum esse in causas non castrenses sciverit creditor, quia tunc creditor est in dolo, Haunold. *n. 331.* Tertiò si filiusfamilias habeat Castrensia, aut quasi, aut adventitia pleno jure. Quartò si creditor ignoravit mutuatarium esse filiumfamilias, aut si juraverit se esse Patremfamilias. Quintò quando mutuum factum est in rebus à pecunia distinctis absque fraude, scilicet non ex fine eas redigendi in pecuniam. Sextò si mutuum sit versum in Patris bonum, aut eo sciente, nec contradicente petitum, aut si filiusfamilias sui juris effectus contractum approbavit, aut si Pater partem mutui solvit: Censetur enim totum contractum ratificâsse. Septimò si mutuum sit expensum in usus paterna pietate debitos. Octavò si Pater filiumfamilias præposuit negotiationi absque exceptione mutui petendi: præsumitur enim tacitè consensisse. Nonò si filiusfamilias fidejussit pro alio ex causa mutui. Hi casus habentur in varijs legibus apud Haunold *à n. 331.* His prænotatis.

*Resp.* Ad quæstionem & quidem ad primam partem negativè de filiofamilias

exceptis casibus proximè relatis, quia extra hos casus jus non obligat Patrem, ipsumque filiumfamilias, ut vidimus.

*Resp* Etiam negativè ad secundam partem, nisi Pater consulverit delictum, est communis cum Baldo *L. si quâ pœnâ ff. qui sunt sui, vel alieni juris, &c.* Ratio, quia filijfamilias nullum habent Dominium in bonis Patrum adhuc viventium, ergo hi cogi non possunt ad solutionem mulctæ pro filijs etiam ex futura legitima, quia vivente Patre filij nullam habent legitimam *L. 23. ff. de acquirenda hæreditate.*

117. Quæritur secundò an filij lucra ex pecunia Patris aliàs otiosa sint accensenda peculio adventitio? Tertiò an filius administrans bona Patris sibi, aut Patri lucretur. Quartò an à cohæredibus possit petere æstimationem impensi laboris in administratione? Quintò an filiusfamilias invito Patre possit operas suas elocare? Sextò an domo dimissus, ut se sustentet, emancipetur? Septimò an debita à Patre contracta pro alimentis suis debeat solvere?

*Resp.* Ad secundùm affirmativè cum Wading. *Disput. 2. dub. 6. §. 1. n. 6.* ex communi: quia sunt fructus industriæ filij, ergo fiunt filij negotiantis.

*Resp.* Ad tertium lucrari Patri, quia res fructificat Domino suo proinde Patri bona paterna cit. Wading. Molin. *Disput. 234.*

*Resp.* Ad quartum affirmativè cum Less. *L. 2. c. 12. dub. 13.* ampliante ad Filium, qui non fuisset expressè protestatus se nolle gratis laborare, ut si ob verecundiam Patris non est ausus protestari. Ratio, quia filij industria est pretio æstimabilis etiam respectu Patris, qui extra casum gravis necessitatis non habet jus labores exigendi à filio gratuitos.

*Resp.* Ad quintum cum Laym. *lib. 3. tract. c. 8. n. 13.* affirmativè extra casum, quo Pater ob inopiam sibi non sufficit, tunc enim pietas in Patrem filium obligat ad præstandam Patri operam, aliàs non.

*Resp.* Ad sextum affirmativè de implicita emancipatione: idcirco omnia sibi acquirit, ac de jis validè disponit: ita Sporer *tract. 6. in Decal. c. 2. n. 134.*

*Resp.* Ad septimum negativè: nisi Pater fuisset protestatus se nolle facere ejusmodi debita gratis ob rationem datam in simili *num. 95.* & sequenti in cujus fin. meminimus præsentis quæstionis.

118. Quæritur octavò an, & de quali peculio filiusfamilias possit contrahere. Quæstio hæc *n. 115.* omissa hic est decidenda.

*Resp.* Puberem posse Patre inconsulto contrahere, ac civiliter obligari de castrensibus, & quasi per *legem 4. §. 1. ff. de castrensi peculio*, quia respectu eorum reputatur quasi Paterfamilias impubes verò nec cum consensu Patris potest obligari circa ulla bona sua, at benè cum consensu Tutoris: *Instit. de inutil. stipulat. §. pupillus versu sed qui*, ubi datur discrimen quòd tutor actione tutelæ pupillo teneatur, proinde si obligatio foret pupillo damnosa conveniri possit; filio autem in Patrem nulla competat actio.

*Resp.* Secundò de adventitijs Patri fructificantibus nequit filius sine consensu Patris validè contrahere *per legem final. Codic.* de bonis, quæ liberis: Secùs cum Patris assensu, ac decreto judicis (quando materia hujus decretum postulat) si sit majorennis, quia sic nulla lex prohibet alienationem, imò probabilius idipsum, etsi

etsi filiusfamilias sit pubes minorennis, ita Sanch. Molin. Haunold. *tract. 8. n. 237.* & alij cum Legistis contra communem Canonistarum innitentium *C. Constitutus de in integrum restitut.* Verùm hinc nullum argumentum sumi potest quia in eo narratur Patris factum de alienatis quibusdam maternis bonis ad filios devolutis: quærentibus filijs Papa jubet alienationem declarari nullam, si aliqua debita solennitas defuit.

*Resp.* Tertiò filiusfamilias potest sine alio consensu Patris alienare constitutus ab eo negotiator cum peculio profectitio Haunold. *tract. 8. n. 238. ex §. 10. Instit. de actionibus.*

## §. IX.

## *Quæ bona accepta à Patre in vivis conferenda sint, aut in legitimam computanda.*

119. QUæritur primò quid sit bonorum collatio, & quibus imponitur conferendi onus? *Resp.* Ad primùm cum Molin. *Disput. 237.* est allatio in communem bonorum defuncti parentis acervum (ex quo legitima debetur) eorum profectitiorum bonorum quæ afferentis effecta erant, ut cum alijs tanquam hæres in eo succedat.

*Resp.* Ad secundùm primò debere conferre solos descendentes Haunold. *tract. 6. n. 542.* ex communi Theologorum, & Juristarum. Secundò secundùm omnes, quando concurrunt sui cum suis, id est, constituti in patria potestate cum constitutis in eadem. Conferre debent bona profectitia, ut dotem, donationem propter nuptias. Tertiò certum est emancipatos concurrentes cum suis conferre his debere *per legem sextam Cod. de collat bonorum.* Quartò secundùm Haunold. *tract. 6. n. 550.* vera est in puncto juris sententia Decij, aliorúmque contra Bartholum, quòd emancipati emancipatis non conferant *per legem 9. Cod. eodem: Si emancipati*, inquit, *utrique à Patre fuistis, collatio cessat.* Cæterum ji non tenentur conferre, quibus Pater expressè cavit eos non teneri conferre, *Novel. 18. c. 6.*

120. Quæritur secundò, quæ regula præ oculis habenda ad intelligendum, quæ bona sint collationi subjecta? *Resp.* cum Haunoldo *n. 557.* Generalem regulam posse esse hanc, illa sola sunt collationi subjecta, quæ sunt accepta ab eo, & ex ejus bonis, ex cujus bonis legitima debetur *Leg. 29. Cod. de inoff. test. Si*, inquit, *ex substantia ejus profecta sit, de cujus hæreditate agitur*: Unde sola bona profectitia, quæ ex Patre, vel Matre, vel linea paterna, aut materna proveniunt conferri debent in legitimam portionem (quæ debet obvenire vel à Patre vel à Matre) non tamen omnia, sed ea tantùm, quæ specialibus legibus computari jubentur, *L. 20. Cod. de collat. bonorum*, aut etsi ex Origine non sint profectitia, pro talibus tamen à jure habentur in certo casu, prout dos data à Matre,

aut avo materno habetur pro profectitia in Successione in bonis, è quibus dos data est (licèt aliàs dos sola à Patre data profectitia sit, data verò ab alijs adventitia, quæ jure novo non confertur, *L. fin. c. eod: Leg. penultima Cod eodem*, licèt aliàs dos sola à Patre data profectitia sit, data verò ab aliis adventitia, quæ jure novo non confertur *L. Cod. eodem.*

Observat hic Heunold, *n. 560.* ex Perez ad citatam legem 20. quòd *imputatio in legitimam*, & *collatio* bonorum non habeant locum in uno, & eodem Successionis genere, sed in diverso, nam imputatio in legitimam fit in Successione ex Testamento, ut per illam imputationem sustineatur testamentum collatio verò in Successione ab intestato.

Ad præfatam generalem Regulam etiam spectat distinctio inter donata liberis à parentibus donatione ob causam, & donata donatione simplici: hic per donationem ob causam non intelligitur donatio remuneratoria, sed facta ad quidpiam necessarium, aut utile, aut pium, ut dos, donatio propter nuptias & talia conferenda sunt, ac in legitimam computanda, nisi expressè testator caviſſet ita DD. ex *Auth. ex Testamentis Cod. de Collat. bonorum*, de donatis verò donatione simplici est controversum, de quo infra.

121. Quæritur tertiò an conferenda dos, & contrados, seu donatio propter nuptias, & quid si dos ab avo Materno vel Matre data; quando succeditur in bonis Matris aut avi materni? *Resp.* Primo si dos, aut contrados, seu donatio ante nuptias sit extracta ex Substantia, de cujus hæreditate agitur, ea imputanda est in legitimam *per legem 29. Cod. de inoff. test.* debetque conferri *per legem penultimam Cod. de collat. bonorum* apud Haunold. *n. 561.*

Hic Author singulariter distinguit conformiter jure inter dotem, & donationem antenuptialem promissam, aut jam traditam: promissa non confertur formaliter, seu reipsa, sed æquivalenter, seu virtualiter, nempe per Cautionem defensionis, id est, filia debet cavere fratribus, cum quibus succedit, quod adversus Maritum, cui competit exactio promissæ dotis, sint defendendi *Lege 2. Cod. de Collation. bonorum.* Proinde eo casu, si filia æquam portionem suam ab intestato est consecuta, Maritus aliam à fratribus dotem promissam nequit prætendere, quia ea portio est loco dotis, & hoc modo dicitur virtualiter collata.

Si autem dos est jam tradita, tunc hæc est reipsa conferenda, & confundenda cum bonis paternis, *L. 8. Cod. eodem*, quod esse intelligendum bene observat Perez apud cit. Haunold. si filia dotem exegerit post factum cum Marito divortium, aut hujus mortem; Si enim nondum sit solutum Matrimonium, dos existens apud Maritum confertur semissione, hoc est, filia tantam partem ex portione paternorum bonorum sibi competente fratribus suis remittet, quantam ex dote fratres accipere deberent, *L. 5. Cod. eodem.*

Limita Responsum de collatione datum, nempe si dos apud Maritum sine uxoris culpa perierit, conferri non debet: ita Haunold. *n. 560.* Argumento *Legis primæ ff. eodem* & ex generali Regula, quod debitor speciei liberetur ejus interitu.

*Resp.* Secundò ad Tertium esto dos à Matre aut avo materno data sit reipsa adventitia, nihilominus, dum filia cum alijs succedit in bonis maternis & materni-

ni avi, hebetur pro profectitia, quando dos ex ijsdem fuit extracta *per Legem penultim. Cod eodem.* apud Haunold. *n. 563.*

122. Quæritur quartò, an factæ expensæ in elocationem filiæ, scilicet in vestes nuptiales, convivium, & patrimonium à Patre filio assignatum pro titulo Mensæ ad Ordines, & sumptus pro eo facti studiorum tempore, & in visitandis Provincijs, addiscendis, peregrinis linguis, exercitijs Equestribus &c. debeant conferri. De his Conditionibus disputant Doctores apud Haunold. à *n. 565.*

*Resp.* Primò vestes pretiosas esse conferendas secundum valorem, quem habent tempore faciendæ collationis, secùs quoad usum medij temporis, quia is spectat ad alimenta.

*Resp.* Secundò sumptus in epulas nuptiales non debere conferri contra And. Gallium supponentem falsò, quod hi sumptus sint accessorium dotis, hæc enim servit sustentandis oneribus Matrimonij; dicti autem sumptus absumuntur eo modo, quo pretiosus suffitus in nuptijs accensus absumeretur, quem nemo diceret conferendum: quare hi sumptus censentur spontanei in honorem filiæ fieri. Idem dic de convivio à Patre instructo pro primitijs filij, aut ingressus in Religionem. Haunold. *n. 562.*

*Resp.* Tertiò affirmativè cum Vasq. Lug. Haunold. *n. 505.* contra Gomez de patrimonio in titulum Mensæ, quia datur ob causam non minus, quam dos, nempe ob susceptionem Ordinum, aliqualiter Spirituale Matrimonium continentium.

*Resp.* Quartò circa sumptus in studia (proinde in libros pretiosos, gradus Academicos &c.) & ad visitandas Provincias an conferendi sint, spectandam esse consuetudinem, at secundum jus commune, quando non præcessit parentum protestatio, seu probari nequit expensas factas esse animo repetendi: illæ in successione ab intestato conferri non debent, neque in legitimam computari in successione ex Testamento, ita deciditur de filio emancipato in lege 50. ff. Familiæ exciscundæ, quam vide apud Haunold. *numero 567.*

Confirmatur expensæ pietati, ac liberalitati paternæ aut maternæ imputantur, ubi non constat de animo credendi per legem *5. Cod. ad S.C. Maced. & arg. L. 11. C. de negot. gestis, ibi: si quid autem &c.*

Responsum datum est Molinæ *Disp. 238. versu. de expensis*, ubi etiam negat collationem sumptuum in promotione filij ad Officium publicum invendibile, ac in hæredes intransferibile. Idem dic de expensis cujusvis alterius artis Mechanicæ addiscendæ factis utpote ad alimenta spectantibus, ita citatus Molin. *Disp. 239.* ubi addit *versu dubium est &c.* nec Patrem, nec ejus hæredes teneri ex communi massa solvere expensas necessarias, ut filius incepta studia absolvat. Vasq. apud Haunoldum *n. 566.* vult expensas in studia &c. esse conferendas (cum communiter excedant alimenta) saltem quoad excessum, at cæteri Doctores communiter negant teste Haunoldo, quorum opinionem ipse videtur tueri, censet tamen esse attendendam consuetudinem.

123. Quæritur quintò An fructus bonorum immobilium filio ad nuptias datorum conferendi sint cum eorum substantia, aut eidem uxorem ducenti à Patre promissâ certâ Summâ annuâ pro alen-

alenda uxore subsit oneri collationis? quid de Summâ datâ pro filij redemptione è captivitate aut à vinculis, aut à pœna ex delicto? & an pretium, quo Pater filio emit Officium sit in legitimam computandum?

*Resp.* Primò cum Haunold, *n. 564.* ex Molin. & Lugo non esse conferendos fructus, sed solam bonorum substantiam, uti nec annuam Summam, Ratio, quia non minus hæc, quam fructus sunt alimenta filij conjugati.

*Resp.* Secundò est conformius dictis *n. 116.* Conferendam esse, aut in legitimam computandam Summam pro eliberatione filij à captivitate, vinculis aut à pœnis datam: quia licet Patet moveatur paternâ pietate ad eam dandam, dat tamen ob causam satis necessariam: ergo non ex mera liberalitate per *numerum 120.* in fine Haunold *n. 575.* contra Mol. *Disput. 240.* innitentem *legi 17. Cod. de postliminiò reversis.*

*Resp.* Tertiò Inter Officia vendibilia, & transferibilia ad hæredes, & officia personalia, seu non transferibilia distinguendum esse. De primis computandas esse expensas concordant Theologi cum Juristis, secus de posterioribus jure Bavarico, imò plures id ipsum procedere secundum jus Commune censent: quibus non improbatis Haunold, *n. 577.* adhæret, Molin. *Disput. 238.* à nobis relatus *n. 122.* in Responso quarto de expensis factis pro beneficio, commenda, doctoratu &c. sunt enim omnia personalia.

124. Quæritur sextò an donatio sit conferenda? *Resp.* Primò affirmativè de donatione ob causam *per numerum 120.* nisi Pater oppositum expressisset sine præjudicio, seu diminutione legitimæ aljis prolibus debitæ Molin. Cit. cum Laym. *Lib. 3. tract. 4. c. 12. n. 13.*

*Resp.* Secundò negativè de donatione remuneratoria seu antidorali, debetur enim filio ob merita & peculio adventitio accensetur apud Laym. *n. 14.* ex Molin. *Disput. 244.* id ipsum ampliantem ad donata filio proficiscenti ad militiam, aut proprietatis aulam, quia reputantur pro Castrensibus bonis.

*Resp.* Tertiò Donata donatione simplici per jura non improbata quin statim ab initio eorum donatio valeat, liberalitati Patris sunt attribuenda, proinde non sunt computanda in legitimam nec conferenda, Haunold, *n. 579.* donata verò donatione non valente, nisi morte donatoris confirmata, cum habeant vim legati, aut in supplementum legitimæ imputanda, nempe in Successione ex Testamento. An autem in Successione ab intestato conferri debeant, est incertum. Haunold: *n. 590.* negat ex communiore, & recepta Sententia per se loquendo, per se inquam loquendo, quia conferri debent, quando alius filius deberet conferre donationem propter nuptias, aut filia dotem, aut donationem emancipato factam ob causam, tunc enim ad evitandam inter proles inæqualitatem donationes simplices morte Patris confirmatæ conferri debent propter textum expressum *in L. 20. Cod. de collat. bonorum,* cui graviter videtur adversari *L. 13. Cod. eodem.* Ad quam varias refert responsiones Haunold, *à n. 581.* ac tandem *n. 585.* ait Resolutionem procedere non solum de filijsfamilias, sed etiam de emancipatis contra Fahin. nempe non esse conferenda, quia donationes tales emancipatis factæ statim valent. Quomodo autem facienda sit collatio, vide Haunold, *n. 580.*

§. X.

## §. X.

## *An inter Fratres, & Sorores detur jus ad alimenta, & dotem.*

125. Quæstio hæc est quasi appendix ad Dominium Paternum & filiale, Constat ex *numero 81.* divitem Fratrem in defectu Patris, Avi, & Matris teneri dotare Sororem pauperem natam ex eodem utroque parente, aut ex eodem Patre esto diversa Matre Molin *Disp 159.* Fagundez *Lib. 4. in Decal. c. 16. n. 3.* (secus uterinam, sed ex Patre diverso per citatum *n. 81.*) si casu aut culpabiliter dos perijt, non tenetur secundo dotare, licèt Pater, & ascendentes teneantur toties, quoties; quin Frater non tenetur, nisi in subsidium, ejusque obligatio est minor.

Nemo autem tenetur dotare pauperes consobrinas, seu Fratris vel Sororis filias, quia erga has est minor obligatio, quam erga sororem uterinam, quam tamen dotare à jure deobligatur.

Circa alimenta autem à fortiori sequitur divitem fratrem teneri alere pauperem fratrem vel sororem, & ècontra, non solùm in gravi, & extrema necessitate (cùm tunc etiam externis sit succurrendum) sed etiam in communi: quia hoc postulat charitas radicata in speciali sanguinis conjunctione, & pietas: idque non tantum, quando sunt utrinque conjuncti; sed etiam uterini licet non sit obligatio dotandi, nisi forte frater hæreditâsset materna bona. Unde sicut Mater ex obligatione dotâsset in defectu fratris, ita frater hæres maternorum in defectu Matris, obligatio enim non personis, sed bonis est imposita Fagund. *cit. n. 8.*

Obligatio hæc alendi extenditur etiam respectu sororis naturalis *per Auth. licet Cod. de natur. lib.*

126. Obligatio alimentandi pauperes sorores, & fratres amplianda est etiam ad Clericos Beneficiatos in utroque foro; idque à fortiori, siquidem horum fructus restantes in pauperes, ut vidimus *à n. 69.* Sunt distribuendi, procedítque etsi frater aut soror sit spuria, id est, nata ex personis impotentibus Matrimonium contrahere.

An autem in spurijs præstanda sint ab illis alimenta secundum puram necessitatem ad vitam sustentandam, aut juxta divitias, & splendorem generis fraterni, non concordant Doctores plurimi cum Fagundez *c. 17. n. 11.* affirmant primum, quia eis præstantur solùm ex commiseratione, ergo purè secundum naturæ exigentiam. Secundum verò tradit Fagundez cum Lugo *Disput. 24. n. 123.* Less. *lib. 2. c. 19. n. 68.* probaturque *ex Cap. haberet, de eo qui duxit in Matrimo-*

*trimonium*: ubi dicitur *filijs* (subintellige spurijs) *secundum quod eis suppetunt facultates necessariæ submini-strent.*

Ad fundamentum oppositæ sententiæ negatur, quod ex mera commiseratione, & naturæ exigentia, sed secundum hanc fraternâ aut paternâ dignitate spectatâ ali debent sorores etiam spuriæ, aut filiæ conformiter dictis *n. 105.*

Sed quid de dote? an beneficiati possint, debeantque dotare sorores, aut filias spurias, sicut tenentur alere. Negat Fagund. *n. 2.* cum Parnormit *in Cap. pervenit de arbitris n. 1. & 5.* nec obligatio alendi potest transferri ad dotandum, facilius enim est dictim alere, quam vice unâ dotem assignare. Communior affirmat, quia *L. ad plures 13. §. fin. ff. de administratione tutelæ* generaliter disponitur, ut fratres dotent sorores, ergo non est, quod clerici excludantur, & in *citato cap. pervenit*, quidam clericus cogitur ad talem dotem, & ita docet hanc sententiam etiam Azor *p. 2. L. 2. c. 40. q. 7.*

*Resp.* Spectato jure videtur probabilior negativa quoad debitum, posse autem dotare constat ex secunda sequela *n. 68.* ad Primùm affirmativè Respondetur Clericos non subjacere dispositioni juris civilis. Ad secundùm dico cogi eum propter antecedenter promissam dotem, ut constat ex contextu.

# ARTICVLVS TERTIVS.

## *An usus rerum, quæ unico usu consumuntur, sit Separabilis à Dominio?*

### §. I.

### *Quid & quotuplex sit usus, & elucidatur Controversia.*

127. NOta Primò: res quibus utimur aliæ non consumuntur unico usu, ut domus vestis &c., aliæ verò consumuntur, ut vinum panis &c. Ad hoc genus spectat etiam usus primarius pecuniæ, est enim primario instituta, ut commutetur pro alijs rebus, sicquè unico usu consumitur non in entitate sua sed in dominio.

Controversia non est de usu primi generis, quia in ijs facilè concipitur usus à Dominio distinctus, se de usu secundi generis.

Nota secundò usum dividi in usum juris, & usum facti: usus juris rerum un co usu non consumptibilium rectè definitur cum communi Theologorum & Juri-

Juristarum, *quod sit jus utendi tantam re alienâ ipsius Substantia*: Sic habens usum juris in hortum potest in eo ambulare, fructus ad suum familiæque usum usurpare, quantum in annum sufficit, secùs distrahere, aut aliter alienare: hic patet differentia usuarij ab usufructuario, quod hic habeat rem non solum ad usum proprium, sed etiam possit alteri locare, fructus vendere &c. nihil horum potest usuarius, in eo tamen hic differt à depositario, quod hic sic utatur deposito teneatur & usus æstimationem.

Usus juris rei alienæ unico usu consumptibilis est legitima potestas ex jure proprietatis manans ad utendum simpliciter re alienâ, ejusmodi usus juris est inseparabilis à Dominio saltem imperfecto, eo quod Dominus directus illum concedens nequeat pro libitu revocare vel irritare, & sic vera est communis Sententia cum Less. *lib. 2. c. 3. dub. 8.* Lug. de Justitia *Disput. 1. Sect. 3* quod habens usum facti irrevocabilem habeat hoc ipso usum juris, & Dominium.

Usus facti est ipsum factum, ad quod se extendit usus juris E. g. equitatio; ad hanc enim se extendit jus conducentis equum. Est duplex: nudus, & non nudus; hic est vestitus, vel usu juris proximè definiti, vel potestate, seu licentia se extendente ad talem facti usum; hoc modo usus facti semper est licitus: nudus verò usus facti est destitutus tum dicto jure, tum licentiâ utendi, qualem habet fur utendo alieno equo, aut cibaria furtiva absumens, quare hic usus est semper illicitus. Ex his.

Sequitur primò, quod usus juris, & usus fructûs à jure definitus non sit usus, & ususfructus in actu secundo, id est, ipse actus secundus utendi, & fruendi sed in actu primo, id est, jus utendi & fruendi re alienâ.

Sequitur secundò Controversiam præsentem non esse de usu irrevocabili facti, sed revocabili, sive dependente à voluntate concedentis, ita ut sine ulla usuarij injuria quovis momento possit revocari, qualem usum habent omnes Religiosi etiam Minores circa utensibilia sibi concessa E. g. libros &c. jus enim utendi similibus non conceditur sine revocabilitate ad nutum. Verum nec de isto usu rerum utpote unico usu non consumptibilium hic controvertitur.

128. Controversia ergo est de usu facti in rebus unico usu consumptibilibus, an sit à dominio etiam imperfecto separabilis etiam in Communi, & an defactò separetur. Hæc lis olim ingentes excitavit turbas in Ecclesia post Joannem 22. Pontificem. Ut radix & occasio tumultuum ex fundamento sciatur.

Sciendum est, quod affirmativam Sententiam ante Joannem 22. asseruerit Nicolaus tertius *Cap. exijt, qui Seminat. de V. S. in 6.* eamque promovit Clemens Quintus *clementina I. Exivi de Paradiso*, cum suis antecessor. Innocent. Quarto. Alex. Quarto. Gregor. Nono.

Post hos negativam mordicus secutus est Joannes 22. vir Doctissimus *in Extravagant. ad Conditorem Canonum. de V. S. in 6* & in altera: *quia quorundam eodem*, existimans Chymericum esse Dominum distinctum ab usu rerum unico usu consumptibilium. Si tamen aliquod dominium esset penes se aut sedem Apostolicam distinctum ab usu rerum, quibus Fratres Minores utuntur

tur, illud ex tunc declarat à se, & sede Apostolica abdicari.

Præterea Nicolaus in *citato Cap. exiit definivit*, Christum aliquando habuisse perfectissimam pauperratem absque omni proprietate in communi & particulari, eámque verbo & exemplo docuisse: Hinc aliqui Magistri S. Scripturæ verbo, & calamo sunt nisi probare, quod altissima paupertas sit conformis vitæ Christi & Apostolorum nihil proprium habentium, sed simplicem usum facti, & quod in hac paupertate Fratres Minores sint fundati.

Econtra Joannes 22. *in Extravag. cum inter non nullos*, declarat. hæreticam esse assertionem Christum nunquam in terris habuisse proprium, nec in communi, nec in speciali.

Hanc Joannis definitionem multi pravè intelligentes arbitrati sunt, quod sit oppositа definitioni Nicolai. Ob hanc discordantiam apparentem multi dicti Fratricelli damnantes Joannem 22. propter præfatas Extravagantes velut hæreticum dicebant, & quod ab eo tempore nullus fuerit verus Pontifex, malueruntque potius comburi, quam ab errore suo resipiscere. Ut horum insania sit perspicua, pateaque evidenter hos duos Pontifices oppositа non definivisse.

129. Tria distinguenda sunt puncta à Nicolao tertio & Joanne 22. tractata. Primum est, an Christus verbo, & exemplo docuerit eam paupertatem, quæ in rebus unico usu consumptibilibus separatum habeat usum à Dominio. Secundum, an in ijsdem sit separabilis usus à Dominio. Tertiò an paupertas removens à se omne dominium contenta solo usu facti sit meritoria, & Sancta.

Circa primum meritò definivit Joannes Christum aliquando habuisse usum, & dominium saltem in communi, nam Joannis 12. dicitur de Juda Apostolici Collegij procuratore, *quod loculos habens ea, quæ mittebantur, portabat*, quorum scilicet dominium erat penes Collegium: & quia aliqua sibi inde asiumebat teste scriptura, fur erat. Hanc eandem Christi, & Apostolorum paupertatem propter allegatum Joannis Testimonium asseruit Nicolaus, ac insuper præmisit definitionem quod Christus aliquando sit professus perfectissimam paupertatem omni dominio destitutam in communi & in particulari ex illo *Math. 8. Filius hominis non habet, ubi caput suum inclinet.*

Christus itaque secundum definitionem Nicolai professus est duplex genus paupertatis diversis temporibus; aliquando rigidissimam in exemplum perfectorum; aliquando in persona infirmorum minus rigidam, nempe quando legitur habuisse loculos nam sic *JESVS CHRISTVS*, inquit, Nicolaus §. *Caterorum verò vers. nec his quisquam, cujus perfecta opera in suis actibus viam perfectionis exercuit, quod interdum infirmorum imperfectionibus condescendens & viam perfectionis extolleret, & infirmas imperfectorum semitas non damnaret.*

Quare nulla est contradictio inter utramque definitionem sed ambæ sunt veræ; Joannes enim non definivit, quod Christus semper, sed aliquando habuerit loculos, seu proprium, nec Nicolaus definivit Christum nunquam habuisse proprium, sed habuisse aliquando: nulla est autem contradictio Christum aliquando habuis-

habuisse, aliquando non habuisse proprium.

Circa secundum punctum Joannes negavit Dominium separabile esse ab usu, affirmavit Nicolaus

Circa tertium Nicolaus affirmat eam paupertatem esse meritoriam, & Sanctam: negat Joannes: verùm neuter Pontifex ullum horum duorum ut fidei Articulum definivit, sed uterque voluit declarare regulam S. Francisci, prout quisque ipsorum judicabat, ex rationibus oppositis: Nicolaus enim docuit paupertatem Minorum sitam esse in nudo usu rerum separatam à Dominio, eámque esse separatoriam, Joannes negat mereri, & separari posse: sed neutro in puncto fu sse locutum ut Pontificem seu ex cathetra sed ut privatum Doctorem. Colligitur ex citata ejusdem decretali: *Quia quorundam*: in qua refert se ad primam decretalem, quæ incipit, *Ad conditorem Canonum*, dicens quod in ea sit probatum, non autem dicit, quod sit definitum. His elucidatis descendamus ad controversiæ decisionem,

## §. II.

## *Deciditur Proposita in Articulo controversia.*

130. Dico simplex usus facti in rebus unico usu absumptibilibus est separabilis à Dominio, & defacto Minores habent in jis simplicem usum facti absque Dominio etiam in communi, ita nunc ferè omnes Theologi cum allegatis Pontificibus *n. 228.* contra Antonin. Sybo, & alios paucos stantes pro opinione Joannis 22. probatur prima pars, simplex usus facti dependet à Licentia præcisè utendi re, sed hæc est separabilis à Dominio ergo simplex usus facti est separabilis à Dominio. Minor probatur: Licentia præcisè utendi re non est potestas dandi Licentiam nomine proprio in talem rem, sicut pura Licentia exeundi domo non est potest nomine proprio dandi Licentiam exeundi, atqui potestas dandi Licentiam nomine proprio in talem rem est Dominium, seu jus proprietatis, ut constat ex hujus definitione, ergo Licentia præcisè utendi re non est Dominium, proinde est ab hoc separabilis.

Pars secunda est declarata à Nicolao allegato *n. 228.* cujus constitutionem ex parte reformaverat Joannes 22. removendo à sede Apostolica Dominium in res, quibus utuntur Minores: at hæc reformatio postea ab alijs Pontificibus, ut à Paulo quarto in Constit. *ex Clementina sedis*, est quoad hoc punctum cassata, atque derogatum Extravaganti citatæ *ad Conditorem* & Dominium iterum apud sedem Apostolicam repositum & Minoribus sublatum, prout id etiam colligitur ex Trident. *Sess 25. c. 3. de Regular.* concedente Dominium in communi omnibus alijs Ordinibus exceptis Minori-

bus, ergo ex mente Tridentini Minores nullum habent Dominium etiam in communi, & tamen habent simplicem facti usum, ergo hic in Minoribus defacto est sine Dominio etiam in communi.

131. Infero primò contra Less. Pallavicin. & Maurum per puram Licentiam ad simplicem usum facti Minoribus nullum concedi jus proprietatis circa res usuales: utens enim re ut Dominus in eo differt ab eo, qui re non utitur ut Dominus, sed ut servus, quod prior agat authoritativè, id est, ex propria authoritate, ut dicere possit, *sic volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas*: secùs posterior: atqui Minores utentes rebus non agunt authoritativè, sed ut servi teste Divo Bonaventura *in Cap. 6. Reg. S. Francisci.* Igitur illis per puram Licentiam ad simplicem usum facti nullum conceditur jus proprietatis circa res usuales, aliàs agerent ut Domini.

Hinc Infero secundò Minoribus concessa Licentia utendi rebus non est facultas in bonum propriæ libertatis ad restringendum moraliter per suam voluntatem libertatem aliorum, sed præcisè ut non agant illicitè: Quare pura Licentia utendi tollit ligamen legis prohibentis usum, secùs ligamen juris præexistentis, cum nullum jus præexistat in Minoribus ad res usuales.

Infero tertiò nudum usum facti in rebus unico usu consumptibilibus non posse retento illarum Dominio vendi, aliàs si posset vendi usura foret licita. Ratio primi, quod nulla res sit vendibilis, nisi sit affecta jure proprietatis: venditio enim est contractus, in quo venditor in emptorem transfert jus proprietatis in rem emptam, emptor verò in venditorem transfert jus proprietatis in pretium: Ratio secundi, quod malitia usuræ sita sit in eo, quod contra jus naturæ obliget alium ad plus tibi reddendum, quam illi dederis transferendo vi mutui jus rei mutuatæ in illum: atqui si simplex usus facti posset vendi retento Dominio, posset alius tibi obligari ad plus reddendum, quam illi dederis.

Infero quartò simplicem usum facti ordinatum ad Religiosi utilitatem esse materiam paupertatis Religiosæ, proinde Religiosum peccare contra votum paupertatis sine ulla superioris Licentia, seu authoritativè se gerentes in usu rerum ita ferè omnes Theologi per *n. 43.*

Infero quintò cum Gormaz *Disp. 7. n. 400.* Religiosum fore reum contra votum paupertatis accipiendo pecunias à Domino distribuendas nomine Domini inter pauperes, quando Dominus non determinat pauperes, sed Religioso relinquit eorum determinationem, fore inquam reum, si acciperet pecunias animo sibi conciliandi, & adstringendi aliquos, quod hos præ alijs designet: sic enim redundaret distributio in ejus proprium commodum contra votum paupertatis, secus si hoc non faceret propter utile suum, sed tantum ut fidum Domini instrumentum acciperet eas dispensandas: hoc modo conciliantur duæ oppositæ sententiæ, quarum una affirmat, altera verò negat esse contra paupertatem sine Licentia Superioris accipere ab altero pecuniam inter pauperes dividendam.

132. Objicies primò. Hoc ipso quod habeas Licentiam comedendi panem, ultra moralem potestatem comedendi potes moraliter restringere libertatem

tatem Domini, ne poſt comeſtum panem poſſit petere ſibi ſolvi panis pretium, quâ poteſtate caret non habens Licentiam comedendi. Item habes moralem poteſtatem obligandi alios, ne te impediant ab uſu talis Licentiæ; hoc autem eſt habere jus proprietatis in panem, ergo habens Licentiam comedendi panem habet eo ipſo jus proprietatis in panem. Secundò uſus per *numerum 227.* diſtinctus à Dominio eſt jus utendi re alienâ ſalvâ ejus ſubſtantiâ, ſed habens Licentiam utendi re uſu unico conſumptibili E. g. pecuniâ, aut vino non habet jus utendi illis ſalvâ eorum, ſed deſtructâ aut alienatâ ſubſtantiâ, ergo habet uſum indiſtinctum à Dominio.

*Reſp.* Ad primùm nego Majorem, quod pura Licentia moraliter reſtringat Domini libertatem, Licentia enim Minoribus conceſſa eſt actus ſecundus juris proprietatis retenti à dante illum, vi cujus actûs ſecundi, quàmdiu non revocat Licentiam, ligat ſuum jus, quo minùs licitè, & validè poſſit exigere pretium pro uſu: quamdiu autem res non conſumitur, poteſt citra injuriam Licentia revocari: re conſumpta amittitur jus in concedente Licentiam, exinde autem non ſequitur, quod dans Licentiam hoc ipſo cedat jus aliquando acquirendi Licentiam; poſſe autem amitti jus aliquod, quin hoc in alium transferatur, patet in DEO condonante peccatum, quo caſu cedit juri indignanti peccatori, quin ullum jus in alium transferat.

Eadem Licentia moraliter non reſtringit libertatem aliorum authoritativè, ſeu nomine proprio, ſed ut purum inſtrumentum Domini, id eſt, ipſe Dominus per eum, cui dat puram Licentiam velut per ſuum inſtrumentum moraliter obligat alios, ut non impediant uſum ſic conceſſum: ad jus autem proprietatis requiritur, ut quis ſuâ authoritate valeat moraliter reſtringere libertatem aliorum.

*Reſp.* Ad ſecundùm majorem eſſe veram de uſu juris diſtincto à Dominio directo proprietatis, ſecus de uſu ſimplici facti diſtincto à quovis Dominio etiam utili, & ſingulis inſtantibus ad nutum Domini revocabili: uſus autem juris definitus non eſt ad nutum proprietarij revocabilis & conceſſa Minore nego conſequentiam.

133. Objicies tertiò Minores non ſolum licitè, & validè utuntur conſumendo res, ſed etiam licitè, ac validè eas alienant donando, commutando, vendendo, ergo habent jus proprietatis in res uſu conſumptibiles, cum nemo plus juris poſſit in alium transferre, quàm ipſe habeat per regulam juris *79. in 6.* Quartò *lege 2 ff de uſufruct. earum rerum, quæ uſu conſumuntur*, dicitur: legari non poſſe uſumfructum earum abſque eorundem Dominio, quia per ipſum uſum conſumuntur: éſtque hæc mens D. Thomæ *22. q. 78. Art. 1.* probantis uſuram eſſe in ejusmodi rebus, aliud pro Dominio, aliud pro uſu accipere: *Quia*, inquit, *in talibus non debet ſeorſim computari uſus rei à re ipſa: & cuicúnque conceditur uſus, ex hoc ipſo conceditur res*, ergo conceditur Dominium habentibus talium uſum rerum.

*Reſp.* Ad tertiùm antecedens procedere de licita, & valida alienatione, authoritate non propriâ, ſed alienâ ſedis nempe Apoſtolicæ, & ſic negatur conſequentia jus enim transferunt in alios

alios non suâ, sed voluntate dantis Licentiam.

*Resp.* Ad quartum legem illam loqui de usu juris irrevocabiliter loquitur enim de usu frumenti, & similium unico usu consumptibilium independente à voluntate hæredis : ergo hoc ipso, quod legetur usus similium, legatur ipse etiam usus juris irrevocabiliter, aliàs hæres posset revocare pro libitu legatum.

*Resp.* Pariter ad sanctum Thomam, quod loquatur de usu irrevocabili (loquitur enim de mutuo) qui à Dominio non est distinctus per *n. 127. vers. usus juris, &c.* quo casu rectè dicit fore usuram, aliud pro Dominio, aliud pro usu accipere.

134. Pro reliquis Nota primò dum leges statuunt ut ususfructus non sit perpetuus, ne Dominia sint inutilia, statuunt de usu irrevocabili, secùs de usu revocabili ; Minorum autem usus, etsi sit perpetuus, est revocabilis.

Nota secundò tempore Joannis 22. cum Dominium non fuerit penes sedem Apostolicam, neque illud Fratres unquam voluerint acceptare, sed simplicem usum facti, probabilius Dominium remanserat pro eo tempore apud dantes, aliqui tamen putant fuisse apud Religiosos.

Nota tertiò negari quod dans Eleemosynam Minoribus minùs meritoriè det, quam dando Religiosis capacibus Dominij, esto his cum usu det Dominium, secùs illis, quia æquè propter Christum privat se omni commodo perceptibili ex re data Minoribus, quàm alijs, ergo non minùs meretur, imò magis, quia dat magis egentibus.

Nota quartò dans alteri nempe Fratri Minori Licentiam destruendi rem suam, non cedit illi jus ullum proprietatis, dum contra hoc opponitur : nisi cederet Dominium, hoc esset essentialiter inutile, quia nullum inde commodum accipere posset. *Resp.* Negando esse inutile, ad probationem dico ipsam Licentiam destruendi datam ad nutum revocabilem, esse actum secundùm Dominij, ergo hoc non esset inutile.

Nota quintò invitatus ad prandium etsi nullum jus reale proprietatis acquiret immediate in cibos, habet tamen potentiam physicam expeditam, seu non ligatam ad justè utendum cibis, & quia habet jus proprietatis naturale secundum quid personale, ne injustè impediatur ab usu hujus physicæ potestatis moraliter non ligatæ, hinc injustè cibos appositos invitato subtrahens, etsi non faceret invito injuriam oppositam juri proprietatis in cibos, faceret tamen injuriam contra secundum jus proprietatis personale, quod est ad usum suæ potestatis physicæ expeditæ, proinde teneretur restituere injuste surripiens.

Nota sextò usum Domûs, vestis, &c. ad certum tempus justè vendi posse ut distinctum à Dominio, sed non ideo præcisè, quia distinguitur, sed quia primarius ejus usus non situs est in rei destructione, & confertur cum jure ad tempus irrevocabili : è contra usus actualis vini, pecuniæ, consistit in actuali destructione Dominij, & ideo vendi non potest usus pecuniæ E. g. ad annum retento Dominio, aliàs licita foret usura sita in hoc, quod pro usu pecuniæ recipiatur pretium ultra ipsam pecuniam.

AR-

# ARTICVLVS QVARTVS

## De usufructu.

135. QUæritur primò quid sit usus-fructus? quotuplex? & an sit jus personale? *Resp. Est jus alienis rebus utendi fruendique salvâ eorum substantiâ.* Ita Juristæ & Theologi *L. 1 ff. de usufructu:* per ly *jus* convenit cum usu juris: per ly *utendi* differt à jure creditoris in pignus, & depositarij in depositum; neuter enim uti potest, & si uteretur, teneretur restituere valorem usûs: per ly *fruendi* differt ab usu juris, ut expositum est *n. 127.* usus itaque, & fruitio in sensu legali non idem sonant: differt à jure Emphyteutico, feudalique, quod tam Emphyteuta, quam fœudatarius, civiliter ut Domini habeantur secùs fructuarius, etsi quandóque agat de aqua, vel pluvia arcenda, quia non agit proprio, sed procuratorio nomine: Emphyteutæ autem conceditur nomine proprio rei vindicatio: per ly *rebus alienis* excluditur ususfructus in re propria, seu qui cum Dominio proprietatis conjunctus est, vocaríque solet ususfructus causalis, sic dictus, quod quasi ab ipsa rei proprietate causetur, de quo Responsum non procedit, sed de usufructu formali propriè dicto, qui est jus utendi; hinc ususfructus causalis est perfectum Dominium secùs formalis.

*Resp.* Ad secundùm esse duplicem nempe legalem, qui lege ipsa constituitur, ut Patri in bonis adventitijs filijfam. seu in Patria potestate constituti, Marito in fundo dotali & conventionalem, qui constituitur ex privata dispositione per donationem, aut alium contractum, &c.

*Resp.* Ad tertium esse personale proinde non posse in alium transferri, sed cum persona extingui.

136. Quæritur secundò quibus in rebus, & quomodo constituatur ususfructus? quos fructus percipere possit usufructuarius? an eos cuivis pro libitu vendere, & quali fructuarij facto opus, ut fiat fructuum Dominus.

*Resp.* Propriè constitui non posse, nisi in rebus permanentibus nam usu consumptibiles, seu functionem recipientes, ut frumentum, vinum, &c. nequeunt fructificare, unde cum grex sit quid permanens, in eo potest constitui. Dupliciter autem constituitur, nempe, vel legaliter, seu à lege, aut privatâ dispositione, hinc diximus esse duplicem, scilicet legalem, & conventionalem.

*Resp.* Ad secundùm percipere posse omnes etiam pensiones, ac redditus ex ædificijs, posse venari, piscari, &c. *Lege usufructu legato ff. de usufruct.* eruere

lapides, & metalla citra tamen jacturam agriculturæ Laym. *lib 3. tract. 1. c. 6. n. 2.* accipere laudemium à novo Emphyteuta, generalis enim regula est, inquit, Haunold. *tract. 3. n. 94. quod Proprietarius* vivo usufructuario, nihil utilitatis, ex re frugifera percipiat.

*Resp.* Ad tertium posse de jure communi pro libitu vendere, cui voluerit (aliud est de Emphyteuta, qui ex natura contractûs directo Domino præ alijs debet offerre venditionem *leg. fin. Cod de jure Emphyt.* non fructuum per dicenda *n. 165.* in fin. sed meliorationum E. g. Domûs, quam ipse erexit in fundo Emphyteutico, uti specificat casus ad legem hanc fin.) item posse usumfructum dare pignori *L. interest C. de usufruct.*

*Resp.* Ad quartùm ex fructibus alios separari per naturam à re frugifera, ut partus animalium, alios facto, ut manu excutiendo, seccando, metendo, &c. etsi quandóque sine facto hominis per accidens separentur, ut poma sponte decidua, aut vento excussa: fructus primi generis fiunt statim fructuarij *L. 28. ff. de usuris, & fructibus*: secundi generis, ut fiant fructuarij, debet hic, aut alius ejus nomine separare, sic separati fiunt fructuarij, esto nondum sint in horreo reconditi, quamdiu autem solo sunt conjuncti ad proprietarium spectant.

137. Quæritur tertiò, quibus modis finiatur ususfructus? *Resp.* Ne proprietas fundi esset perpetuo inutilis Domino, jura statuerunt, ut ususfructus certis modis extinguatur. Quando ususfructus est constitutus in diem, finitur lapsu temporis præfixi, regulariter tamen erigitur ad tempus vitæ fructuarij, unde hujus morte naturali finitur *L. 3. §. ultimo ff. quibus modis ususfructus amittatur.* Concessus, ut ad hæredes transeat, est novus ususfructus, qui non extenditur ultra primos hæredes *L. antiquitas Cod. de usufructu.* Quando ususfructus constituitur personæ fictæ, seu nunquam morituræ, ut Monasterio, civitati, &c. durat 100. annis per *Legem 3. ff. de usu & usufructu* legato. Item finitur per Professionem in Ordine incapaci bonorum stabilium, ac reddituum, in capaci autem finitur cum vita naturali Professi per *n. 41.* postea consolidatur, id est, revertitur ad proprietarium: est enim jus personale per *n. 135.* Item per lapsum temporis, ad quod est constitutus ab initio, aut per interitum rei, ut si conflagret Domus, in qua fuit constitutus usus fructus. Cessat præterea more potius recepto, quam jure, si culpa fructuarij notabiliter reddat deteriorem rem frugiferam contra cautionem præstitam, sicut in simili eventu potest expelli Emphyteuta, *L. 55. §. 1. ff. locati*, Haunold. *tract. 3. n. 127.*

138. Quæritur quartò quæ sint onera fructuarij? ad quam teneatur diligentiam circa rem frugiferam. *Resp.* Debet proprietario dare cautionem, se arbitrio boni viri fruiturum, remque finito usufructu restituturum (ab ea excipitur Pater in bonis adventitijs filij *L. fin. §. fin autem in fin. Cod. de bonis, quæ liberis* ex cujus legis ratione etiam communis sententia Haunold. *n. 109.* eum, nisi esset dilapidator liberat à confectione inventarij) *L. 1 ff. usufructuarius quemadmodum caveat*: eâ non præstitâ post interpellationem factam à proprietario fructuarius non facit fructus suos, quia tunc causa ad non causam reducitur, id est, titulus fructus percipiendi rescinditur, &

Do-

Dominus jure quasi pleno rem sibi vendicat *L. 7. ff. eodem.* De rigore juris sufficit cautio fidejussoria, jura enim ubique requirunt satisdationem, sed hæc in jure est cautio fidejussoria *L. 7. ff. de prætorijs: stipulat*: est tamen usu receptum sufficere pignoratitiam, quia communiter plus cautionis est in re, quam in persona *L. 25. ff. de Regulis juris.* Si inopia vetat etiam hanc præstari, sufficit juratoria, nisi sit persona suspecta, tunc enim indicendum est sequestrum apud virum probum, & divitem, de cujus manu sumet usumfructum, vel optimum erit, si proprietarius rem apud se retineat, & fructuario certam quotam fructuum, vel pecuniæ solvat, & illum hoc nomine data cautione securum reddat; sic enim utrique citra juris præjudicium consulitur Haunold. *n. 114.*

*Resp.* Secundò præter cautionem tenetur ad modicos sumptus necessarios ad reficiendas ædes, sarta tecta conservanda, fundos colere, emortuis arboribus subrogare alias *L. 7. §. quoniam & seq. ff. de usufructu & quamdiu quis utatur.* Si inter res frugiferas sit grex concessus, collectivè seu per modum gregis, debet in locum capitum deficientium ex agnatis substituere, si quæ habet, si non habet, deobligatur à coëmendis aliunde, si nulla culpa intervenerit Haunold. *n. 104.* grex autem non intelligitur infra decem capita, *Gl. ad L. 31 ff. de usufructu.* Item fructuarius tenetur ex re frugifera solvere tributum stipendium, aut salarium *per eit. L. 7.*

Circa æs alienum à testatore contractum sic statuitur *L. fin. ff. de usu & usufructu:* fructuarium in re certa, & singulari constitutum non teneri, uti si certa portio hæreditatis, aut fundus determinatus relinquitur, fructuarium verò omnium bonorum debere consentire, ut hæres deducat æs alienum ab omnibus bonis: (hinc annua Legata præstanda sunt ab universali fructuario *L. fin. §. sin autem æs alienum Cod. de bonis, quæ liberis*) in qua re hoc modo procedendum est ab hærede. Primò vendat fructus in hæreditate repertos, & convertat in solutionem debitorum, in defectu fructuum mobilia; his non sufficientibus immobilia, ex residuo usumfructum percipiet fructuarius, si non superet æstimationem dodrantis, id est, 9. unciarum, aliàs hæres habet jus minuendi usumfructum, quatenus tunc potest detrahere falcidiam; hoc est, quadrantem, sive tres hæreditatis uncias; cum ultra dodrantem legari non possit *L. 1. §. 9. ad L. falcid.*

*Resp.* Tertiò fructuarium circa rem frugiferam debere habere diligentiam eam, quam diligens paterfamilias communiter habere solet *L. 65. ff. de usufruct.* hinc ex communissima sententia tenetur ex levi culpa, secùs ex levissima, quia usufructus, non est gratia præcisè fructuarij, sed aliqualiter etiam proprietarij causa, nam huic debet dare cautionem per Responsum primum.

# ARTICVLVS QVINTVS.

## *De jure ſervitutis, pignoratitio, & hypothecario.*

### §. I.

### *De jure ſervitutis.*

139. SErvitus ut ſic prout præſcindit à perſonali, & reali definitur ab Haunold. *tract. 3. n. 63. quod ſit jus in re alteri* (nempe rei, vel perſonæ) *conſtitutum jus Domini minuens alterius augendi cauſa, ut cogatur Dominus, aut quid non facere in ſuo, aut alterum facientem pati, quatenus commoda utentis requirunt:* hæc eſt definitio ſervitutis activæ ut ſic: paſſiva autem ſervitus dicto juri reſpondens: eſt ipſa obligatio, qua res aliena, aut perſona uſui noſtro obſtricta eſt.

Hinc dividitur in perſonalem & realem: perſonalis dicitur, quæ à re aliena immediatè debetur perſonæ, à qua & in cujus utilitatem Dominus illius rei aliquid pati in ſuo cogitur. Ejus tres ſunt ſpecies uſus, uſufructus & habitatio: de uſu conſtat *à numero 127.* de uſufructu *à numero 135. habitatio eſt jus habitandi in ædibus alienis ſalvâ illarum ſubſtantia.* Quæ definitio, ne coincidat cum ſervitute uſus in ædibus conſtituta addit Haunold. *n. 147. habitandi vel per ſe vel per alium*, conformiter §. *ſed ſi, cui habitatio Inſtit. de uſu & habitatione:* Ubi habetur, quod vi hujus juris non ſolùm quis cum liberis, & uxore poſſit habitare, ſed habitationem etiam alijs elocare, per quod differt ab uſu, ab uſufructu autem, quod jus habitandi finiatur ſolum morte habitantis *L. habitatio Cod. de uſu, & habitatione.*

Realis ſervitus, eſt quæ immediate ab uno prædio debetur alteri: ſervitus igitur prædialis dicitur illa, quam unum prædium debet præſtare alteri prædio ad diverſum Dominum ſpectanti, eam ſic definit Schneid. *quod ſit jus in re aliena contra naturam conſtitutum, quod prædij dominantis utilitatem auget, ſervientis verò diminuit.* Dicitur conſtitutum *jus contra Naturam*, etſi enim de natura rerum ſit eſſe in Dominio hominum, eſt tamen contra earundem naturam ſervire non Domino. Prædium *Dominans* vocatur illud, cui debetur ſervitus, *ſerviens*, quod debet ſervitutem. Alia eſt urbana, alia ruſtica, quæ diviſio non deſumitur à rure, vel urbe, prædium enim Urbanum in jure dicitur, quod exſtructum eſt principaliter ad habitandum, vel etiam lucri, aut voluptatis cauſa, idcir-

circo vocatur *ædes*, inter quæ etiam numerantur stabula meritoria pro recipiendis mercede tam equis, quam hospitibus. Rusticanum prædium est, quod principaliter est exstructum in usum pro conservandis fructibus, & pecoribus, uti sunt stabula, granaria, horti olitorij, horrea seperatim exstantia, quæ omnia Communi nomine vocantur fundi. Varias tam prædialis rusticæ quam urbanæ servitutis species vide apud Cit. Haunold. *à n. 159.* ad 200. Aliquas mox subjiciemus.

## §. II.

## *De varijs speciebus servitutis Urbanæ & Rusticanæ.*

DE hoc vide infra *à n. 413.*

## §. III.

## *De pignore ejusque differentia ab hypotheca.*

140. IN jure maximi momenti est nosse, in quo sensu voces accipiantur, quia ab eorum acceptione pendet, qualiter legislator usurpaverit, cum ex vocibus ejus mens judicanda sit, unde cum vox pignus, & hypotheca diversimodè sumatur in jure, ad evitandam confusionem usus duplicis hujus vocis, est prænotandus.

Sumitur igitur primo pro contractu fundante actiones pignoratitias: unde cum in latiore Significatione pignus, & hypotheca idem sonent *L 5. §. 1. ff. de pignoribus & hypothecis*, hoc sensu pignus; ac hypotheca nominis tantum sono differt, nempe ut notant interpretes, si considerentur relatè ad actionem hypothecariam, *propriè autem pignus dicimus*, inquit *Lex 9. §. 1. ff. de pignorat. act. quod ad creditorem transit, hypothecam autem, cum non transit, nec possessio ad creditorem.* Sic sumitur pignus toties nempe strictè, quando aliquod onus illi imponitur.

Secundò sumitur pro pignoris Instrumento *L 22. ff. eodem.* Tertiò pro objecto materiali dicti contractûs, seu re, quæ datur in pignus. Quarto pro ejusdem contractûs effectu, seu pro jure exinde creditori quæsito. Porrò cum hic contractus à jure adnumeretur contractibus, qui re, seu rei traditione perficiuntur, hicque conceptus sit specificus, nec hypothecæ communis, hinc prius est exponendus conceptus generalis, seu communis pignori, & hypothecæ specificè sumptis, postea utriusque specifica differentia.

Dico primò pignus sumptum pro contractu sub generali conceptu prescindente à specifico conceptu pignoris, & hypothecæ est *contractus quo aliquid credito-*

*ditori in debiti solutionem obligatur, ut inde satisfiat, si aliter non sit satisfactum.* Unde sumptum pro objecto, seu materia rectè definitur cum Molin. *Disput. 528. n. 2. quod sit res subjecta, obligata vè pro debito, ut inde nisi impleatur satisfiat*: in stricta autem, proin in specifica Significatione pignus est contractus nominatus bonæ fidei, re initus, quo res alterius creditori aut hujus nomine alteri traditur ob fidem seu securitatem restituendi creditum: Hypotheca autem constituitur solâ conventione, seu consensu absque traditione rei, sive hæc sit mobilis sive immobilis, regulariter quidem pignus fit in re mobili, idque exinde accidit, quod mobilia facilius tradantur: de cætero etiam res immobilis, si traditur, fit materia pignoris, hypothecæ verò si solo consensu citra traditionem obligetur, creditorque acquirit jus reale in tali re, quod est speciale in hoc negativo, provenitque ex jure prætorio Haunold. *tract. 10. n. 869. vers. quod ergo.* Ex his liquet tertia pars conclusionis, quæ est de specifica distinctione pignoris ab hypotheca.

Quod autem etiam pignus contrahatur non solâ traditione, sed etiam nuda conventione habetur expressè *L. 1. ff. de pignorat. act.* & ideò sæpe pignus confunditur cum Hypotheca. Idcirco pars prima conclusionis definit Conceptum generalem, seu communem pignori, & hypothecæ: inde autem rectè sequitur pars secunda de objecto Materiali hujus contractûs.

Etsi autem ad hypothecam constituendam non requiratur Scriptura, munita tamen publicâ authenticatione habet id utilitatis, quod eam habens præferatur carenti publico Instrumento, esto hujus hypotheca esset prior, nisi probet prioritatem alijs modis, quam privato instrumento, & fraudis præsumptionem elidat prout elideret, si privatum esset subscriptum à tribus vel pluribus viris integræ fidei: tale enim æquivalet publico *L. 11. fin. Cod qui potiores in pignor* Haunold. *n. 870.*

141. Dico secundo vi contractûs pignoratitij, aut hypothecarij debitor manet plenus Dominus, sive proprietarius & usufructuarius rei oppignoratæ vel hypothecatæ: Creditor tamen acquirit jus in re, seu reale, quod dicitur nudum jus tentionis rei, seu jus Custodiæ, unde potest eam forte sibi ablatam à quovis possessore vendicare. Conclusio hæc sequitur ex prima, nam hic Contractus nullam proprietatem nec utilitatem transfert in creditorem, sed præcisè traditur illi, aut sine traditione obligatur res in securitatem debiti (unde differt à deposito, commodato, mutuo, præterquam quod in mutuo etiam transferatur dominium) cum igitur realiter obligetur pignus creditori, defert secum hoc onus reale ad quemvis ejus possessorem *L. pignoris persecutio ff. de pignor.* Sed res habens annexum onus reale est vendicabilis per eum, cui est realiter obligata.

§. IV.

## §. IV.

## *Plures quæstiones de pignore, & hypotheca resolvuntur.*

142 QUæritur primò quotuplex sit pignus, & hypotheca? cum Doctores hic loquantur variè, & non sine confusione dividentes pignus in conventionale expressum & tacitum sed cum tacitum rectius nominent legale, ut igitur evitetur confusio, *Resp.* Primò pignus presse sumptum prout opponitur hypothecæ juxta *numerum 140.* est triplex nempe conventionale, quod solâ partium conventione fit, Prætorium, quod edicto judicis ante definitivam Sententiam in pœnam contumaciæ debitoris constituitur per missionem in possessionem debitoris, quin tamen creditor fiat possessor rei, sed merus detentor rei velut pignoris prætorij, & demum judiciale, hoc fit à judice post condemnatum debitorem in executionem latæ Sententiæ per immissionem in bona ejus ut exinde creditori satisfiat, unde immissus acquirit possessionem similem possessioni ex pignore conventionali per traditionem pignoris acquisitæ *L. 25. ff. de pignor.* Unde ad constitutionem hujus pignoris requiritur actualis regulariter apprehensio rei Haunold. *tract. 10. n. 873.*

*Resp.* Secundò hypothecam sumptam presse, seu specificè dividi in expressam, & tacitam, prior fit actuali partium consensu circa rem principaliter obligatam, tacita est quam lex imponit in favorem certorum creditorum unde subsistit absque omni consensu debitoris, qui cum debeat consentire in legem, ideo aliqui vocant conventionalem, verum non rectè, sic enim omnis hypotheca esset conventionalis.

Secundò hypotheca alia est generalis (hâc quis obligat alteri omnia sua bona præsentia, ac etiam futura ante extinctum debitum *L. fin. Cod. quæ res pignori obligari possint*) alia specialis, hâc obligantur quædam specificata, aut cuncta bona certi generis, hâc specialitate comprehenduntur etiam rei accessoria per consequentiam E. g. si per eluvionem aliquid fundo hypothecato accedat *L. 16. ff. de pignorib & hypothec.* Item si oppignoratæ rei quoad proprietatem obligatæ ususfructus consolidetur *L. 18. §. 1. ff. de pignorat. act.*

Inter hypothecam generalem, & specialem est multiplex differentia apud August. Michel *part 2. Theolog Canonico-Moral tract. 3. §. 6. à n. 61.* Prima quod res non sit capax specialis hypothecæ, nisi actu sit sub Dominio debitoris. *L. 1 ff. de pignorib. & hypothec.* è contra hypotheca generalis se extendit etiam ad futura bona *L. fin. Cod. qui potiores in pignore Lab.*

Secunda conventus debitor titulo hypothecæ specialis nequit excipere, quod

quod sit alterius, nam specialiter rem obligans asserit tacite rem esse suam, *L. si inter Colonum 21. §. si debitor ff. de pignorib. & hypothec.* aliàs replicaretur adversus eum de dolo & mendacio.

Tertia Prælati non possunt sine solennitate juris ad alienandum requisita res Ecclesiæ subjicere speciali hypothecæ per expressum *in c. nulli 5. de rebus Ecclesiast. non alien. nulli, inquit, liceat alienare rem immobilem Ecclesiæ suæ &c. néque specialis hypothecæ titulo obligare.* Contra verisimilius est posse obligare hypothecâ generali; quia cum allegatus textus expresserit duntaxat hypothecam specialem, Colligitur à contrario sensu noluisse comprehendere generalem, utpote minus præjudiciosam, quia in hac non ita facilè devenitur ad venditionem rei hypothecatæ, sicut in speciali, ita communis cum Fagn. *n. 30. ad d. c.* attestante suo tempore ita fuisse decisum S. Congreg. Trid. pro contractibus Regularium.

Quarta Maritus per generalem hypothecam non revocat donationem uxori factam confirmandam Morte Mariti, *L. qui potest 3. Cod. de legatis*, revocat verò per hypothecam specialem, ita clarus text. *in L. cum hic status §. si Maritus ff. de donat. inter vir. & uxor. vide Zoës. ff. eodem: n. 23.* volentem hanc legem corrigi per *Novell. 162. §. 1.*

Quinta rei specialiter hypothecatæ cum pacto expresso de ea non alienanda, alienatio est ipso jure nulla *L. si debitor 7. §. final. ff. de distract. pignor.* valet econtra alienatio rei generaliter hypothecatæ, etsi tale pactum adjiciatur, *arg. L. ex L. c. de condict. ob causas.* Dat disparitatem Cit. Michel. *n. 24.* quod in primo Casu hypotheca specialis cum pacto singulariter officiat, & reservet rem creditori secùs hypotheca generalis. Hinc

Sexta differentia est, quod generalis hypotheca minus juris tribuat, quam specialis per *L. 3. Cod. de servo pignori dato manumisso*, vi cujus mancipia generaliter obligata possunt manumitti, secùs obligata specialiter. Vide Magistralem gloss. *in Can. quamprimum verbo plus dist. 23.* enumerantem casus in quibus plus operatur provisio specialis, quam generalis. Cæterum communis opinio est cum Abb. *in c. fin. ne Prælati vices &c.* quod rerum aliarum specialiter hypothecarum secluso expresso pacto non sit irrita alienatio, potest enim actione hypothecariâ revocari, secùs mancipium semel libertate donatum, cum durum foret hominem liberum absque facto suo fieri servum, ita Cit. Michel. *n. 26.*

143. Quæritur secundò quæ res sub generali hypotheca, seu nomine bonorum omnium veniant? & quibus comperat ex Lege hypotheca tacita? *Resp.* Ad primum venire etiam merces venales mercatorum juxta communiorem Sententiam Haunold. *n. 876.* quia substantia mercatorum in mercibus est sita, ijs divenditis cessat hypotheca quoad eas, & loco earum pretium hypothecatur, Molin. apud Cit. Haunold. Item comprehenduntur actiones, & nomina debitorum, ut litteræ censuales, &c. Tertia eadem generali hypotheca sunt oppignorati fructus ex re oppignorata alienata postea enati, & percepti ab illo alio nomine v. g. ex oppignorato agro vendito à Domino agri debitore, si ab hoc fati sunt (secùs fati ab emptore agri hypothecati post hujus emptionem & percepti, *L. 29. §. 1. ff de*

*ff. de pignor.* Hoc amplia ad fructus fatos, & perceptos à colono, seu conductore fundi oppignorati, æquiparantur enim fructibus in agro empto fatis ab emptore, Mol. ) ita Mol. *D. 529. n. 5.* Haunold. *n. 878.*

*Resp.* Ad secundum tacitam, seu legalem hypothecam habet Primò fiscus in omnium suorum debitorum bonis universis præsentibus, & futuris *L. 2. Cod. in quibus causis pignus tacitum.* Hæc hypotheca præfertur hypothecæ uxoris in bonis Mariti ratione dotis *L. 2. cod. de privil. fisci.* Secundò Pupilli, & Minores 25. annis in bonis suorum tutorum, & curatorum *L. 20. Cod. de administrata tut.* Item Pupilli habent tacitam hypothecam non solùm in bonis Matris ut tutricis, sed etiam in bonis vitrici, si huic Mater nupsit ante petitum pro ijs tutorem ita Bart. & Baldus. Tertio Filiusfamilias in bonis Patris nomine administrationis bonorum adventitiorum Maternorum, ut ea mortuo Patre impeti possint, ita Haunold. *Tract. 10. n. 975. ex L. 6. §. 4. C de bonis, quæ liberis.*

Quartò uxor proptet dotem habet hanc hyporhecam in bonis Mariti cum prælatione ante omnes anteriores hypothecas similiter non privilegiatas per jus citatem *n. 84.* ubi excepimus hypothecam fisci.

Quintò pupillus in re alteri empta ex pecunia sua donec restituatur pretium, ita ut præferatur omnibus anterioribus hypothecis etiam expressis *L. 7. ff. qui potiores.* Sextò locatori sunt obligati fructus prædij locati, uti, & res illatæ in prædium urbanum ab inquilino. Septimò Legatarij, fidei Commissarij in bonis testatoris §. 2. *Instit de legatis.* Octavò mutuam danti pecuniam pro ædificij reparatione tacite hypothecatur ædificium tale *L. 1. ff. in quibus causis pignus.* Nonò promittentis dotem bona hypothecata sunt tacitè Marito, cui tamen non concedit prælatio sicut uxori Haunoldus *n. 974.* Decimò verius est administrantium Prælatorum bona Ecclesiæ, huic hypothecari tacitè eorundem bona, gaudet enim Privilegio Minorum citatus Haunoldus *n. 974.*

144. Quæritur tertio quæ res possint aut non possint oppignorari, & an eadem res pluribus? *Resp.* Primò non posse rem alienam inscio, aut non consentiente Domino. Secundò hypothecato prædio habente annexum jus patronatûs ad Ecclesiasticum Beneficium hoc non oppignorari, ita non habetur decisum *in cap. 18. de Sententia, & re judicata.* Non est paritas à venditione prædij ejusmodi, quo casu etiam jus præsentandi non seorsim, sed cum prædio venditum censetur, disparitas enim est, quod quæ possunt oppignorari in defectu solutionis, ex his creditor debet posse accipere solutionem, atqui jus præsentandi non est pretio æstimabile, ergo non potest in partem prætij computari.

Hinc generaliter res invendibiles sunt etiam inoppignorabiles, uti sunt res Sacræ qua tales, quia non sunt in humano commercio. Dixi qua *Sacræ*, quia ratione Materiæ, ut vasa Sacra, vestimenta &c. in necessitate egenorum, sicut possunt vendi, ita possunt in pignus dari.

*Resp.* Secundò posse oppignorari debita, ut litteras censuales, item usus-fructus ab usufructuario non quoad jus ad fructus, cum hoc sit personale per

*n. 135. in fin* ; Proinde nequit transire ad alium , sed quoad fructus seu commoditatem. Si ususfructus consolidetur cum proprietate hypotheca expirat, cum ut dictum est in Responso primò nihil alienum possit oppignorari Domino non consentiente.

Oppignorato prædio sive urbano sive Rusticano censentur etiam oppignoratæ servitutes eisdem prædijs debitæ oppignorata enim res transit in pignus cum omnibus juribus, & pertinentijs, nisi expressè excipiantur. Haunold. *n.* 895.

Res Emphyteutica potest oppignorari Domino irrequisito dummodo hinc nullum præjudicium immineat Domino *L. 16. §. 2 ff. de pignorat. act.*

Deniqúe quæcunque sunt in rebus nostris pretio æstimabilia , oppignorari possunt , nisi specialiter prohibeantur , prout prohibetur oppignoratio dotalis fundi etiam cum uxoris consensu *L. unic. §. & cum Lex c. de rei uxor. act. & Instit. quibus alienare licet &c. in princip.* ne uxores ob facilitatem sexûs blanditijs Maritorum inductæ sibi nocere non possint. Item Minorum immobilia sine decreto judicis non cadunt sub pignus &c. ob lubricam ætatem , cui jura favere voluêre *L. fin. c. de reb. alien. non alien.*

*Resp.* Tertiò posse pluribus successivè eandem rem hypothecari hypothecâ generali : item cum hac potest stare posterior hypotheca specialis inscio priore hypothecario , ut habet praxis quotidiana necessaria ad commercia humana , imò eadem res sufficiens ad exsolvenda plura debita potest pluribus hypothecari in specie , quia nulli fit injuria , secûs si non sufficit , & fit ijs inscijs ( si conscius est prior , & posterior creditor priorque consentit , potest utrique obligari , cum consentienti non fiat injuria. An autem prior creditor consentiens ut res etiam alteri obligetur , sciens quod non sufficiat utrique solvendo , hoc ipso censeatur consentire , ut alter sibi in concursu debitorum præferatur, vid. Haunold *n. 911.*) tunc secundus creditor habet actionem hypothecariam personalem , ut alia res sufficiens pignori subjiciatur potestque simul agere de crimine stellionatûs ( hoc committitur quando aliquid per callidi-tatem agitur in fraudem alterius arbitrio judicis plectendum , cum enim in jure non habeat nomen speciale , generali nomine dicitur stellionatus ) nisi debitor præveniat solvendo alterutri creditori *L. 19. §. 1. ff. de pignorat. act.*

Ex dictis facilè colligitur , quod cum oppignoratio , & hypothecatio sit quædam species alienationis , prohibiti alienare etiam prohibiti sunt oppignorare *Cit. L fin.*

## §. V.

## *De pignoris Custodia, Venditione, & dissolutione.*

145. QUæritur primò cum pignus sit in Custodia creditoris , ad quam culpam præstandam teneatur ? Culpa alia est Theologica , seu à Theologis considerari solita , ut peccatum mortale, vel veniale ; alia est juridica ( sic dicta, qui

quia consideratur à Juristis, sive deinde sit, sive non sit Theologicè culpa ) sita in omissione alicujus diligentiæ, quam, sive ex Lege, sive ex contractu, sive Officio adhibere quis tenetur. Communiter est triplex, lata, levis, levissima. Lata est intermissio diligentiæ communis, hoc est tantæ, quantam homines communiter in tali negotio solent adhibere: Si id fiat scienter, & de industria, sive animo ut sequatur damnum dicitur dolus apertus, sive culpa latissima, quando autem fit aut omittitur scienter cum prævisione damni secuturi, aut hujus periculi secluso præfato animo, dicitur dolus præsumptus, seu culpa latior: culpa levis est omissio diligentiæ à providentioribus adhiberi solitæ, ut si pignus aut depositum ponas intra cubiculum, sed hoc non claudis: levissima est omissio diligentiæ exactissimæ, id est, à diligentissimis adhiberi solitæ, ut si cubiculum claudas, sed non tentes an sit serâ munitum. Hoc prænotato.

*Resp.* Quando pignus est conventionale, creditor tenetur solum excussa lata, & ex levi, non ex levissima. Haunold. *tract. 10. n. 933.* ex generali regula quod in contractibus ad utriusque contrahentium utilitatem spectantibus (talis est pignus) culpa solum levis sit cavenda: hoc sensu intelligendus est. §. 4. *Instit. quibus modis re contrahitur obligatio:* ubi etiam habetur creditorem ad casum fortuitum non teneri, nisi huic dederit culpâ suâ occasionem, cui per se sit annexus casus fortuitus, ut si creditor res igni obnoxias incautè tractavit, unde incendio orto pignus est absumptum, cum possit prævideri, etiam potest præcaveri, Haunold. *n. 938,* quo spectat etiam casus fortuitus ex mora restituendi pignus: Culpabilis enim mora suo Authori nocet Haunold. obligans *n. 936.* creditorem ad satisfaciendum debitori, si fide bonâ usus est pignore existimans debitorem non fore invitum: si pignus eo in usu pereat non periturum similiter apud debitorem, quia usus pignoris non est per permissus creditori, ergo uti non potest ex præsumpta voluntate, nisi sub tacita conditione hac: *si tamen revera sit Dominus invitus, volo uti meo periculo.*

Quando autem pignus est Prætorium, aut judiciale, tenetur solum ad præstandum dolum, & culpam latam (hæc sæpe venit doli nomine) *L. 9. §. 5. ff. de rebus authoritate Judicis possidendis:* est autem *dolum machinatio, seu deceptio, quâ quis alterum decipit dicto. vel facto vel ejus omissione, quod dicere, aut facere tenetur.*

146. Quæritur secundò, an, & quo tempore possit vendere pignus? *Resp.* Primò pignus conventionale interveniente pacto inter creditorem, & debitorem licite vendi post definitum tempus *L. fin. Cod. de jure Dominij impetrando* deber autem creditor exspectare lapsum totius diei constituti *L. 4. ff. de distract. pignoris.* Quia inquit Haunold. *n. 961.* die primùm elapso incipit debitor esse in mora, nec creditor tenetur monere debitorem: dies enim interpellat pro Creditore per generalem regulam expressam *in L. 12. Cod. de contrahenda & committenda stipulat.* Si nullus est præfixus dies solutioni, ut debitor sit in mora à Creditore est monendus *L. 23. ff. de verborum obligatione.*

*Resp.* Secundò si nullum pactum intervenit, jure Codicis necessaria est una denun-

denuntiatio, quâ factâ est adhuc expectandum biennio à facta denuntiatione computando, dum debitum est liquidum, aliàs à puncto latæ Sententiæ. Haunold. *n. 962. ex L. 3. Cod. de jure dominij impetrando* per quam abrogatæ sunt leges antiquiores, quibus continuo post moram venditio concedebatur, uti est *L. 4. de pignorat act. &c.*

*Resp.* Tertiò si creditor, & debitor pacti sunt, ut non liceat pignus vendere; pactum hoc aliter non tenet, quam ad hunc effectum, ut vendi nequeat, nisi post trinam factam debitori denuntiationem constituto in mora *L. 4. in fin. ff. pignorat. act.* Neque hoc est in Cod. mutatum Haunold. *n. 963.* notans tres denuntiationes faciendas cum aliquo intervallo E. g. trium dierum, aut arbitrio Judicis. Factis his denuntiationibus redditur ad jus codicis *cit. L. 3.* Consequenter per biennium expectandum.

*Resp.* Quartò, quando pignus est judiciale, quatuor Menses debitori condemnato, fidejussoribus sunt ad solvendum debitum concedendi, antequam capiatur pignus per Executionem definitivæ Sententiæ *L. 2. Cod. de usuris rei judicatæ & Cap. 17. de Sententia, & rejudicata.* ubi additur hoc tempus posse coarctari, aut prorogari ex causis enumeratis *in L 2. ff. eod.* apud Haunold. *n. 966.* elapso quadrimestri rapiuntur pignora intra bimestre vendenda, si ante præfatam venditionem debitor exsolvat, restituuntur illi per *L. 31. ff. de re judicata.*

*Resp.* Quintò in Casu, quo pignus conventionale est pluribus obligatum, si hoc est datum in solutum, aut in venditum antiquiori creditori aut habenti jus Prælationis posteriori, si hic priori offerat solutionem debiti: debet prior pignus reddere aut si malit posteriori solvere debitum sub eodem pignore *L. 1: Cod. si antiquior Creditor pignus vendiderit.* Si creditor gaudens jure prælationis vendat pignus posteriori, si debitor offerat utrique debitum, pignus recuperat, secus si alteri extraneo sit venditum *L. 6. ff. de distract. pignorum.* In casu quo creditori res plures sunt obligatæ, nempe aliæ generaliter aliæ specialiter, hæ prius vendendæ sunt, & ijs non sufficientibus reliquæ *L. 9. Cod. eodem.*

*Resp.* Sextò venditio pignoris, quæ conformiter juri non est facta, est nulla *L. 4. Cod.* si venditio pignore agatur si legitimè venditum est à creditore hic non tenetur de evictione emptori, sed huic tenetur cedere actionem adversus debitorem *L. 38. ff. de evictionibus.*

147. Quæritur tertiò quibus modis dissolvatur obligacio pignoris? *Resp.* Sequentibus primò debiti solutione. *L 10. Cod. de pignorat act.* Etsi fiat ab alio, & debitor ignoret, dummodo fiat hujus nomine *Instit. pr. quibus modis tollatur obligatio.* Secundò si cum consensu creditoris pignus alienetur, nisi consenserit salvo suo jure pignoris *L. 4 §. 1 ff. quibus modis pign.* Tertiò restitutione pignoris, nisi constet ex alio fine esse restitutum. Quarto totale rei obligatæ interitu Physico, ut fit in re corporali, aut morali, ut in re incorporali v. g. in usufructu. Dixi *totali*: Combusta enim domo area manet obligata, & quidquid postea alii inædificatur (hæc omnia sunt diversis legibus decisa) Et universim rei hypothecatæ, mutatio non tollit obligationem pignoris *L. 16. §. 2. de pignorib.*

§. VI.

## §. VI

# *De pignoris usu, fructibus, de pacto antichreseos, & Legis Commissoriæ.*

148. Dico primò creditor nequit uti pignore extra consensum saltem tacitum Domini, aut nisi sit usus moderatus sine Domini damno, unde est licitus usus equi oppignorati ne otio torpeat, aut vasis argentei. Probatur res ubicunquè est, suo Domino fructificat, sed pignoris Dominus non est creditor, est verò debitor *per n. 141.*

Hinc infero primò creditorem teneri ad restitutionem omnium fructuum, quos accipit ex re immobili hypothecata, & si eos consumpsit, debet illos in partem sortis computare, id est, tantum defalcare de sorte, sive muruo dato, quantum valent percepti fructus detractis expensis *L. 1. Cod. de pignorat. act.*

Obligatio hæc computandi in partem sortis ex vera, & recepta sententia etiam procedit de fructibus Culpâ Creditoris non perceptis *L. 2. Cod. eodem.* : quia vi hujus contractûs creditor cavere debet culpam latam, & levem in pignore conventionali, dolum verò, & latam in judiciali per *n. 145.* ergo cum per *n. 143.* etiam fructus rei frugiferæ oppignorentur, ad quam culpam cavendam tenetur circa corpus, ad eandem tenetur circa fructus. Unde si creditor oppignoratam domum nolit inhabitare, pro pensione competente, nec alteri elocat, cum posset, tenetur ex culpa ad pensionem, secûs si ipse non eget habitatione, nec re conductor est reperibilis, quia sic nullum commodum portat, nec Domino nocet: si propensione inhabitaret aliam minus commodam potest oppignoratam commodiorem inhabitare pro eadem Haunold. *tract. 10. n. 927.*

Contra hanc primam illationem non est paritas à bonæ fidei Possessore, usufructuario &c. facientibus fructus suos ex fundo alieno §. *si quis à non Domino Instit. de rerum divis* quia hi, uti supponitur, sunt muniti titulo justo, quo caret creditor spectato solo pignore, hoc enim ut possidet, nisi ut assecuretur creditum *per n. 141.*

Infero secundò, ut creditor citra usuram fruatur pignore, rem datam in pignus emat à creditore cum pacto eam retro vendendi, quando idem pretium sibi reddetur, quia tunc fit Dominus pignoris, fructuumque, ita consulit Lugo *Disput. 25. n. 132.* quo Casu res ammittit naturam pignoris.

Eosdem fructus si non excedant valorem censûs justificat contractus censualis, ut si oblato pignore creditor nolit id acceptare, nisi possit pro centum accipere 5. aut 6. Salvo Capitali Laym. *lib. 3. tract. 4. c. 16. n. 17.*

149. Dico secundò pactum antichreseos pignori adjectum esse injustum,

ac usurarium ex communi Theologorum cum Cit. Laym. contra aliquos cum Alciato probatur: antichresis est contractus in quo mutuans paciscitur cum mutuatario, ut usque ad persolutionem crediti mutuans ex oppignorato v. g. agro fructus colligat, quin eosdem in sortem computet, sed talis Contractus est injustus, ac usuarius ut constat ex jure Canonico toto titulo de usuris, & Civili *L. 1. & 2. Cod. de pignorat. act.* Wading. de Contract. *Disput.* 6. dub. 9. §. *1.* quia fructus jure naturali spectant ad Dominum rei frugiferæ, nisi Titulo justo in alium transferantur: atqui in casu pignoris nullo justo titulo transferuntur in creditorem, sed præcise vi mutui accipiuntur ultra sortem, id est, ultra pecuniam creditam.

Infero injustam esse aliquarum Provinciarum praxim, vi cujus creditor immittitur in bona debitoris non reddentis mutuum tempore constituto, ac ex ijs colligit fructus omnes usque dum sors integra restituatur: quam consuetudinem de fructibus in sorte non computandis sub intentata pœna excommunicationis Innocentius Tertius *c. 1, & 2. de usuris* abrogavit in Anglia, eandem Ferdinandus Secundus 1627. vetuit in Bohemia.

150. Objicies primò ejusmodi immissio cum jure faciendi fructus suos est pro bono publico, ut lites vitentur, & propter veram moram debitoris semper prudenter præsumptam. Secundo accessus fructuum ultra usuras legitimas, seu justum interesse percipiendum est incertus. Hæc autem incertitudo justificat antichresim *per L. si oleo & L. si pactione. & L. si ea Lege Cod. de usuris.*

*Resp.* Ad primum sæpe nullam esse moram, nam hæc in præsenti negotio est delictum commissum in omissa solutione: hæc autem crebro emanet absque culpa debitoris propter infortunia, casusque accidentales excusantes à mora utroque jure per text. *in Cap. significante de pignoribus & L. trajectitiæ ff. de actionibus, & obligat.* Communiter quidem non expedit admitti purgationem moræ ad cohibendam prodigalitatem, aut negligentiam mutuariorum, ipsum tamen jus, dum est clarum impedimentum admittit purgationem ut in casu posito citati capituli.

Deinde licet mora interveniat, sequitur, quod plecti possit pœnâ mediocri, secûs tantâ, hæc enim non est pro publico bono: negatur igitur assumptum.

Ad secundum concessa major, nego minor. Civile enim jus etiam permittit usuras in toto titulo ff. & Cod. de usuris, quin hæ in foro conscientiæ evadant licitæ. Deinde teste Wadingo non approbat usuras Lucrativas citatum jus, sed compensatorias & moresas ad longum. Hinc quod lege *Fulcinius* §. *Divus ff. quibus ex causis in possessionem eatur*, statuatur posse decerni à judice ut missus in possessionem omnes fructus faciat suos, non favet adversarijs, quia solutio seruitur ex ipso contextu punit enim contumaciam debitoris non se sistentis, nec volentis parere judici, qui meritò potuit talem oœnam dictare.

151. Objicias tertiò Jus Canonicum permittit fructus non computari in sortem, quas percipit gener ex pignore dato à socero pro dote promissa non numerata *Cap. salubriter. De usuris.* Nec quos Dominus feudi colligit ex fundo feudali oppignorato à vasallo *Cap. conque-*

*stus*

*stus. eodem.* Quartò idipsum suadet praxis quotidiana: Princeps enim in publicis necessitatibus accipit à subditis magnam æris summam in pignus assignato dominio cameratico v. g. oppido aut telonio cum facultatate fruendi ad tempus exhibendæ solutionis, quin videamus fructus in sortem computari.

*Resp.* Ad tertium admittendo tres allatos casus sed nego suppositum fructus percipi, gener enim eos colligit, ut docet Fagundez titulo emergentis damni, quod patitur gener ex proprijs alendo uxorem Pater enim filiæ etiam diviti tenetur dare dotem ad onera matrimonij sustentanda, quæ onera cum in se suscipiat gener, titulo eorum colligit fructus, donec dos solvatur. Adde ex Haunoldo *n. 434.* uxorem mortuo Marito posse continuare fructuum perceptionem, donec solutio dotis fiat, dos enim datur non solum ad onera matrimonij sustinenda, sed etiam viduitatis, utque vivere possit pro ratione statûs hinc ad eam spectat dotis Dominium naturale, & à morte Mariti etiam civile.

Secundò mortuâ uxore Maritus non suo, sed prolium nomine fructus percipere continuat; jis deficientibus hæredes uxoris.

Infeudans cum sit directus Dominus fundi, dum hujus fructus oppignorantur, illi Dominium utile consolidatur cum proprietate proinde fructus ex suo percipit, uti & Clericus in dicto casu, supponitur enim illud beneficium fuisse, aut Clerici aut Ecclesiæ proinde injustè possideri à Laico.

*Resp.* Ad quartùm vel subditi sponte dant mutuum, vel coactè: si sponte, secluso lucro cessante, aut damno emergente nequeunt accipere interesse nec fructus facere suos juxta Wadingum §. 5. sunt enim pares cæteris mutuatoribus: si vero coacte, communis sententia inter quos est Molin. *Disput. 315.* in princip. & cit. Wading. justificat interesse lucri etiam cessantis, licet de hoc solvendo non sint expressè pacti cum Principe, nec hic fuerit in mora, unde hic non valet regula illa, quòd interesse lucri cessantis sine pacto, aut mora solutionis non debeatur: nam hic est quid speciale; rationem hujus specialitatis plerique revocant in metum, qui supplet tunc vicem contractûs consulentis eorum indemnitati. Proinde non censentur remittere interesse, nisi ex benevolentia mutuando non peterent interesse.

Cæterum praxis illa respectu coactorum est honesta, dicendo quod vel tunc non sit propriè pignus, sed au condonatio fructuum in diem ad tempus certum vel incertum usque ad refusionem aut sit emptio cum pacto retrovendendi Principi tempore restituendæ pecuniæ, Uterque modus est Justus, in primò enim accipiunt rem ex donatione suam, in secundo fructus ex suo, ita Wadingus *dub. 9. §. 5. num. 2.*

Circa hoc quartum vide Less. *lib. 2. c. 20. dub. 12.* ex viris doctis referentem qualiter bonâ fide ineuntes contractum usurarium, aut aliàs injustum, cujus tamen injustitiam si sciviſſent, contraxissent alio titulo justo, proinde implicite intendant justum titulum, etsi explicite non cogitent, horum sententiam censet *n. 105.* non improbabilem si limitetur ad certos contractus, non tamen permittit ut deinceps sic contrahant sine titulo expresso lucri.

152. Pro sequente conclusione Nota in jure ff dari titulum de lege commissoria : per quam aliud non intelligitur, quam pactum ; vi cujus contrahentes sibi legem dicunt præsertim in venditione, & emptione, atque in mutuo cum pignore. Pactum commissorium venditioni adjectum nihil est aliud, quàm ut res inempta censeatur, si pretium statuto tempore non solvatur : jus tale pactum in hoc contractu approbat *L. 1. & 2. ff. de lege commissor.*

Adjectum pignori est, vi cujus mutuator aut alius creditor accipiens pignus paciscitur, ut si certo tempore debitum non solvatur, pignus fiat creditoris.

Dico tertiò pactum legis commissariæ adjectum pignori, esse utroque jure irritum, ac illicitum, *L. fin. Cod. de pact. pignor. & cap. significante de pignoribus.* Imò etiam jure naturali, quando pignus excedit debitum, ut fit communiter, ideo ad cavendas pauperum perentium mutuum oppressiones jura simpliciter improbant talia pacta in pignoribus (vi quorum pignora incidant in commissum, id est, secundum phrasim juridicam, ut fiant creditoris : ) similis ratio non est in venditione cum non sit grave, ac injustum onus, ut emptor reddat merces definito tempore non solutas. Pactum etiam juratum adjectum pignori superanti debitum est invalidum. ita communior apud Haunold. *n. 932.* Contra Fachin. contractus enim ex natura rei illiciti non firmantur juramento.

Econtra validum ac licitum est pactum, vi cujus pignus maneat venditum non pro debito nec pro pretio aliquo determinato, sed pro justo nimirum boni viri arbitrio æstimando, quæ particulæ ex communi Doctorum apud Haunold. *n 930.* Subintelliguntur ; etsi in pacto diceretur præcise ut *fit venditum*, secùs si dicatur, sit creditoris *in solutum* seu loco debiti.

Pro meliore intelligentia hujus conclusionis Nota primò legem Commissoriam sic dici à committendo, quia si emptor pactam solutionem tempore constituto non deponit, res vendita priori Domino committitur : hinc adjecta pacto Conditio in isto casu non est suspensiva contractûs, sed resolutiva, proinde contractus non est conditionatus, sed absolutus secundum omnes ad *L. 3. c. de pactis inter Empt.*

Nota secundò non obstante isto pacto res empta statim transit in Dominium Emptoris, aliàs, dum iste non persolvit Pretium, res non committeretur priori Domino, nempe venditori, cum nunquam Dominium ejus amisisset, atque adeo contractus foret conditionatus conditioque suspenderet dominij translationem contra omnes.

Nota tertiò legem commissoriam non favere emptori, aliàs semper res maneret inempta in præjudicium venditoris, sed venditori, & ideo huic est liberum rem habere pro commissa, aut omissâ commissi pœnâ pretium exigere *L. 2. ff. de L. commissoria, & L. 3. c. eod.* quamprimum autem est lex commissa, venditor debet se determinare, an velit eam exercere, aut pretium petere ; factâ determinatione non potest variare *L. 4. §. eleganter ff. eod.* nam electo uno contrario, censetur renuntiare alteri *L. Mater decendens ff. de inoffic. testament.*

Nota quarto legi commissoriæ non esse locum nisi adjecta sit in continenti, id est, debet venditioni adjici in principio, aut fine contractûs, proinde antequam contrahentes divertunt ad alia negotia, Moli. *Disp. 378. n. 10.* No-

Nota quintò ut exerceatur lex commissoria, non est necessaria interpellatio prævia emptoris pro solutione, dum pro hac est dies certa adjecta, Molin. *n.* 4. ipsa enim dies interpellat, & elapsa constituit emptorem in mora *L. magnam c. de stipulat.*

## §. VII.

## *Cujus pignus, aut hypotheca in concursu plurium creditorum prævalet.*

DEcisio legatur infra à *num.* 415.

# ARTICVLVS SEXTVS.

## *De jure Emphyteutico, fideicommissorio, & feudali.*

153. FInis contractûs Emphyteutici est, ut res immobilis sterilis, & infrugifera alteri tradita ab eodem excolatur, ac frugifera reddatur unde vox græca Emphyteusis latinè dicitur insitio, seu plantatio, proinde primitus in hoc contractu dabantur agri inculti, hodie autem etiam fertiles, ut Dominus quid firmius & certius percipiat, & si minus, quam si ipse coleret. Agri in culturam hic concessi sunt vocati Emphyteutici, item vectigales à vectigali seu pensione à possessore persolvenda: vectigal enim quemvis redditum significat *L. 1. ff. si ager vectigalis*, uno autem nomine Emphytheusis. Inemphyreuticans, seu dans in Emphyteusim vocatur Dominus directus, germanicè Grund-Herr colonus fundum excolens dicitur Emphyteuticarius, seu Emphyteuta germanicè Erb-Rechter / Gild-Baur / contractus iste, cum sit usitatissimus, ejus notitia pertinet etiam ad Theologum cum multa conscientiam concernentia contineat, sit igitur,

## §. I.

## *Definitur & dividitur Emphyteusis & occasionaliter de Successione ejus.*

QUæritur primò quid sit Emphyteusis? *Resp.* Cum communi Juristarum, & Theologorum esse Contractum nominatum stricti juris, quo res immobilis alicui cum translatione Dominij utilis ad longum tempus conceditur sub triplici lege; prima meliorationis: secunda præstationis annui Canonis: Tertia non alienandi sine præscitu directi Domini. Probatur explicatione: dicitur primò *nominatus*, quia nunc habet certum nomen in jure. Dicitur secundò *stricti juris*, quo nomine veniunt omnes illi contractus, in quibus judex secundum rigorem juris, & attentis contrahentium verbis debet judicare, econtra bonæ fidei contractus sunt, & dicuntur, in quibus bonæ, & rectæ judicis conscientiæ plurimùm attribuitur, ut in venditione, locatione, conductione, depositò, commodato. Dicitur tertiò *cum translatione Dominij utilis* ad differentiam à venditione transferente Dominium etiam directum: Dicitur quartò *rei immobilis*, ut differat à locatione quæ etiam potest esse rei mobilis. Dicitur quintò *ad longum tempus*, id est, quod sit non minus decennio, infra quodsi initur locatio dicitur.

Dicitur sextò *triplici Lege* prima meliorationis, quia secundum omnes Emphyteuta tenetur ad ea omnia, quibus neglectis fundus deterioraretur, econtra si præstentur, fit melior, unde tenetur arbores putare, terram ab inutilibus fruteis purgare, arbores novas demortuis subrogare; & exinde recte concludunt Doctores similis meliorationis refusionem finita Emphyteusi Emphyteutam non posse repetere à Domino directo, posse autem, & ab hoc Domino refundi expensas factas in restaurationem penitus collapsæ Domûs, aut casuali incendio absumptæ, vel in ædificium novæ Domûs, horrei, stabuli &c. ut colligitur *ex lege 55. §. 1. ff. locati.*

Dicitur septimò *lege secunda præstationis annui censûs* quia substantia Emphyteusis est aliqua pensio in recognitionem Dominij directi, quæ pensio vocatur Canon. § 3 *Instit. de locat.* quantitas ejus ex arbitrio contrahentium taxatur attentâ proportione sperandorum fructuum: Jus quidem *in Novella 7. c. 2. §. 1. si verò &c.* Regulam statuit, ad quam exploretur moderatio, nempe eam esse justam, quæ 20. annis collecta æquat valorem rei Emphyteuticæ, verum recte monet Haunold. *tract. 9. n. 500.* observandam esse locorum consuetudinem.

Quæritur secundò quotuplex sit Emphyteusis? *Resp.* dividi primò in Ecclesiasticam, & in laicam (hæc etiam dicitur com-

communis) Ecclesiastica est, cujus Dominium directum est penes Ecclesiam; si est penes sæculares dicitur Emphyteusis Laica seu communis, hæc secundum leges civiles est regulanda, secûs Ecclesiastica, nisi sint à jure Canonico saltem tacite approbatæ. Si tamen Ecclesiastica sit data laico, ejus Dominium utile subjicitur juri Civili, & Laicæ potestati. Molin. *de jure Disput. 446. vers. Emphyteusim &c.* inde deducens, quod secundum valorem Dominij utilis debeat laicus Emphyteuta omnia præstare onera etiam nova imposita Emphyteusibus laicis, etsi Ecclesia ab ejusmodi novis tributis eximatur.

Deducit secundò in tali Emphyteusi habere locum etiam leges laicas retractûs, ut si Emphyteuta vendat extraneo suum utile Dominium, consanguineus ejus proximior in gradu potest illud retrahere intra tempus ad retractum concessum.

Dividitur secundò in novam, & veterem; nova non transcendit primum Emphyteutam, proinde nulli alteri fuit prius concessâ; vetus est, quando prius alteri concessa devenit ad alium, si hic fuit comprehensus in prima investitura, seu concessione, tunc, & Emphyteusis, & Emphyteuta dicitur vetus, è contra cum antiqua Emphyteusi stat novus Emphyteuta, quando scilicet ad eum devolvitur, quin fuerit comprehensus in prima Concessione.

Dividitur tertiò in perpetuam, & temporalem, etsi enim ab origine fuerit perpetua, aliàs vix aliquis susciperet excolendum fundum sterilem cum solo Dominio utili temporali, usus tamem modernus docet dari etiam ad tempus, nempe certum, vel incertum, ut ad duas vel tres generationes; huc reducitur vitalitium, quando alicui conceditur E. g. prædium ad vitam pro annua certa quota inde solvenda, est enim quædam species Emphyteusis germanis dicta **Leib-Geding**. Perpetua est, quæ Dominium utile transfert in Emphyteutam omnesque successores hæredes: qualiter primitus celebrabatur, unde in dubio præsumitur perpetua, præsumitur enim celebrata juxta Conditionem, & Naturam suam, & ideo est hæreditaria.

Præter hæreditariam perpetuam datur hæreditaria temporalis, ut si restricta sit ad Filios hæredes; horum nomine veniunt etiam Filiæ *L. 116. ff. d. V. S.* Siquidem etiam hæ capaces sunt Emphyt. Haunold. *tract. 9. n. 557.* ex cõmuni contra cõmunem dicens non obstare, quod emphyteusis sit juris stricti, ut Superius dictum, ex benignitate autem juris Filiæ nomine Filiorum intelliguntur; non inquam obstat, quia suppositâ benignitate merito præsumitur, quod contrahentium se ei accommodaverit.

Præter Emphyteusim hæreditariam, quæ transit ad omnes successores hæredes tam extraneos, sive voluntarios, quam necessarios, & naturales datur non hæreditaria, item ex pacto, & providentia. In utriusque expositione, Doctores non loquuntur uniformiter, & ideo referam ex mente illorum, quid per alterutram intelligatur.

P. Ferd. Krimer de Feud. *n. 1746.* non hæreditariam, vocat illam, quæ habetur vel donatione, vel venditione, vel permutatione, vel præscriptione, vel nominatione, non autem ex vi hæreditatis.

Reiffenstuel de Locat *n. 131.* sic describit; non hæreditaria est, quæ ad solos liberos, & descendentes, secus ad ex-

traneos hæredes transit, monetque ab aliquibus etiam vocari Emphyteusin *Familiæ*, item *ex pacto, & providentia* verum Krim *n. 1747.* Ephyteusim *Familiæ* convertit cum Emphyteusi *ex pacto, & providentia*, in cujus investitura, & concessione nulla fit mentio hæredum, & acquiritur pro se, & pro descendentibus.

Haunoldus verò *tr. 9. n. 553.* Emphyteusim ex pacto, & providentia appellat illam, in cujus concessione non est necesse, ut qui succedit hæres Emphyteutæ, sed sufficit esse unum ex descendentibus, etsi non sit hæres. Conceditur autem v. g. Petro, ejusque descendentibus, vel indefinite, aut ad certas generationes; Molin. & Pal apud eundem hanc speciem non distinguunt à temporali dicentes omnem illam esse ex pacto, & providentia, in qua nulla fit mentio hæredum, adeoque, quæ non est hæreditaria. At aliqui strictius accipiunt, cum quædam ut superius est dictum, detur temporalis hæreditaria.

Si contractus hic celebratus sit pro masculis successoribus, venit etiam nepos ex filia, licet id fallat in majoratu, disparitas est, quod nepos ex filia sit verè masculus, majoratus autem constituitur solum pro jis, qui sunt ex familia capitis. Haunold. *n. 558.*

Si Emphyteuta Hæreditarius profitetur Religionem capacem successionis, Religionem succedere cum onere vendendi saltem defuncto professo constat *ex n. 41.* & patebit amplius *n. 160.*

Si Emphyteusis Ecclesiastica est hæreditaria, nomine hæredum & successorum ex communi Doctorum, & more recepto veniunt soli descendentes, secùs extranei, at in laica etiam hi, disparitas est, quod Ecclesiastica ex vi concessionis saltem de novo concessa non soleat perpetuari. Verum in hoc, uti bene monet Laym. servanda est consuetudo.

Ecclesiastica hæreditaria non potest transmitti ad illegitimos etiam naturales, ita communis cum Sul. Cler. §. *Emphyteusis q. 30.* quia inquit Molin. *Disput. 475. vers. quod verò &c.* Ecclesia omnes illegitimos utpote actu peccaminoso conceptos habet exosos, oppositum tradit *vers. utrum vero &c.* de legitimatis per subsequens Matrimonium, hoc enim secundum utrumque jus inductas inhabilitates omnes abolet: hoc tamen Privilegium respectu Emphyteusis Ecclesiasticæ non extenditur ad legitimatos Rescripto Principis, quia legitimatio Principis tollere non potest, quin tales sint verè concepti ex peccato parentum: ob quam causam repelluntur ab Emphyteusi Ecclesiastica, Cit. Molin. *vers. legitimatus rescripto &c.* & quidem etsi Emphyteusis Ecclesiastica esset concessa cum clausula, ut possit transire ad Successores etiam extraneos, unde revocat hoc loco Doctrinam oppositam huic puncto ultimo quam tradiderat prius *Disput. 173. versu legitimatus Rescripto sæcularis &c.*

Quæritur tertiò an Scriptura sit de Substantia Emphyteusis? *R.* De Ecclesiastica affirmari ab omnibus ex *Novella 7.* §. *1. & 2.* De laica plures Juristæ negant. Verum Theologi communiter cum innumeris Legistis affirmant id eruentibus ex legibus tribus de jure emphyteutico; dicitur enim in prima, *Pactionibus Scripturâ interveniente habitis*: ubi observant Juristæ duos ablativos absolutè positos inducere naturam conditionis requisitæ, ac si diceretur; *si Scriptura intervenerit.* Argumenta contra affertum solvit Haun. *tract. 9. à n. 486.* quem si placet, Consule.

§. II.

## §. II.

## *Quæ sit differentia contractûs Emphyteutici à censitico, & an hic usurarius.*

154. ANtequam Respondeatur ad quæstionem §. explicanda est primò significatio vocis census, deinde quid & quotuplex sit census.

Census sumitur primò pro æstimatione patrimonij facta ex fine annum tributum exigendi, de hoc est Titulus 15. libri 50. Digestorum, ejus discussio est juris publici. Secundò pro tributo solvendo in recognitionem subjectionis vel alterius jurisdictionis.

Hic sumitur pro jure percipiendi annuam pensionem ex re, vel persona alterius. Habens tale jus dicitur *Censualista*, vel *creditor*, pensionem solvens vocatur *Censuarius*, aut *debitor*.

Census alius est realis, alius personalis. Realis est, cum res aliqua immediate obligatur ad certam pensionem, ut si quis rem suam nempe fundum in alterum transferat cum pleno Dominio reservata sibi annua pensione ex eodem fundo, dicitur census reservativus, idque fieri potest vel sine interventu emptionis, quo casu inquit Haunold. *tract. 10. n. 291.* est contractus innominatus, *do ut des*, vel cum venditione, ut si rem tuam vendas reservando tibi aliquam ex ea pensionem, vel donatione facta pari reservatione, aut si titulo transactionis ad litem dirimendam des fundum, sed vicissim certus census annuatim persolvatur.

Si autem nullum Dominium etiam utile rei tuæ in alterum transfers, constituis tamen, seu designas alteri jus ex re tua annuos redditus percipiendi, eosque vel certos, nempe indeterminata pecuniæ summa, aut certa fructuum mensura; vel incertos, ut cum indeterminata E. g. tertia, aut quinta pars fructuum persolvenda constituitur, cujusmodi census vocatur consignativus realis, solétque tale jus frequentius emi pecuniâ, éstque spenes emptionis, quando v. g. mille florenis emo jus percipiendi annuatim ex tuo fundo decem mensuras frumenti: unde comitatur rem ad quemcúmque possessorem perveniat, donec redimatur census si sit redimibilis.

Præter consignativum realem datur census personalis seu designatus super certa persona obligante se ad annuam pensionem sine ordine ad ullam rem, ex qua pensio persolvatur.

Censum realem tam reservativum, quam consignativum non esse usurarium, sed licitum est recepta sententia inter Theologos, & Juristas communiter contra Henricum *quodlib. 8. q. 23. &c.* apud Lugo *Disput. 27. n. 13.* ac in plurium

Pontificum Bullis radicata ; quam etiam *n. 20.* amplectitur ex ratione singulari ab eo adinventa, sed difficili ut ostendit Haunold. *num. 301.*

Communis, ac solidior ratio approbata ab Haunold. *n. 302.* est ista, quod in hoc contractu ematur jus percipiendi fructus, aut pecuniam ex re frugifera, quod jus relatè ad tempus indefinitum, etsi se extendat ad fructus, qui tandem longe superarent, simul existentes, pretium, quo fundus emptus est, quia tamen simul non existunt, sed successivè sperandi sunt, fit, ut hæc spes pluribus affectu periculis (puta amissionis censûs re pereunte, aut redditâ infructuosâ, &c. ac incommodis, in æstimatione plus non valeat, quam tale pretium. Res ergo, quæ emitur in censu reali non est fructus collectivè, seu cumulus omnium fructuum percipiendorum, sed jus reale, quod non æstimatur tanti, quanti æstimarentur fructus simul existentes.

Econtra, cum in censu personali (ita arguit Haunold. *n. 306.*) nullum jus reale ematur, ut liquet ex ejus proximè allata expositione, ideo ut veriorem sequitur opinionem Molin. *de just. D. 387. n. 4.* Lugo *n. 25.* contra Pal. Dicastil. *de just. lib. 2. tract. 11. Disp. unic. à n. 43.* cum aliis multis ejusmodi emptionem census personalis esse usurariam, nempe si emitur ad certum tempus, intra quod pensionum cumulus superaret pretium E. g. si emerem centum florenis jus percipiendi quotannis quinque florenos per annos 30. sic enim intra 30. annos acciperem loco centum 150. hoc autem esse usuarium probatur quod emere florenis centum jus ad pensiones 30. annorum sit formalissimè idem, ac emere ipsas pensiones successive solvendas per modum unius cumuli consideratas (cum nullum jus reale, uti in censu reali distinctum à pensionibus ematur) sicut emere jus ad equum est formalissimè idem, ac emere ipsum equum secundum omnes, sed centum florenis emere pensiones valentes 150. est usura, dum abest omnis alius titulus, ut fatentur universi, cum sic pro sola temporis mora debitor deberet aliquid solvere.

Dicit hæc sententia tempus certum, quia emptio census personalis ad incertum tempus, intra quod emptori potest æque afferri damnum, ac lucrum cum sit fortunæ expositæ, sicut ludus, cum tali periculo potest certo pretio taxari : nec obstat, quod talis contractus possit esse occasio insidiandi alterius vitæ, exinde enim non sequitur jure naturæ esse nullum, cum non sit proximum periculum.

Verum cum non appareat solida disparitas inter emptionem census realis ab emptione censns personalis, cum etiam in hujus emptione ematur jus ad rem annuatim percipiendi aliud ex lucris, quæ censuarius suâ industriâ acquirit, proinde eadem ratio justificans emptionem censûs realis justificat emptionem censûs personalis, licet ematur pretio minore, quam sint pensiones futuro tempore solvendæ, cum non hæ, sed jus ad eas ematur, econtra dum equus emitur, res empta non est quid distinctum ab equo : spectato igitur jure naturali sententia affirmativa etiam ad tempus incertum est valde probabilis, *naturali inquam*, quia de jure positivo post Bullam Pij V. in locis ubi hæc est recepta nullus census valet nisi constitutus in re immobili frugifera.

Dices generatim contra omnes census, quod in eorum venditione, & emptione

ptione interveniat mutuum virtuale, seu quasi mutuum, in re enim perinde est emere pro centum florenis annuum censum 5. florenorum, ac mutuos dare centum sub lucro 5. quotannis recipiendorum, utrobique enim manet Salva sors, seu capitalis summa, in quo est palliata usura. *Resp.* Negando assumptum cum sua probatione, est enim dispar ratio inter censum, & mutuum, quia in censu emitur jus ad fructus ex re, vel persona, secus in mutuo, sed fit gratis, censuarius vi contractus (secluso pacto redimendi ad arbitrium emptoris prohibito à Pio V. nisi censuarius sponte velit redimere) non tenetur reddere sortem, secus mutuatarius. Ex his constat negativa responsio ad quæst. secundam §.

155. *Resp.* Nunc ad quæstionem 1. §. multipliciter Emphyteusim differre à censu. Primò quod Dominium tam directum, quam utile sit penes censuarium non penes censualistam, cui debetur pensio, econtra in Emphytheusi Dominium directum est penes illum, cui debetur pensio, seu quod idem est, Emphyteuta solvit nobis canonem ex re adhuc nostra, censitus verò solvit censum ex re sua. Secundò quod Emphyteuta si biennio ex Ecclesiastica triennio autem ex sæculari Emphyteusi non solvat canonem, incidat in commissum, id est, privatur Emphyteusi, secus censuarius, hic enim remanet Dominus, loco tamen pœnæ adstringitur ad interesse tantum, seu ad solvendas restantes pensiones *Cap. 6. de Religiosis domibus.* Tertiò quod Emphyteuta Domino inscio nequeat vendere rem Emphyteuticam, censuarius autem possit rem censu affectam non requisito censualistâ. Quartò à morte Emphyteutæ vel in alienatione rei Emphyteuticæ est renovanda investitura, consequenter Dominus directus recognoscendus solutione laudemij, non sic in bonis censiticis *L. fin. cod. de jure Emphyteutico.*

Sed dic quomodo dignoscendus contractus, sitne Emphyteuticus, aut censiticus? omnium primò inspiciendas esse litteras contractûs. Secundò reliquos effectus, præstationes, quibus inter se hi contractûs juxta dicta differunt. Tertiò est attendenda loci consuetudo. Ex hoc enim est conjecturandum pro alteruro: in dubio verò quod est minimum, sequimur, proinde interpretamur fuisse censiticum, quia sic res facilius ad naturam suam revertitur. Rectius sentit Laym. *L. 3. tract. 4. c. 22. n. 3.* censendum talem, qualis eo in loco solet frequentari. *L. semper in stipulationibus ff. de reg. jur.*

## §. III.

## §. III.

## *De laudemio Emphyteutico.*

156. QUæritur primò quid sit laudemium, & an necessarium in contractu Emphyteutico? quo titulo, & quantum præstandum? *Resp.* Ad primum id quod ante Justinianum Imperatorem in alienatione, & translatione prædij Emphyteutici pro admissione, ac subscriptione à novo Emphyteuta exigebat, & recipiebat directus Dominus, dicebatur honorarium, germanicè ein Verehrung / nunc passim vocabulo non satis latino vocamus laudemium à laudando, ex eo quod, aut directus Dominus alienationem inter veterem & novum Emphyteutam laudet, approbétque, vel quod novus Emphyteuta in laudationem, & recognitionem proprietarij laudemium solvat, dicitur enim non raro relevium præsertim in feudalibus laudemium germanicè Anleydt / Anfall / ab aliquibus nuncupatur introitus, quia solvitur pro intratura in Emphytheusim germanicè Anstand / vel Aufzug-Geld / & cum in pluribus locis tam Emphyteuta discedens, quàm novus soleant præstare honorarium, hoc datum à novo dicitur Anfall / datum verò à decessore, Abfahrt / vel Abstand / vel Abzug-Geld / vel si est mortuus Todtfall aut Sterbrecht.

*Resp.* Ad secundum laudemium ad substantiam Emphyteusis non requiri, Laym. *L. 3, tract. 4. c. 23. n. 4.* quia variis modis celebrari potest, propter quam causam ibi notat primò quod si in instrumento concessionis reperiatur vox venditio, hoc ipso non sit Emphyteusis, sed censualis contractus: Nihilominus notat secundò, quod licet instrumentum non meminerit laudemij expresse, nec implicitè (qualiter sufficienter exprimit, si rusticum obliget ad omnia onera Emphyteusis communiter imponi solita) nec à tempore immemoriali laudemium petitum sit, aut datum ex hoc, *nisi* aliæ adsint conjecturæ non concluditur esse fundum censualem, & non Emphyteuticum.

*Resp.* Tertio titulus præstandi laudemij est, quod hoc solvatur Domino directo à novo possessore honorarij loco pro subscriptione, & investitura *L. fin. Cod. h. t.* Hinc Christophorus Ehlingensperger Professor Ingolstadiensis *in Disputatione juridica de jure Emphyteutico assert. 95. n. 2.* ait moribus, ac juri repugnare, si laudemium præstetur in prima Emphyteusis concessione præter pretium. Quia juxta *cit. L.* ad solvendum laudemium non sufficit mutatio solius rei, sed requiritur etiam mutatio Emphyteutæ, seu translatio juris Emphyteutici ab uno in alterum.

*Resp.* Quartò secundùm jus commune *in cit. L. fin.* seu tertia non debet excedere partem quinquagesimam E. g. duos flore-

florenos à centum, nisi tamen aliud habeat consuetudo, ab hac enim extenditur & qualificatur diversimodè pro locorum diversitate, nam aliquando consistit in una alterave vini mensura, aut in paucis obolis, aliquando verò est pars decima, seu floreni 10. à 100. quandóque adhuc plus: alicubi est pars vigesima, seu quinta à centum, communius est pars trigesima.

Observat citatus Doctor *assert. 92. n. 5.* si laudemium difformiter sit solutum, nempe quandóque octo, quandóque decem, quandóque plus, vel minus pro centenis, non statim est consuetudo, utpote, quæ cæteris paribus etiam per unum, alterumve actum impeditur, sed recurrendum est ad jus commune & patrium, nisi Dominus probet majorem quantitatem frequentius solutam, & quibusdam remissam titulo paupertatis, aut alio ex capite. Si Dominus recurrat ad sua Urbaria, seu Grund-Bücher / non statim evincet, nisi alia producat adminicula, nempe quod sint antiqui, & Ordinariâ serie conscripti, vel ab ipsis Rusticis passim allegati, de qua re vide Mascardum *de probationibus vol. 2. concl. 975.*

Præmiserat autem allegatus Professor *assert. 25.* sequentia de Urbarijs Monasteriorum, & Nobilium, in quibus redditus, prædia, jura, servitia, & fines territorij descripti sunt in Ordine ad fidem faciendam. Primò creditur illis, quando unus subditus producit tales libros contra alterum subditum, vel etiam contra ipsum Dominum, ita Jason *in L. Admonendi 31. n. 137. ff. de jurejurando.* Secus si Monasterium, aut Nobilis alleget tales libros jurisdictionales, & censuales à se vel Majoribus conscriptos pro se, & ad probanda jura sua: regulariter enim jis non creditur *L. 7. Cod. de probationibus*, ibi: *exemplo pernitiosum esse, ut illi scripturæ credatur, qua aliquis sibi ipsi debitorem constituit: unde neque fiscum, neque alium quemlibet ex suis annotationibus debitorem probare posse.*

Secundò faciunt tamen fidem contra subditum duplici in casu; nempe si communiter habeantur pro libris authenticis, & in dubijs passim ipsi subditi ad eos recurrant: item in factis antiquis, & hominum memoriam excedentibus, de qua re Doctores *L. 5. & 7. Cod. de probationibus:* plenissimè autem Matth. Berlich. *part. 1. conclus. 36. à n. 20.* Hanc probandi rationem in judicis arbitrio pro varijs circumstantijs multum positam esse censet cit. Chlingensperger.

Cùm consuetudo plurimum qualificet quantitatem pretij, & cum alicubi etiam pars decima dari consueverit, movetur dubium, quid requiratur ad inducendam ejusmodi consuetudinem.

Videtur requiri tempus immemoriale, cum desit titulus, resistátque jus commune constituens pro laudemio partem duntaxat quinquagesimam, ut Dominorum avaritiæ, quæ laudemium introduxit, frœnum injiceret: cum titulo autem 40. annorum præscriptionem exigit Covar. *c. Possessor. §. 4. n. 5. de Reg. I. in 6.* Si verò sit universalis, ac uniformis alicujus Regionis consuetudo, sicut hæc plurimùm in eo differt à præscriptione, quod illa ex communi, & promiscuo usu jus constituat, & acquirat omnibus ejus Regionis civibus, ita ut eandem in casu præsenti de laudemio censuit

fuit Præfatus Covar. sufficere longissimum tempus.

Verum cum circa tempus ad inducendam consuetudinem multùm dissideant Doctores, quorum alijs sufficit decennium alijs poscentibus longissimum, alij non acquiescunt, nisi immemoriali. Hinc.

Christophorus Chlingensperger *Assert. 93. n. 6.* cum alijs melius, ac longe probabilius arbitrio judicis totum hoc negotium relinquit *arg. L. 1. ff. de jure delibe-rand.* nihilominus si consuetudinem prætenderet alicujus Regionis Dominus sine tempore immemoriali in judicio contradictorio non facile obtinebit, quia inquit citatus Author *n. 7.* Progmatici semper soleant tempus immemoriale articulare unfürdencklíche Jahr teste Zoës. §. *ex non scripto n. 37. Instit. de jure natur. gent.* quia ejus requisita aliter, vel nunquam, vel rarissime probari valeant.

Sed cum reliqua jura, & res maximi momenti longissimo tempore sine titulo acquirantur, indistinctè tempus 30. aut 40. annorum sufficit, ut solvatur laudemium, vel majus, vel minus ita cit. Chlingensperger *n. 8.* concludens *n. 9.* si constat de consuetudine solvendi decimam partem laudemij loco, in aliquo pago, si unus, alterve colonus prætendat immunitatem, huic incumbit onus probandi exemptionem, vicissim autem Dominus, si ex prætensa consuetudine quoedam subditos majori laudemio vellet onerare debet probare prætensam consuetudinem.

## §. IV

## *Cui Laudemium & quando solvendum?*

157. *Resp.* Si ususfructus est à proprietate separatus, uti fit in Emphyteuticis bonis adventitijs filijsfamilias (penes quem est proprietas, ususfructus verò penes parentem) solvendum est laudemium usufructuario, quia omnes fructus ex re frugifera sunt usufructuarij Patris *L. item si fundi ff. de usufruct.*

*Resp.* Secundo cum Chligensperger *assert. 96. n. 1.* solvendum jure Bavarico in omni alienatione, translatione, mutatione, cessione, pro quo allegat *L. 3. de jure Emphyteutic.* id est, quoties persona possessoris fundi Emphyteutici immutatur, quia hæc sola ratio sufficit ad ejus præstationem *per cit. L. fin.* seu tertiam item solvitur in donatione, qua donatarius loco Emphyteutæ subrogatur, & investitur, investitura autem est genuina causa laudemij. Eadem ratio id ipsum probat in transactione, quando vi hujus ab antiquo transfertur in novum possessorem, secus si vereri relinquitur *L. si profundo & L. sive apud Acta c. de transact.* Ampliatur ratio ad dotem, si ea

ea constet ex re Emphyteutica, quia est vera alienatio perpetuo mansura apud Maritum, hæc procedunt etiam de jure communi, cum dictorum probatio ex jure communi desumpta sit.

*Resp.* Tertio nunquam deberi novum laudemium, quando non celebratur novus contractus, ut fit, quando successor in Emphyteusim fuit comprehensus in prima concessione, seu investitura: unde est differentia inter laudemium ex feudo, & Emphyteusi præstandum, quod in feudo toties sit petenda investitura, & laudemium præstandum, quoties accidit mutatio, sive per mortem Domini infeudantis, sive Vasalli, aut per hujus alienationem, econtra in Emphyteusi, seu in Erbrecht, & in vitalitio seu in Leibgeding solvitur duntaxat dum mutatur possessor, seu Emphyteuta, secus ex morte Domini directi, ita Præfatus Doctor *assert. 94 n. 3.* unde si Emphyteuta Emphyteusim alteri elocat citra translationem ususfructus seu Dominij utilis, sed in conductorem transfert duntaxat dicti ususfructûs commoditatem, non præstatur laudemium, si enim transferret ipsum usumfructum, jam censeretur alienatio seu translatio juris Emphyteutici consequenter obligatio præstandi laudemium.

## §. V.

## *De differentia Emphyteusis ab elocatione, & Reliqua de Laudemio.*

EXpositio legatur infra *à n. 421.*

## §. VI.

## *De canone, expensis, & melioramentis rei Emphyteuticæ.*

158 QUæres primò an, & quanta pensio, seu canon & quando sit solvendus ab Emphyteuta? *Resp.* Primò esse aliquam solvendam constat ex definitione Emphyteusis *n. 153.* quantitatem ejus taxat arbitrium contrahentium attentâ proportione fructuum (perandorum (qui non radicantur in melioramentis Emphyteutæ, quia hæc cedunt in ejusdem commodum, & canon non respicit compensationem fructuum, sed potissimum recognitionem Dominij, ut tradit Surdus cum alijs) his tamen sit semper minor canon, aliàs qui acciperet in Emphyteusim? unde inquit Tamburin. ut plurimum esse minorem, quam sit pretium præ-

præsentis utilitatis in hoc contractu venditæ unde non assentior Amic. *de jure Disput. 25. n. 13.* ubi ex communiore assignat illam, quæ expensis obligationibus Emphyteutæ æquivalet valori Dominij utilis. Deinde non sola utilitas in genere est considerandæ, sed hujus rei specialis datæ in Emphyteusim, major enim canon potest peti pro perpetua, quam pro temporali utilitate in vinea v. g. recenter plantata quam in vetere, in loco facilioris fructuum distractionis, & cum minoribus expensis quam alibi.

*Resp.* Secundò à jure nullum tempus statutum est, proinde facienda est pensio secundum consuetudinem locorum, nisi aliter inter contrahentes sit conventum.

159. Quæritur secundò quas expensas debeat facere Emphyteuta in rem Emphyteuticam? & cujus sint melioramenta? *Resp.* Primò obligari ad expensas necessarias pro colligendis fructibus, conservatione rerum, & ad ea omnia quibus neglectis fundus deterioraretur, de quibus vide *num 153.*

*Resp.* Secundò si ultra contractûs obligationem melioraverit, potest eorum pretium repetere à Domino, nisi ex causa resolvatur Emphyteusis: tunc enim amissio meliorationum ultra debitum nempe Ordinariarum, & non magnarum est pœna commissi, est communis cum Molin. *Disput. 455.* Haunold. *tract. 9. n. 564. ex Novell. 220. c. 8.* Ubi dum data esset potestas expellendi adjicitur, *qui* (nempe Emphyteuta expulsus) *neque meliorationum nomine contra venerabiles domos actionem aliquam movere posset.* Sermo est hic de Emphyteusi Ecclesiastica, sed extenditur una pœna sicut altera, nempe tam amissio meliorationum seu Emponematum, quam Emphyteusis ad omnes, unde secundum hanc *Novell.* intelliguntur verba *legis secundæ de jure Emphyteutico*, quæ dicunt meliorationes non posse opponi, id est, ratione meliorationum non dari actionem, detur verò quando Emphyteuta non incidit in commissum.

Quod si autem meliorationes sint extraordinariæ ac insuetæ, & ædium, aut molendini extructio, an amittantur etiam amissa culpabiliter Emphyteusi?

Respondet Valasquez Molinæus apud cit. Molinam non improbantem, negativè, debent ergo à proprietario restitui meliorationes non modicæ remanentes Domino cum hujus utilitate (superfluas, ac inutiles deobligatur refundere, aliàs deberet emere rem inutilem Tambur. *Lib. 9. de contr. tract. 6. c. 4. num. 11.* Laym) earum autem valor inquit Haunold. *num. 596.* ex communi cum Molin. *Disput. 563. n. 11.* desumi debet ab æstimatione qua æstimantur valere tempore restitutionis.

Donec fiat expensarum refusio, potest retinere Emphyteusim, nec debet deducere ab expensis, seu melioramentis fructus ex re restituenda perceptos utpote ad eum titulo Dominij utilis pertinentes, quod etiam procedit de fructibus perceptis à tempore restitutionis faciendæ, si percipiuntur ex melioramentis ad ipsum spectantibus, percepti autem ex re Emphyteutica spectant ad Dominum: utrumque Haunold. *n. 571.* Colligit *ex L. fin. §. fin. ff. de fundo dotali.*

§. VII.

## §. VII.

## *De Emphyteutæ Oneribus, & præstandis Domino operis vulgò Robothis.*

160. QUæres primò ad quæ onera teneatur Emphyteuta nempe an ad steuras, Contributiones? *Resp.* affirmativè, quia onera sunt propter commoda, proinde cum Emphyteuta lucretur omnia emolumenta, spectato jure communi, tenetur præstare steuras, & contributiones, videlicet ut notat Amicus de jure *Disput. 25. n. 68.* solùm pro æstimatione juris utilis deductâ annuâ pensione, pro qua solus Dominus directus debet tributum pendere. Dixi *de jure communi*, nam in Austria est consuetum ut directus Dominus dicta onera præstet, ea tamen ab Emphyteutis repetit teste Walthero *de jure Austr. lib. 4. tit. 13.* Quod si Dominus directus plus ab Emphyteutis accipit, quam ipse solverit, tenetur ijsdem restituere, uti quidam in contingentia facti condemnatus fuit per Sententiam apud Finsterwalder *in pract. observat. lib 2. observat 40. n. 7.*

Amplia Responsum ad Emphyteusim Ecclesiasticam datam laico, nam ad hunc ut talem spectat Dominium utile, subestque quâ laicus juri civili Molin. *Disput. 442.* Less. Laym. contra Bartholum, Fachinæum.

Quæres secundò an ad aggeres in ripis fluminum, quibus fundus Emphyteuticus adjacet, obligetur Emphyteuta.

*Resp.* Si ob fluminis rapacitatem imponeretur à Magistratu ut aggeres ad resistendum rapacitati erigantur à Dominis fundorum adjacentium flumini non solùm Emphyteutam, sed etiam Dominos pro rata arbitrio prudentis debere concurrere ad expensas, resolvit Molina *Disput. 456.* Haunold. *tract. 9. n. 493.* cum enim hoc præceptum sit insolitum, ejus materia non censetur comprehensa, etsi expresse se obligâsset ad onera & tributa, unde cum erectio ejusmodi aggerum sit utilis tam Domino quam Emphyteutæ, & quidem eo amplius, quo diutius per se, & successores possidebit fundum (quo prudentis arbitrium debet se reflectere in taxanda Emphyteutæ rata) uterque debet concurrere.

161. Quæres tertiò an Emphyteuta adhuc teneatur solvere Canonem, si fundus Emphyteuticus non fructificet ob anni sterilitatem, casus fortuitos, aut si pereat prædium incendio, aquarum effusa rapacitate, tumultu hostili aut bellico?

*Resp.* Primò si res Emphyteutica tota prorsus pereat culpâ Emphyteutæ hic tenetur reparare, & totum interesse Domino solvere, econtra perit Domino, si sine culpa Emphyteutæ *per L. 1. Cod. de jure Emphyteutico.*

Hinc plures cum Jasone *in L. 1. n. 44. Cod. eod.* concluserunt Emphyteutam fortuito incendio depascente Domum non liberari

berari à Canone, eo quod remaneat area, quæ est pars magna rei Emphyteuticæ. Sed contra est, quod Domus supponatur Emphyteutica, quæ nec partialiter remanet remanente aréâ, Emphyteusis autem supponitur constituta sub prædicato Domûs, unde etiam si vinea sub forma vineæ data fuit in Emphyteusim ea ex integro destructa casualiter cessat Emphyteusis, secûs si Emphyteusis fuit constituta in solo, seu gleba, quæ ab Emphyteuta fuit conversa in formam vineæ &c. Reiffenstuel *de Locato n. 154.*

Si totus fundus non perit, quanta pars debeat remanere ne censeatur Emphyteusis dissoluta? Legistæ valde discordant, aliqui requirunt partem majorem dimidiâ; Haunoldus *n. 567.* negat dissolvi, licet pars longe minor remaneat, quando pensio ut fieri solet, est notabiliter minor & fructus pro annorum varietate sunt inæquales, tunc enim, nisi aliter expresse pacti sint, Emphyteuta casum sibi adscribat, per commune jus *citatâ L. 1 siquidem tanta emerserit clades* ut ibi dicitur Reiffenst. *n. 195.*

*Resp.* Secundò seclusis pactis secundum jus Emphyteuticum *L. 1. Cod. de jure Emphyt.* canon solvendus est, etsi nulli fructus ob sterilitatem, cæterosque fortuitos casus percipiantur & quidem secundum Zoës *in ff. ad tit. Locati conducti n. 74* etsi canon sit magnus ita ut nec à parte liberetur. At Gailli *lib. 2. observat. 23. n. 23.* limitat fieri debere remissionem Canonis, quando Emphyteuta ob bellicos motus, aut inundationem nihil fructuum percipere potuit, fundus enim tunc pro penitus extincto habetur Fachin. *lib. 1. Contr. c. 90.* ex communi legistarum post Abbat. *in c. potuit de locat.* de quo fuse Jason *in Cit. L. 1. c. de jure Emphyt.*

Dixi *secundum jus Emphyteuticum*, nam Haunold. *tract. 9. n. 568.* testatur quod consuetudo ob Summam æquitatem, & attentâ quantitate solvendæ pensionis aliud obtineat. Consentit Reiffenstuell *de locato n. 155. & seq.* in priore obligat, quando annuus Canon est modicus, nempe solvendus præcise in recognitionem Dominij directi, in posteriore negat esse solvendum integrum, dum Canon est magnus, tunc taxatur non tantum à titulo Dominij directi, sed causa ejus sunt fructus, ergo dum hi sunt nulli, aut modici non est integer solvendus.

Ex hac doctrina concludit Reiffenstuell *n. 160.* regulariter Dominos directos teneri Emphyteutis pro rata remittere Canonem, si nulli, aut modici colligantur fructus ob sterilitatem incursionum hostilem, aut alios casus fortuitos, quia nunc canon regulariter est magnus, atquè adeo constitutus etiam intuitu fructúum, seu in horum compensationem.

162. Quæres quartò an Emphyteuta inter alia onera debeat Domino præstare operas vulgo Robothare. *Resp.* affirmativè ex recepta totius Germaniæ consuetudine, nisi pacta inter Dominum, & subditum inita ante omnia observanda aliud edoceant. In defectu specialis pacti inspicienda est observatio vicinorum locorum.

Cum autem ejusmodi operarum exactiones sint odiosæ & libertati naturali contrariæ, nequaquam sunt extendendæ, sed potius restringendæ modis omnibus. Hinc in dubio contra exigentem sunt interpretandæ, unde docet Gaillius *de Arrestis Cap. 10. n. 7.* Dominos ultra anti-

qui-

quitus consuetum gravantes suos subditos peccare, jurisdictioneque, ac Dominicâ potestate abuti, talesque per Provinciæ Præsidem, aut Cæsarem mandatis pœnalibus cogendos ad desistendum à novitatibus, unde etiam non possunt cogere ad operas inusitatas, seu inconsuetas.

Quoties autem à subditis ejusmodi operæ, seu servitia sint præstanda, videri potest de his Benedictus Finsterwalder *in Pract. observat. lib. 2. observat 57.* ubi distinguit eas indeterminatas, seu certas, id est, ad certum tempus limitatas, ut arare, metere, falcare &c. & in indeterminatas, seu illimitatas, ac incertas, id est, nullo tempore circumscriptas, sed ab arbitrio Domini pendentes, & toties præstari debent, quoties exiguntur, quod non ita intelligendum, quasi à solo Dominorum libitu pendeant cum indifferentia exigendi, quoties ita Dominis placeret sed dicuntur indeterminatæ exusu, & subsecuta observantia. Quare sub prætextu serviriorum indeterminatorum non possunt licitè Domini Subditos modo insolito, & inhumano onerare, sed ita debent restringere, ut superstit ijs tempus excolendi propria, proinde operæ indefinitæ exigendæ sunt secundum formam veterem, neque cogere possunt ad operas inusitatas. Unde multi Legistæ apud eundem *observat, 59.* negant posse subditos cogi à Domino ad arcis suæ custodiam, quia nullibi reperitur hujus consuetudo: oppositum dic, ubi mos est legitime introductus, aut pactum intervenit.

An autem teneantur propriis sumptibus præstare operas, aut a Domino victus dandus ante omnia est pactum servandum, deinde consuetudo loci, aut Provinciæ, ubi est situm Rusticum prædium est attendenda, Gaill. *de Arrestis c. 10. n. 6.* Seclusâ consuetudine propriis expensis esse præstandas, colligitur ex jure Communi, quia Emphyteuta ex prædio Emphyteutico commodum recipit, consequenter in hujus compensationem onus suis sumptibus sentire debet, ita plures Jurisconsulti apud Finsterwalder *observat. 56.*

Quæres quintò an Dominus loco Robothæ, seu operarum possit à colonis exigere pecuniæ præstationem, aut econtra. *Resp.* Certi juris est paciscí posse Dominum, & subditum de certa Summa danda loco operarum in perpetuum, aut ad tempus, & tunc non licet Domino operas exigere loco pecuniæ, nec subdito operas Domino obtrudere loco pecuniæ.

Etiam certum est, quod si in favorem Domini loco operarum certa pecunia à subditis promissa in ejus stare arbitrio, alterutrum ab ijs exigere. Si autem promissio facta est alternativa operarum, vel pecuniæ, electio est penes subditos, quia in alternativis electio est debitoris *L. plerúmque 10. §. fin. ff. de jure dot.*

Si nullum existat pactum, tunc non licet Domino secundum jus Commune loco operarum pecuniam exigere invito colono, nisi urgeat necessitas, & viri boni æstimatio interveniat, hoc est, æqualitas servetur non exigendo plus, quam valeat servitium; necessitas talis foret, si Dominus longe remote habitet, ut servitijs uti non possit, vel jisdem jam antea abundat *L. patronus 25. §. 1. ff. de oper. liberatorum* apud Cit. Finsterwalder *obser. 55.* ubi *n. 6.* testatur de consuetudine Austriæ esse in arbitrio Domini, an velit exigere operas, vel pecuniam vulgò Robothgeldt.

§ VIII.

## §. VIII.

## *De rei Emphyteuticæ alienatione per venditionem.*

163. Quæres primo an Dominus irrequisito Emphyteuta possit alienare rem Emphyteuticam, aut econtra. *Resp.* Affirmativè ad primum cum communi ex Jason. in *L. fin. c. de jure Emphyt.* negativè verò ad 2. (nisi pactum, aut loci consuetudo aliud ferat) *ex Cit. L.* quia nihil interest Emphyteutæ, quod alium habeat Dominum, habeat, cui Canonem solvat, at verò Domini interest, qualem habeat Emphyteutam diligentem, vel desidem, & ut præmere possit jure protimiteos seu retractûs, hoc est, ex Privilegio prælationis, ut illi præ alio parato pretium solvere vendi debent: factâ Domini oblatione, si intra duos Menses nihil resolvat, Emphyteuta potest impunè alteri vendere, etsi Dominus expressè non dicat se nolle emere *Cit. L. fin. & c. fin. de Locat.*

Duæ potissimùm Conditiones sunt necessariæ, ut res Emphyteutica ritè cum suis melioramentis sit venalis. Prima ut directo Domino notificetur, quod res tanto pretio sit venalis, quam si eo pretio emere voluerit, cæteris est præferendus, *Cit. L fin.* Secunda ut fiat venditio personis, quæ ab hujusmodi emptione minimè prohibentur *Cit. c. fin.* prohibentur autem apud Molin. *Disput. 459. n. 4.* personæ, quæ sunt aut difficilis conventionis ad habendam annuam pensionem, aut laudemium ut potentes (quo revocantur pauperes, aut luridi œconomi) aut si personæ privilegiatæ, ex hac causa vendi nequit sine expresso Domini consensu mulieri, quia ob debitum nequit incarcerari; aut si Conditio Domini ex tali venditione fieret deterior, prout fieret venditione factâ causis pijs privilegiatis, ut Monasterio (hac de causa *n. 41.* dictum est Emphyteusim devolutam ad Monasterium per Professum intra annum vendi debere, aut intra certum annorum lapsum laudemium renovari) aut Ecclesiæ, causæ enim piæ non moriuntur, atque adeo ab eis laudemium rarius haberi potest, quia raro, aut nunquam bona alienant. Ob eandem causam nequit fieri alienatio in communitatem utpote non morituram.

Limita nisi Emphyteuta volens vendere sit æquè potens, vel pauper, aut Ecclesia Cit. Molin. quia tunc non deterioratur conditio Domini, cum acquirat Colonum similem priori. Cum data ad quæsitum resolutione stat, quod Emphyteuta non requisito Domino valeat Emphyteuticum bonum verum exponere cum licitatoribus de pretio tractare, quanto illis vendere sit paratus consentiente Domino *Cit. L. fin.* supponente idipsum, cum debeat Domino indicare, quantum ab alijs pretium habere possit.

Si plures pro indiviso sint Emphyteutæ, non prohibetur unus alteri jus

suum

ſuum vendere inſcio Domino, quia hic nihil præjudicatur Domino, cum omnes admiſerit ad Emphyteuſim & canonem totum accipiat ab uno, nec tunc cenſentur eſſe plures Emphyteutæ formaliter, ſed materialiter, forent autem plures formaliter, ſi pro diviſo poſſiderent: unde ſicut aliquo ex ijs non ſolvente canonem caderet is in Commiſſum, ita uno vendente Domino non requiſito ſequitur caducitas.

Emphyteuta non prohibetur Domino irrequiſito fundum Emphyteuticum oppignorare, dummodo nil præjudicetur Domino *L. 16. §. 2. ff. de pignorat. actione* ibi, *etiam vectigale prædium pignori dari poteſt*, unde cum etiam ſervitus ſoli Emphyteutæ præjudicet, poteſt ab hoc inſcio Domino imponi ad tempus durantis Emphyteuſis, Haunold. *tract. 9. n. 546.* inferens poſſe etiam ad longum tempus elocare pro penſione commoditatem inde percipiendam nomine Emphyteutæ, ſecûs ſecundum veriorem Sententiam ſubemphyteuticare, hoc eſt, alteri dare in Emphyteuſim: Sic enim alienaret, Dominiumque utile in alium transferret, ita Zoëſ. *in Digeſtis ad titulum locati conducti n. 104.* contra Jaſonem.

## §. IX.

## *De alijs rem Emphyteuticam in alium transferendi modis.*

DE his legenda ſunt, quæ pertracto *à n. 423.*

## §. X.

### *De caducitate rei Emphyteuticæ ob Canonem non ſolutum.*

164. QUæres an & quando canone non ſoluto, aut aliàs Emphyteuta cadat in Commiſſum, & quando ceſſet pœna commiſſi, ſeu caducitatis id eſt, rei Emphyteuticæ Dominium utile in pœnam amittitur, & conſolidatur cum Dominio proprietatis Domini directi. *Reſp.* Primò culpabiliter non ſolventem Canonem biennio in Ephyteuſi Eccleſiaſtica, triennio verò in ſæculari cadere in Commiſſum in conſcientia, & quidem probabilus ante judicis Sententiam non tamen ante Domini exactionem. Pars prima eſt certa, ſecunda verior de jure: utraque colligitur *ex L. 2. Cod. de jure Emphyteut.* in qua verbum *cadat* non ad Judicem, ſed ad Emphyteutam dirigitur. Tertia pars innuitur verbis illis, *ſi Dominus voluerit repellere.* Ratio eſt, quod amiſſio Emphyteuſis ſit pœna valde acerba, unde foret nimis inhumana, ſi ante exactionem deberet eam in ſe exequi.

Dixi *culpabiliter* nam gravitas pœnæ præsupponit culpam Theologicam gravem, unde eam non incurrit, dum ob paupertatem, aut anni sterilitatem, aut hostilitates, aliosve casus non solvit, Haunold. *tract 9 n. 512.*

Idem Author. *n. 505.* cum Fachin. Pal. contra multos scribit, quod fructus ex re Emphyteutica perceptos, dum directus Dominus post moram non ut sit restitutionem Emphyteuticæ rei, non teneatur restituere, quia quamdiu non urgetur restitutio Emphyteuticæ rei, Emphyteuta manet Dominus utilis, uti colligitur *ex L. 2. Cod. de jure Emphyteut.* dicente Emphyteutam ob canonem non solutum cadere jure suo, *si Dominus velit*, ergo continuatur Dominium utile, manetque suspensum, quamdiu conditio non purificatur, res autem fructificat Domino suo, proinde Emphyteutæ, unde negatur Adversarijs, quod post Commissam moram fiat possessor malæ fidei, possidet enim rem adhuc suam.

Non est paritas à supplemento legitimæ, & legatis, quæ ut debeantur, & legatarijs etiam requirunt hanc Conditionem, si voluerint, & tamen Dominium retrotrahitur, nempe ad tempus aditæ hæreditatis, ergo etiam, inquiunt Adversarij, in casu nostro conditio retrotrahetur, cum natura conditionis sit retrotrahi *L. si filiusfam. ff. de V. O.* ergo Dominium fructuum, si Dominus postea voluerit, retrotrahetur, & revocabitur à tempore moræ ad directum Dominum. Non inquam est paritas, quia juris fictione fit antecedens, quasi jam valuisset tempore mortis, neque agitur de pœna, consequenter absque tertij præjudicio lex supplet voluntatem filij, & legatarij dum disponit, ut retrotrahatur: In nostro Casu res aliter se habet, quia lex expresse requirit hanc Conditionem voluntatis Domini. Allegata *Lex si filiusfam.* procedit de conditionibus casualibus, secùs de potestativis, & pendentibus à voluntate potente continuare, vel obrumpere. Deinde dici potest cum Fachin. Legem illam procedere ex fictione juris, cui in pœnalibus non est locus.

*Resp.* Secundò cadere in Commissum si Domino irrequisito alienet, quando consensus est requirendus *per n. 163.* & constat ex *L. 3. Cod. de jure Emphyt.* quia autem nondum intelligitur alienata sine reali traditione, hinc etsi vendiderit, ante tamen traditionem ejus non incidit in commissum secundum communem Sententiam, uti nec si venditio sit facta sub Conditione approbationis Domini.

*Resp.* Tertiò cum de natura Contractûs Emphyteutici sit melioratio, certum est, quod habens Emphyteusim Ecclesiasticam ob hujus deteriorationem incidat in Commissum *Novell. 120. Cap 1. Auth. qui Cod. de sacrosan. Eccl.* qui textus licet loquatur singulariter de Ecclesiastica, communiter tamen ob rationis paritatem contra Jasonem & Imolam extenditur ad sæcularem ex fine Emphyteuseos, ut autem ex hoc capite incurrat commissum, seu Emphyteusim amittat, tria communiter copulativè requirunt Doctores. Primò ut deterioratio sit notabilis, secundò, ut hæc concernat rei proprietatem, proinde spectet ad perpetuam rei deteriorationem (ut si vinea non putata facilè exsiccaretur Haunold. *n. 495.*) secùs si ex incultura sequitur præcisè notabilis fructuum imminutio. Tertiò quod deterio-

terioratio facta sit dolo, culpâve latâ, aut saltem levi, secus leviſſima, quia Emphyteusis utriusque commodum respicit, idcirco de leviſſima non tenetur Emphyteuta *L. 23. ff. de R. I.* Sed quid si pars duntaxat sit deteriorata, hæcne sola, aut tota res incidit in commissum? Hoc secundum affirmant Aurelius, Corbulus & Gyphanius *in L. 3. c. de jure Emphyt. q. 2.* Negant alij, sed melius distinguit communis cum cit. Haunold. affirmante quando pars notabilis culpabiliter deterioratur in substantia, nempe ut sine ea difficulter annuus canon præstari queat, secus si pars minus principalis, tunc enim ea solum cadit in commissum, verum attendenda est consuetudo, & jus patrium si adsit.

*Resp.* Quartò Emphyteutam liberari à pœna commissi. Primò in Emphyteusi Ecclesiastica celeris moræ purgatione per satisfactionem *Cap. potuit, de locat* (hæc moderatio compensat annum tertium in sæculari Emphyteusi requisitum) ut si post biennium elapsum intra decem dies solvat, Laym. *L. 3. tract. 4. c. 23. n. 8.* aut intra mensem pro circumstantia loci, & personarum, secus postea, ita Aurelius Corbulus *de jure Emphyt. c. 15. Limitat. 41. à n. 1.*

Econtra in civili secundum veriorem sententiam non admittitur purgatio moræ, quia lex potius oppositum statuit, dum caducitatem alliget voluntati Domini, quâ positâ lex ipsa inducit caducitatem, quin eam ullo verbulo suspendat: & ideo etiam de jure civili servandum est, quod mora in Emphyteusi Ecclesiastica purgari possit, cum oppositum ab hoc non sit decisum.

Secundò Emphyteuta est liber à pœna commissi, si sine culpa Theologica canon vel sit solutus, per responsum 1.

Tertiò etiam non incurrit, etiamsi canon totus non sit solutus, dummodo maxima pars solvatur, sive simul, sive per plures partiales solutiones, incurreret autem si pars notabilis v. g. pars tertia non sit soluta, quia moraliter tunc non verificatur solutio canonis, Haunold. *num. 513.* Si intra triennium in laica, & biennium in Ecclesiastica quotannis solvit, ut coacervatum æquet canonem unius anni, non potest privari Emphyteusi, ita Chlingensperger *assert. 69. n. 5.* imo nec si quid modicum defuit ad æquationem, idem alij ibid. ad hanc pœnam requirunt integros annos tres in residuo non soluto vi *text. L. 2. tr 8.* re poscentis ut per triennium canon sit solutus.

Quartò censetur caducitas remissa, quando Dominus dissimulavit ommissam solutionem canonis, nec intimavit voluntatem revocandi Emphyteusim, & licet Molin. *Disput. 453. num 21.* affirmet, quod Dominus ab hæredibus morosi Emphyteutæ possit in pœnam caducitatis defuncto non intentatæ revocare Emphyteusim, probabilius tamen negatur, quando potuit revocare à defuncto, quia pœna suos debet tenere Authores; si autem non potuit, assentior Haunoldo *n. 515.* cum Molina, quia extensio ad hæredes in prima concessione est conditionata, si canonem Emphyteuta solverit, aut insolutum Dominus remiserit.

Quintò in Emphyteusi Ecclesiastica si post biennium canonis insoluti Dominus accipiat canonem, an acceptatione canonis censeatur remisisse pœnam caducitatis

citatis aut non, sic distinguendum est, recipiendo canonem pro annis præteritis non remittit caducitatem; quia canone insoluto Emphyteuta potest expelli, câ lege, ut solvat canonem de præterito *per Auth. qui rem. de sacros Eccles.* ergo de jure subest tacita protestatio canonem recipi salvo jure proprietatis, recipiendo verò canonem pro tempore futuro, seu nondum sibi debitum Prælatus Ecclesiæ collegiatæ non censetur caducitatem remisisse, quia sine consensu capituli nulla est remissio, Prælatus verò Ecclesiæ non collegiatæ cum remittere possit, censetur talis canonis acceptatione remisisse non minus, quam Emphyteusi laica præsumitur tunc remissio, quia acceptans canonem nondum debitum solventem agnoscit pro Emphyteuta, & restaurat jus ob hoc amissum, id est, quod velit in eo continuare Emphyteusim, aliàs non posset accipere canonem nondum debitum. Quare Domino competit triplex via. Primò exigere canonem cum remissione pœnæ. Secundò canonem cedere, & exequi caducitatem. Tertiò exigere copulativè, seu exequi tam canonem, quam caducitatem: habet enim jus copulativè ad utrumque, non disjunctivè, contra Fachinæum, aliàs etiam protestando non posset utrumque exigere contra Adversarios.

Sextò in pluralitate hæredum possidentium rem communem vectigalem uno canonem non solvente verius est cæteros non cadere in commissum, Haunold, *n. 519.* Fachin. *lib. 1. c. 92.* Contra Julium Clarum, Molinam & communiorem; Caducitas solius portionis concernentis non solventem colligitur *ex L. 1. ff. de publicanis*, éstque ratio, quod tunc habeant se ut plures Emphyteutæ, consequenter sicut si ab initio plures fuissent uno non solvente cæteri non caderent in commissum, ita nec in nostro casu.

Dices cum Adversarijs obligatio defuncti non mutatur in persona hæredum ergo unico non solvente censetur Emphyteuta non solvere. *Resp.* Nego antecedens in persona hæredum materialiter sumptorum.

## §. XI.

## *De Emphyteuta mulctando, expellendo, jure retractûs Emphyteuseos, & an Emphyteuta fructus suos debeat primo loco venales directo Domino proponere.*

165. Quatuor quæstiunculæ continentur in titulo proposito. Prima an Dominus directus, qui non est Dominus Vogtejæ vulgò Vogt-Herr / seu Dominus jurisdictionis possit mulctare Emphyteutam. *Resp.* Negativè quia mulctatio est actus jurisdictionis, proinde spectans ad Magistratum, ac Provinciarum Præsides *L. aliud fraus 131. §. 1. ff. de V. S.* Dominus autem directus rei Emphyteuticæ quà talis nullam habet jurisdictionem in Emphyteutam, aliàs cum qui-

quivis privatus etiam plebejus potest probabilius rerum suarum habens administrationem in Emphytheusim dare, quilibet posset Emphyteutam suum judicare, ac mulctare, quod est contra jus commune teste D. Chlingensperger *in Disput. Juridica de jur. Emphyteut. Assert. 37. juncta 65.* in qua tradit, quod ex Privilegio provinciæ statibus in Bavaria concesso quisque Dominus possit per se, aut famulos in suis prædijs Emphyteuticis jure directi Dominij exercere pignorationem, seu mulctationem germanicè Pfandt esto sit actus jurisdictionis, & Prælati ex singulari favore possunt incarcerare subditos Emphyteuticos.

Quæres secundò an directus Dominus ob canonem non solutum propriâ Authoritate Emphyteutam queat expellere. Affirmant multi cum Vasquez Mynsing. *Cent. 3. observ. 65.* Molin. *Disp 453. circa finem vers. Quæritur num Emphyteut.* Laym. *Resp.* Cum Fachin. *lib. 1. contr. c. 95.* negativè de expulsione violenta, qualis foret, si Emphyteuta factis resisteret; affirmativè verò de non violenta: nempe potest Dominus attentare ingressum contemptâ resistentiâ verbali, seu protestatione Emphyteutæ, quando Dominus est certus culpabiliter canonem non esse persolutum. Ratio primi, quod jus non concedat privato expulsionem violentam extra casum, quo quis injuste possessionem naturalem recenter occupavit, & Dominus illum in continenti aggreditur, sed servandus est juris ordo, ac judicis Authoritas imploranda. Ratio secundi est, quod Dominus sit civilis possessor, júsque videatur illi concedere acquisitionem naturalis possessionis titulo caducitatis debitam, si potest recuperari sine violentia (sicut Dominus equi furto sublati reperti in stabulo furis potest eum solvere, & abducere, licet fur contra protestetur, non tamen posset, si facto se opponeret) & sic Emphyteutam facere ex Reo actorem conjiciendo in eum onus agendi, Haunold. *n. 524.* Consentit Raiffenstuell de *locato n. 194.* Argument. *L. creditores Cod. de pignorat: Creditores*, inquit, *qui non redditâ sibi pecuniâ conventionis legem ingressi possessionem exercent, vim quidem facere non videntur, attamen Authoritate Præsidis possessionem adipisci debent.* Ratio, quia nemo sibi judex esse debet *L. 1. c. ne quis in sua causa judicet.*

Quatuor limitationes subjicit Raiffenstuell *à n. 196.* seu casus, in quibus nequit expelli Emphyteuta, seu non incurrit pœnam caducitatis. Primò si Dominus directus Emphyteutæ aliunde debet tantum, quantus est debitus canon. Secundò quando justa causa eum excusat à solutione canonis E. g. sterilitas. Tertiò quando solutio est omissa ex ignorantia, ut si hæres Emphyteutæ nescivit rem esse Emphyteuticam: Phiring. *de locat. n. 37.* Laym. *lib. 3. tract. 4. c. 23. n. 8.* advertentes hanc limitationem de rigore juris non procedere, sed de æquitate, secundum quam restitueretur in integrum Emphyteuta etiam major 25. annis; idque colligunt ex illa clausula universali: *Si qua mihi causa videbitur L. 1. in fin. ff. ex quibus causis major.* Quartò si Dominus canonem loco, & tempore debito ab Emphyteuta oblatum recusavit cit. Laym.

Quæres tertiò an Domino directo competat jus retractûs seu potestas primo loco emendi rem Emphyteuticam, dum hæc est venalis. *Resp.* Affirmativè *ex L. 3. de jure Emphyteut.* Ubi conceduntur illi duo menses ad deliberandum, si velit jure Prothimyseos, seu retractûs ad se retrahere, ac consolidare Dominium utile cum directo, hoc prælationis jus cum sit personale, nequit Dominus directus ulli alteri cedere, Zoës. *in Cod. de jur. Emphytent.*

Quæres quartò an Emphyteuta Domino directo debeat primo loco offerre fructus venales? *Resp.* Emphyteutas nullo jure teneri fructus venales prius offerre Dominis suis, quam deferre ad forum ita Christoph. Chlingensp. *in Assert. 62.* Cum Caspare Mantio, Alvaro Valasquez, Neque argumentum recte ducitur à fundo Emphyteutico ad fructus hujus, quia si pleno jure spectant ad Emphyteutam, secus fundus: unde refert, quod in facti contingentia in aula Electorali Saxonica & à Collegio Juris Consulrorum Wittenbergensium fuerat judicatum contra quendam nobilem præcipientem subditis, ut sibi præ alijs vendant edulia & cibaria, ut pullos, Gallinas, butyrum, &c.

## §. XII.

## *Resolutio decem quæstionum de Emphyteusi.*

DE his infra *à num. 425.*

## §. XIII.

## *An ususfructus Professi transeat ad Monasterium?*

VIde de hoc *à num. 433.*

## §. XIV.

## *An Monasterium Professo succedat in fideicommisso cum exclusione substituti?*

DE hoc infra *à num. 435.*

§. XV.

## §. XV.

### An hucúsque elucidata ex jure communi habeant locum etiam in Societatis JESU Religiosis.

QUæstio hæc discutitur *num. 438.*

## §. XVI.

### An feudum, jus patronatûs, jus nominandi ad Emphyteusim & jus retractûs transeat ad Monasterium successionis capax? ubi de statuto sæculari excludente Religiosos à successione.

DEcisio reperietur infra *á num. 439.*

## §. XVII.

### An Emphyteusis ad Monasterium successionis capax devolvatur.

RESolvitur infra *à num. 445.*

## §. XVIII.

### An Monasterium teneatur ad Laudemium, dum ad id à Professo transit Emphyteusis, & an Laudemia à prædecessoribus insoluta obligetur compensare?

ELucidationem quæstionis hujus leges *à num. 450.*

DIS-

# DISSERTATIO III.

## *De modis acquirendi Dominium?*

# ARTICVLVS PRIMVS.

## *De modo acquirendi Dominium per præscriptionem.*

### §. I.

*Quid sit præscriptio, usucapio, & an valeat in foro conscientiæ*

166. Dico primò præscriptio hic sumpta est acquisitio Dominij rei alienæ per possessionem ejus certo temporis spatio legibus definito bonâ fide continuatam. Est communis conformis *legi tertia ff. de usucapion.* est quidem quædam differentia inter præscriptionem, & usucapionem, defacto tamen communiter confunduntur, nisi quod usucapio rebus duntaxat corporalibus conveniat, præscriptio verò cadat etiam in res incorporales; deinde hæc est de rebus etiam immobilibus, at usucapio de mobilibus: ideo triennalis præscriptio, qualis est inter res mobiles, frequentius in jure dicitur usucapio.

Præscriptio est introducta utroque jure, civili quidem *L. 1. ff. eod.* ob publicam utilitatem, ne rerum Dominia semper essent incerta, litésque infinitæ orirentur circa earum proprietatem; Approbat canonicum *cap. fin. de præscription. Definimus*, inquit Concilium lateranense, *ut nulla valeat absque bona* fide præscriptio.

167. Dico secundò præscriptio completa legitimè, id est post terminum temporis à lege præfixi transfert Dominium tam in foro conscientiæ, quam externo absque onere restituendi rem priori Domino postmodum certe cognito, ita communiter Doctores contra Adrianum, & Medinam requirentes culpam ex parte Domini prioris. Probatur primò Authoritate allegati utriusque juris. Secundò ratione: est justa lex Principis adimens uni Dominium, & in alium transferens, quan-

quando ita postulat bonum commune: tunc enim prior Dominus est irrationabiliter invitus, esto fuerit inculpabilis, sed hoc fit in casu præsenti ad evitandas lites, & sedandas conscientias, angorésque scrupulorum. Conclusio intelligitur non solùm de Dominio utili immobilium, sed etiam de directo contra Bartolum, Baldum, Abbatem, quia jura indefinitè loquuntur.

168. Pro solvendis nota primò disparitatem esse cur res per sententiam materialiter injustam adjudicata tibi, sit à te restituenda, postquam rescis esse alienam, quod judex non conferat parti Dominium, sed declaret, quis sit juxta leges verus Dominus, lex autem præscriptionis conferat Dominium. Nequit etiam lex facere Religiosum ex non Religioso, idcirco Religio non potest præscribere contra prætendentem, quod nulliter sit professus, licet jam sit elapsum à professione quinquennium.

Secundò lex naturalis dictat rem Domino suo restituendam, quamdiu manet Dominium penes illum; finitâ autem legitimâ præscriptione non manet; quare Regula juris 48. *locupletari non debet quis cum alterius injuria vel jactura*, intelligitur de locupletatione injusta circumveniendo alterum in contractibus, secus de justa, ut in bello justo, præscriptione legitima, &c.

Tertiò Privatio Dominij per præscriptionem non est proprie pœna, unde non debet supponere culpam contra adversarios.

Quartò dum dicitur: si præscriptio expedit bono communi, ea debetur jure naturali, sed non debetur, aliàs independenter à lege positiva præscriberetur. *Resp.* Nego majorem, etsi enim jus naturale dictet expedire bono communi, ac inclinet, ut jus positivum id statuat, attamen non est tale jus naturale, quod obliget ante jus positivum, ut hic fiat, uti dictum est de divisione rerum in primordio.

Quintò quando finitur tempus præscriptionis, bona fides ante id tempus erronea incipit esse fides bona vera, quia incipit res esse præscribentis.

Conclusio limitatur, ut contra minores, seu nondum attingentes 25. annos non habeat locum, uti nec contra Ecclesias ac loca pia, nisi cum remedio restitutionis in integrum intra triennium post completam præscriptionem rescitam. Vide de hoc Less. *Lib 2 c.6.dub 18.* & Haunol. *tr.5.à n 344.* negantem probabilius hoc beneficium majoribus intra quatuor annos, si ex ignorantia invincibili non petierint restitui. Nomine autem restitutionis in integrum intelligitur reductio in eum statum, in quo quis erat prius, quam læderetur; reparat enim id, quod læsio abstulit.

## §. II.

## *De prima conditione nempe possessione ad præscriptionem requisita, & recensentur possessionis commoda.*

169. QUatuor conditiones legitima præscriptio includit. Prima est possessio rei tempore à jure præfixo continuata. Secunda est fides bona. Tertia justus titulus. Quarta ut res sit capax præscriptionis, ita communis. Incipimus à prima, cujus necessitas constat ex Regula tertia juris in 6. *sine possessione præscriptio non procedit*: unde tritum illud: *præscriptum tantum censetur, quantum possessum.*

Possessio sumitur pro actu, vel jure possidendi: Hinc dividitur primo in possessionem facti tantum, in possessionem juris tantum, & in possessionem juris, & facti simul. *Possessio facti tantum est solus actus possidendi, seu rei detentio sine jure insistendi*; possessio juris tantum est *ipsumet jus possidendi rem solo animo retentum*, ut dum quis suam rem ipso facto non amplius possidet, attamen de jure, & solo animo possessionem retinet ac continuat: unde possessio includens utrumque seu tam jus, quam actum possidendi, dicitur possessio juris, & facti simul, qualem habet quisque Dominus per corporalem insistentiam rem suam possidens, id est, tam in re, quam de jure possidens.

Dividitur secundo in civilem, & naturalem, hæc convertitur cum possessione facti tantum, talem habet possessor rei alienæ, si eam possidet bonâ fide, id est, si habetur pro Domino, ac ipsemet bonâ fide putat esse suam, dicitur Possessor bonæ fidei: malæ vero, si scienter alienam retinet, ut fur, civilis autem est eadem cum possessione juris tantum; unde etiam absens à rebus suis easdem tamdiu civiliter possidet, quamdiu non perdit animum ad illas revertendi. Ex his

Deduco definitionem possessionis juris & facti simul: *quod sit detentio rei vera vel ficta corporis, & animi juriisque adminiculo*, ita Haunold. *tract. 3. num. 202.* ex Glossa communiter recepta *L. 1. §. de acquirenda vel amittend. poss. sess.*

Dicitur primò *rei* sine adjecto *corporalis* etsi communiter adjiciatur à jurisconsultis ut Theologi comprehendant res etiam incorporeas per *num. 14.* talium enim sumus quasi Possessores *Argumento cap. cum Ecclesia de causa possessionis.*

Dicitur secundò *detentio*, quia ut actu eam possideat, est necesse ut eandem per se vel per alium occupet, aut occupatam detineat.

Dicitur tertiò *vera, vel ficta*; vera fit manibus in rebus mobilibus corporalibus, aut pedibus in immobilibus v. g. pedem ponendo in fundum, &c. apprehendi-

henditur autem fictè, quando ex dispositione juris acquiritur Dominium sine reali, ac physica apprehensione, ut si pristinus possessor ostendat rem eminus E. g ædes, aut tradat ad eas claves, aut instrumentum continens jus in domum emptam, aut donatam, aut post donationem significet se deinceps possessurum nomine donatarij, aut rem donatam sibi cum consensu donatoris nomine proprio signet, &c. De his vide jura apud Laym. *Lib. 3, tract. 1. c. 7.*

Dicitur quartò *Corporis & animi*, copulativè enim requiritur adminiculum utriusque, aliàs quidquid manibus apprehenderem, vel pedibus calcarem possiderem, requiritur igitur etiam intentio detinendi rem ut suam, seu nomine suo (idcirco depositarius, commodatarius non sunt possessores, quia possident alieno nomine) sic ut possideas feras non sufficit animus eas capiendi, nisi eas re ipsa capias: imo nec hæc duo sufficiunt, quando lex detentionem, & intentionem detinendi reddit inefficaces relate ad effectus juridicæ possessionis, uti reddit circa res aliquas nempe sacras, aut commoditati publicæ deputatas, ut pontes, flumina, vias, & ideo.

Dicitur quintò *juris adminiculo* id est jure non resistente: unde fur rem furtivam legitimè non possidet, ac civiliter, quia rem detinet contra jus, & fas, nec acquiri potest possessio civilis rei immobilis cujus possessor est absens, Laym. *L. 3. tract. 1. c. 7 n. 4.*

Deduco secundò ad præscriptionem non sufficere possessionem pure naturalem, sed requiri saltem civilem, Laym. *c. 8. n. 5.* & ideo nequit præscriptionem inchoare rei alienæ occupator, quamdiu Dominus absens eam civiliter possidet, Abbas *in cap. vigilanti num. 4. de præscript.*

Deduco tertiò non posse præscribere depositorium, commodatarium, inquilinum, colonum, &c. quia rem alieno non suo nomine detinent.

170. Quæres, quid commodi, ac privilegij conferat possessio? *Resp.* Conferre plura, ac præclara: Primò quod cum bona fide continuata acquirat Dominium. Secundò Possessor bonæ fidei suborto dubio, an res sit sua, aut aliena, si post diligens examen dubium vinci non potest, potest retinere, donec constet rem esse alienam, quia per Regulam juris 65. in 6. *in pari delicto vel causa potior est conditio possidentis*: unde judex ex litigantibus de rei proprietate, si omnibus consideratis dubia sit proprietas, adjudicabit rem possessori. Confirmatur, possessio in judicio parit præsumptionem Dominij, unde in tali controversia non tenetur probare rem esse suam, sed eam repetens, & nisi hic probaverit, nihil obtinebit §. *retinendæ Instit. de interdictis.*

Unde si quis tibi E. g. pallium violenter rapuerit, & eum accuses in judicio, si reponat se rapuisse propter jus in illud, non debes illi ad hanc oppositionem respondere, quia deduceret te ad judicium petitorium, in quo contenditur de proprietate, & in dubio ei adjudicaretur, sed debes solùm urgere, quod iniquè te possessione spoliaverit. Quidquid sit de jure ab eo in pallium prætenso, ad quod respondere non debes, priusquam in possessionem reponatis per *cit.* §. *retinendæ.*

Excipe casum in quo actor habet intentionem suam fundatam in jure, tunc enim non actori, sed Reo incumbit onus probandi: quia contra eum est juris præsumptio: unde si constat de Ecclesia, quod existat in territorio meæ Diœcesis, illaque prætendet exemptionem, sufficienter probo non esse exemptam, ex hoc quod sit in meo territorio *C. cum Venerabilis* de Religiosis domibus.

Tertiò quod bona fide rem alienam possidens, eamque absumens resciens fuisse non suam, nihil teneatur restituere nisi in quantum est exinde factus ditior.

Quartò repertus tempore contestatæ litis in possessione, est à judice defendendus, nisi vi, clam, aut precariò ab altero possessionem attraxerit: tunc enim est possessione privandus.

Quintò si Possessor privatâ violentiâ est à possessione deturbatus, ante omnia debet fieri spoliati restitutio, nec prius audiendus est occupator allegans titulum, volensque probare rem esse suam *per cap. in litteris, & sequentia de restitutione spoliatorum.* Post restitutum spoliatum, pars adversa primum audiri debet *Argumento cap. primi & cap. conquarentibus eod.*

Sextò Possessor invasorum possessionis potest etiam armis repellere cum moderamine inculpatæ tutelæ, quousque possessionem etiam civilem perdiderit; Unde si quis fundum injuste occupavit, re intellectâ potest etiam armis causa necessariæ defensionis eum iterum dejicere, modo id in continenti faciat *L. 1. Cod. unde vi.*

Si quæras quantum temporis designetur per ly *incontinenti*: *Resp.* Tantum, quantum pro qualitate rei necessarium est pro conquirendis auxilijs ad ejiciendum injustum occupatorem E. g. si ejectus ex fundo intres urbem animo conquirendi auxilium, si in hoc conquirendo hæsisti triduo, aut quatriduo, censeris adhuc in continenti invadere. Vide Molin. *to. 1. tr. 2. Disput. 16.*

## §. III.

## *De necessitate bonæ fidei ad præscribendum.*

171. Fides bona communiter definitur, quod sit credulitas, seu judicium, quo quis prudenter existimat aliquid esse suum (hæc est fides positivè bona) aut non esse alienum, & hæc est fides negative bona. Mala igitur fides est, dum quis possidet sciens, aut credens rem esse alienam, aut non judicans esse suam, aut culpabiliter utrumque ignorat ignorantiâ mortaliter malâ.

Fides bona est talis, aut Theologice, aut juridice, seu civiliter, quando possides sine peccato saltem mortali, est fides Theologicè bona; bona juridica superaddit priori, quod possessioni etiam lex non resistat: si enim à lege reprobatur pos-

sessio, licet careat peccato, nequit res usucapi: cum enim usucapio sit legis beneficium, ultra legem nequit extendi.

Dico primò ad præscribendum est necessaria aliqua fides bona. Per *Reg. 2. jur. in 6. Possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit*; quod verum est etiam in præscriptione longissimi temporis, nempe 30. vel 40. vel 60. vel 100. annorum. Confirmatur *ex cap. fin. de præscript.* postulante in quavis temporis parte conscientiam peccato mortali carentem; unde *lex 3. & 7. cod. de præscript. 30. annorum.* Contenta solum longissimi temporis continuatione absque bona fide sub initium est cassata à jure canonico: hujus enim solius est disponere in rebus concernentibus animæ salutem.

Imo conclusio procedit etiam in præscriptione immemoriali; quia teste Apostolo: *omne quod non est ex fide* (id est conscientiæ conforme) *peccatum est.*

Dices cum Bald. & communiori Juristarum quod in possessione longissimi temporis fides bona præsumatur, dummodo jus commune non contradicat nec alius antiquior Possessor appareat. *Resp.* Negando assumptum cum Fachin. *Lib. 2. contr. c. 32. ex L. fin. C. unde vi.* Ibi: *Omnes scire debent, quod suum non est ad alios modis omnibus pertinere*, ergo tenens alienum, nec probans ullam causam, ob quam credatur esse suum, non est in bona fide.

172. Dico secundò ad inchoandam præscriptionem requiritur fides possitivè bona; ad continuandam autem satis est negativè bona Lugo ex communi *Disp. 7. num. 17.* Probatur per *numerum 169.* requiritur ad possessionem ut res apprehendatur juris, & animi adminiculo: ubi per animi adminiculum intelligitur intentio faciendi rem suam, qualis repugnat, nisi positive judicet rem fieri suam; ut autem semel sic cepta continuetur, sufficit negativa bonitas: quia hæc non compatitur secum conscientiam rei alienæ, quæ sola impedit vel interrumpit præscriptionem *per cit. cap. finale. Oportet*, inquit, *ut is, qui præscribit, in nulla parte temporis rei habeat conscientiam alienæ.*

Porrò ignorantia fundans bonam fidem, id est, falsam opinionem inculpatam, est, aut juris; aut facti, dum nescimus quid circa talem actionem, v. g. contractum cum pupillo jus statuat, dum hoc eum invalidat sine Authoritate tutoris, habemus ignorantiam juris, quando autem id, quod ignoramus consistit in facto, ut si accepimus donum à pupillo, vel fure, &c. Nescientes esse talem, dicitur ignorantia facti. Utraque potest esse, aut inculpabilis, qualis est invincibilis, uti si diligentia pro qualitate negotij sufficienti præmissa ad veritatem assequendam vinci non potest: aut est culpabilis, seu vincibilis eáque, aut mortaliter mala, uti est ignorantia supina, sive crassa, ut quando est nulla, vel ferè nulla adhibita industria (si major, quam ferè nulla adhibetur insufficiens tamen pro qualitate negotij, dicitur vincibilis non crassa adhuc tamen mortaliter culpabilis) à fortiori est mortale peccatum ignorantia affectata qualem habet de industria affectans ignorare. Quod si sufficiens examen præmittitur, deficiens tamen in modico, dicitur ignorantia leviter culpabilis. Ex quibus colligitur, quod fides

fundata in ignorantia mortaliter culpabili sit mortaliter mala proinde insufficiens ad præscribendum.

Difficultas duplex restat enodanda. Prima an fides bona fundata in ignorantia juris sufficiat seu Theologicè bona, etsi jus ignoratum ei resistat, proinde non sit bona juridicè. Secunda an fides venialiter mala præscriptioni obstet, sive in initio, sive in decursu ejusdem, ut si non plene advertit ad obligationem inquirendi, an res sit aliena.

173. Dico igitur tertiò malitiam venialem non impedire valorem præscriptionis ita Lugo *à n. 36.* Probatur quamdiu manet fides simpliciter bona, non impeditur præscriptio: quia stat credulitas persuasiva, quod res sit sua, sed nisi sit mortaliter mala, manet simpliciter bona *per Cit. Cap. finale. Definimus*, inquit, Innocent. III. *ut nulla valeat absque bona fide possessio, cum generaliter sit omni constitutioni & consuetudini derogandum, quæ absque peccato mortali non potest observari*, ergo, nisi sit mortaliter mala, non impedit.

Dico quartò fides ad præscribendum est sufficienter bona Primò radicata in ignorantia invincibili facti. Secundò radicata in ignorantia invincibili juris non clari, sed dubij, id est, habentis plures probabiles sensus. Tertiò in ignorantia invincibili juris clari quoad personas imperitas juris, idque procedit probabiliter non solùm in foro poli, seu conscientiæ, sed etiam in foro fori, seu externo Haunol. *tract. 3. n. 197.* Lugo *à n. 32.* contra Less. *lib. 2. Cap. 6. à n. 17.* Laym. *L. 3. tract. 1. c. 8. n. 11.* Molin. *Disput. 64.* quibus tamen assentior quoad personas, in quibus jura non tollerant ignorantiam juris clari, ut in jurisperitis; Haunold. *n. 198.* dicens. *n. 195.* post Medinam Lugo &c. in foro conscientiæ ignorantiam juris universim sufficere ad præscribendum, proinde posse à præscribente retineri possessam rem, donec per Sententiam judicis cogatur restituere, consentit Krimer *de Constit. n. 883.*

Pars prima est certa: bona enim fides præscribens fundatur in aliqua ignorantia inculpabili, ergo saltem in ignorantia facti.

Pars secunda est recepta inter Theologos, & ferè omnes Juristas teste Haunold. *n. 206.* contra Harprecht, quia æquiparatur errori circa factum, cum fas sit sequi practicè probabilem interpretationem juris operanti favorabiliorem, ergo non obstat bonæ fidei.

Pars tertia quoad juris imperitos probatur: ignorantia etiam juris clari nequit obesse bonæ fidei personarum, in quibus secundum jus tolleratur ignorantia juris etiam clari, sed invincibilis ignorantia juris etiam clari tolleratur in imperitis, uti in militibus, & minorennibus, non nocet etiam in acquirendo *per L. 1. & 2. Cod. de juris & facti ignorantia*, quibus plures accensent mulieres, & Rusticos. Sed Zoësius ad dictum titulum negat jis passim subveniri, sed solum in aliquibus casibus.

Eadem pars tertia quoad peritos probatur: non potest etiam in foro conscientiæ acquiri ullum Dominium beneficio præscriptionis, nisi sub ijs circumstantijs, sub quibus jus positivum statuit id acquiri sed jus statuit acquiri sub circumstantia ignorantiæ facti, secus clari juris *ex L. 4. ff. de juris & facti ignorantia*, juris, inquit, *ignorantia negatur prodesse facti verò ignorantiam prodesse constat.*

Respon-

Respondebis cum Adversariis: hanc legem, & similes fundari in præsumptione malæ fidei præsumunt enim juris scientiam, quæ generat malam fidem: contra est quod Responsum sit contra *legem secundam §. 15. ff. pro emptore*, ibi: *quod si scias pupillum esse: putes tamen pupillis licere res suas sine tutoris authoritate administrare, non capies usu: quia juris error nulli prodest*, ubi lex supponit in contrahente cum pupillo errorem juris vetantis contractum cum pupillo, ergo nequit præsumere scientiam ejusdem juris.

174. Infero primò Præscriptionem inchoari non posse cum prudenti dubio sivè speculativo sive practico, an res quam incipis possidere sit tua: quia per *n. 171.*, & sequentes ad inchoandam præscriptionem prærequititur fides positivè bona.

Est autem tunc intellectus speculative dubius quando præmissâ diligentiâ sufficienti ad veritatem indagandam hæret suspensus, vel circa rem, ut si dubites an res, quam possides, sit aliena, quin dubites, an ejus possessio sit licita, vel circa Actionem humanam modo generali, id est, cum præcisione à particularibus circumstantijs, ut, si in materia præsenti hæreas suspensus, ex licita sit possessio rei, de qua dubitas, an sit tua. Practicum dubium erit, quando intellectus hæsitat circa actionem circumstantiatam, id est, sumptam cum suis circumstantijs particularibus, nempe hic & nunc exercendam, ut hic, an possessio rei, de qua dubito, an sit mea', hic, & nunc licite possit continuari.

Infero secundò possessionem non interrumpi per superveniens dubium speculativum etsi nequeat deponi ex principijs directis, id est, illis, quæ utrinque occurrunt, quod sit res mea & non sit mea: adhuc enim cum tali dubio stare potest bona fides practica, sive conscientia dictans licite posse continuari possessionem; formari enim potest ex principio illo reflexo, nempe ex recepta juris maxima *in dubijs melior est conditio possidentis.*

Infero tertiò per dubium superveniens practicum, an res sit tua, nisi prudenter deponas, possessio interrumpitur: quia conscientia practicè dubia est peccatum si continuet possessionem, unde non incipit possessio, nisi à tempore depositi prudentis dubij per Capitulum finale de præscriptionib.

Infero quartò cum Lug. *à n. 42.* non interrumpi bonam fidem in possessione in eo, qui attendens ad fundamenta contraria judicat rem esse alienam, non tamen judicat esse obligatum restituere, ut si ad alia distractus non advertat ad obligationem restituendi, sed continuat possessionem: quo casu cogitatio de re aliena est pure speculativa, non practica, seu illativa conclusionis practicæ de onere restituendi. Ratio est, quia fides bona nihil est aliud quam bona conscientia, hæc autem non turbatur, nisi per malam, mala autem non est sita in præfato judicio speculativo, sed practico de aliquo eligendo contra rectum, seu practicum dictamen.

Contra opponenda adversus hanc illationem Nota primò quod leges malam fidem ponentes in conscientia rei alienæ intelligendæ sint de conscientia practica dictante obligationem restitutionis. Secundò non sequi, quod etiam ille, qui postquam agnovit obligationem restituendi postea ejus immemor continuaret possessio-

sionem præscribere: quia aut habuit animum restituendi, aut non? si non, est malæ fidei possessor; si ita sed non restituit, quia aut non potuit, aut fuit oblitus, eam non possidet animi adminiculo, seu ut suam, sed retinuit pure materialiter per modum depositi aut custodiæ.

175. Infero quintò bona fides Authoris (hic in jure dicitur, qui rei suæ Dominus videtur Dominium transferre in alium, qui dicitur Successor, si hic succedat in re determinata sive singulari, ut Emptor, donatarius, legatarius, vocatur Successor singularis, succedens autem in bonorum universitate, hoc est in universum jus hæreditatis, sive deinde hæc sit ex asse sive pars tantum E. g. triens dicitur Successor universalis quia non respicit ullam rem, ut singularem sed indefinite) prodest Successori tam universali, quam singulari Lugo *à n. 63.* qui successor succedit in omnia jura authoris, sed inter hæc est jus cæptum præscribendi possidendo bona fide, ergo. Quare successor potest, uti loquuntur Jurisconsulti, accessione temporis, id est, tempus possessionis authoris conjungere cum tempore suæ possessionis.

Ex hac illatione sequitur, quod successor incipiens possidere cum dubio, an res sit aliena, si post diligens examen perseveret dubium, potest continuare per bonam possessionis fidem: quia hoc casu successor fictione juris est possessor bonæ fidei acquirendo ab auctore jus possessionis bonâ fide cæptæ.

Ex oppositio autem probabilius est, quod fides Theologica mala auctoris secundum jus commune obsit successori immediate universali, secùs particulari, hoc secundum est certum apud Less. *lib. 2. c. 6. n. 48.* quia particularis successor non est eadem persona cum auctore, ergo hujus vitiata possessio non potest nocere successori, proinde si hic incipit bene possidere, præscribet expleto tempore, nempe ordinario, in rebus mobilibus secûs in immobilibus, in quibus non sufficit tempus Ordinarium, scilicet longum, seu decennium, sed requiritur extraordinarium, seu triginta annorum ita *Authentic. malæ fidei. Cod. de præscript. longi temporis* Haunold. *tract. 5. n. 215. & 217.*

De successore autem universali immediato est ratio, quod hic titulo successionis hæreditariæ fictione juris sit eadem persona cum persona auctoris, ergo possessio hujus est possessio alterius, sed auctoris possessio fuit Theologicè malæ fidei, ergo etiam est malæ fidei in successore, ita Haunold. *n. 208.* ex communiore contra Corvinum amplians ad præscriptionem etiam longissimi temporis cum Jasone & alijs contra Cavarruu. Bald. teste Less. *lib. 2. c. 6. n. 42.* probabiliter contrarios contra quos est, quod jus canonicum corrigens civile requirat bonam fidem initio possessionis etiam in præscriptione temporis longissimi.

Dixi *universali immediato*, quia probabilus est quod hæredi mediato fides mala auctoris non obsit, Haunold. *n. 209.* contra Lugo *D. 7. n. 61.* Ratio quia hæres hæredis non est primi defuncti hæres, atqui fictione juris solus primi hæres est possessor malæ fidei & hujus personam præsentat.

Dices cum Lugo etiam mediatus hæres debet resarcire omnia damna injuste illata à primo defuncto, si hæres immediatus

diatus non satisfecit, sed si præscriberet bona, non teneretur resarcire, ergo. *Resp.* Nego minorem, quia duo hæc se compatiuntur, ego fio Dominus rei mediate ad me transmissæ à primo defuncto, & ego obligor resarcire damna ab eodem illata.

176. Quæres an scientia juris alieni impediat bonitatem fidei ad præscribendam quamcunque obligationem ex jure alterius ortam? Distinguendum est cum Laym. *lib. 3. n. 1. c. 8. à n. 11.* duplex obligationum genus, aliæ enim tendunt ad aliquid, à te agendum (sic debitor alterius, sive ex furto, sive mutuo, aut alio contractu obligatur agere, nempe solvere debitum) aut ad non agendum; sic nullum habens jus obligatur abstinere à pastu, venatione, transitu per fundum alienum, ab ædificio altius tollendo, à fenestra in alterius hortum aperienda &c. aliæ obligationes ex natura sua tendunt ad aliquid sustinendum, seu patiendum, quando à nobis petitur, ut solvere pœnam per leges decretam certis delictis, ad permittendum transitum per fundum suum in servitutibus Rusticanis.

*Resp.* Nunc affirmative de præscriptione obligationum primi generis, negativè verò secundi generis: Ratio primi est, quod omnis stricta præscriptio prærequirat bonam fidem, sed præscriptio obligationum primi generis est stricta: obligaris enim aut ponere actionem nempe solvere, aut ab actione abstinere, ut non pascere in fundo alieno &c. ergo tam agendo, quam omittendo cum scientia alterius juris, agis contra conscientiam. Ratio secundi quod ad præscriptionem secundi generis obligationum non requiratur aliter bona fides, quam quod nihil fiat contra conscientiam, sed contra hanc nihil fit, etsi præscribens sciat jus esse in altero ad tale actionum genus, sed sufficit negligentia habentis jus, id est, quod certo quodam tempore jure suo non utatur, quo usu non posito præscribens etsi meminerit suæ obligationis, jurisque alterius non tenetur illum certiorare de jure suo, sed credit se licite frui posse libertate naturali in fundo suo, quin habeat malam fidem, cum nihil contra conscientiam ita citatus Laym. Hinc.

Inferes primò obligatio solvendi debitum ob furtum, mutuum, famulatum, aut alium contractum non præscribitur à sciente debitum, licet creditor sit in mora exigendi, quia nunquam cum hoc scientia potest retinere ut suum.

Inferes secundò præscribi non posse pascuationem, piscationem, venationem &c. cum notitia quod similes actus adversentur juri alterius.

Inferes tertiò præscribi non posse servitutes Urbanas activas ut E. g. possis altius ædificium attollere, lignum immittere in alterius murum cum scientia juris alieni, quia ejusmodi actus nequeunt exerceri sine peccato, è contra sunt præscriptibiles servitutes passivæ Rusticanæ v. g. ut alter non ducat aquam per fundum tuum, aut iter agat, etsi præscribens sciat jus alienum, quia nulla mala fides intervenit. Hæc ratio probat etiam posse præscribi solutionem pœnæ fisco debitæ, quia pœna in conscientia ante exactionem non deberur. Hæ illationes approbantur à Palao *p. 7. tractatu trigesimo primo Disputatione unica p. 22. Paragrapho Sexto.*

## §. IV.

## *De tertia præscriptionis Conditione, nempe titulo.*

177. NOmine tituli hic venit prima radix, & causa ex se se habilis ad transferendum Dominium: ut donatio, emptio, transactio, hæreditas, legatum & hujusmodi. Triplicem distinguit Haunold. Scilicet apparenter verum, existimatum, & præsumptum. Per apparenter verum intelligit titulum reipsa intervenientem v. g. donationem, sed ob causam latentem invalidam: hic titulus ab eo dicitur coloratus, seu apparens, quando ex causa justa existimo intervenisse titulum, nempe donationem aut legatum &c. reipsa tamen non intervenit, ut si hæres mihi tradat rem quasi legatam, cum tamen non sit legata, dicitur titulus existimatus; quo casu decor possidere *pro meo*, vel *pro soluto* vel *pro donato*, vel *pro empto*. Demum quando ob temporis diuturnitatem jus præsumit præcessisse titulum, licet possidens nequeat tituli speciem allegare, quia non amplius meminit, an pro donato vel empto vel hærede vel legato possideat, prout jus præsumit præcessisse in possessione longissimi temporis, seu tricennali vocatur præsumptus, quem male confundit cum colorato Lugo & Dicastil.

Ut autem præsumatur titulus pro possessione triginta aut quadraginta annorum duo requiruntur. Primum est, ne jus ei resistat, ex defectu hujus conditionis, possessio etiam quadraginta annis Parochiæ sitæ in alterius Episcopi Diœcesi continuata non præscribit, quia *Cap. Primum de præscript.* contrariatur. Secundum est, ut non habeatur aliunde præsumptio contra possidentem, seu quod male possideat: quia tunc nequit præsumi justus titulus.

178. Dico primò ad præscriptionem temporis Ordinarij nullus titulus à jure præsumitur, sed est necessaria allegatio, & probatio certi tituli, *Ex* [*L. 27. ff. de usucap.* & clarius *L. 24. Cod.* de rei vindicat. *nullo*, inquit, *justo titulo præcedente possidentes ratio juris quærere dominium prohibet.*

Secundò ut præscribatur tempore ordinario non requiritur titulus coloratus, sed sufficit existimatus, seu putaticius (excipitur titulus emptionis, ad quem requiritur bona fides tempore initi contractûs *per L 48. ff de usucap.* è contra in alijs contractibus sufficit fides bona tempore traditionis seu solutionis, licet præcessisset mala fides, Haunold, *n. 224.* juncto *233.*) ita communis juristarum *lege 5, & 6. ff. pro legato & L. 33. ff.* [*de usucap.* Ratio specialitatis pro contractu emptionis in *Cit. Leg.* datur his verbis: *in cæteris causis solutionis tempus inspicitur, & sufficit me putare meum esse cum solvis, in emptione autem & contractus tempus inspi-*

*inspicitur & quo solvitur.* Imò etiam aliquando in titulo emptionis sufficit titulus existimatus, ut si servo meo, aut procuratori mandavi, ut rem emat, si eam mihi tradat asserens se eam meo nomine emisse, ita decisum est *L. 11. ff. pro emptore*, rationem dat Haunold. *n. 234.* quod tunc principalis sit in bona fide, quantum enim in ipso erat, plus ab eo exigi non poterat tempore mandati dati.

Tertiò ut currat ordinario tempore præscriptio servitutis realis continuæ, id est habentis actum continuum, ut aquæ ductus, nullus est necessarius titulus, sed sufficit scientia & patientia Domini, *Ex L. 10. ff. si servitus vindicetur.* Quia patientia scientis Domini secundum Leges est consensus interpretativus.

Dixi primò *realis*, quia servitus personalis ut ususfructus sine titulo non præscribitur tempore ordinario, quia à regula generali requirente titulum nullibi excipitur.

Dixi secundò *continuæ*, nam discontinuæ, seu discretæ, hoc est, cujus usus & actus fiunt per intervalla (ut sunt actus pendentes ab actione hominum, ut pecorum ductus, pastus, venatio, iter, quo nomine in jure venit jus ambulandi hominis, actus, id est, jus agendi, vel jumentum, vel vehiculum, via seu jus eundi, agendi & ambulandi) non datur præscriptio absque titulo, nisi tempore immemoriali fuerit talis servitus, ita docet praxis, quam passim tribunalia sequuntur apud Haunold. *n. 226.*

Quartò ut præscriptio longissimi temporis, nempe 30. aut 40. annorum valeat, non tenetur possessor ullum titulum allegare, aut probare, quia jus præsumit justum præcessisse ita *Cap. ad aures. de præscript.* & *L 4. Cod. de præscr. 30. aut 40. annorum.* Duo autem requiri ad han præscriptionem dixi in fine *numeri 177.*

## §. V.

## *De rebus præscriptionis incapacibus.*

179. Quarta conditio ad præscribendum necessaria est capacitas rei: unde cum favore legis humanæ sit introducta præscriptio, si lex humana aut altior aliquas eximit, illæ præscribi nequeunt.

Observat autem Less. *L. 2. c. 6. dub. 15.* duplicis generis esse res, quæ secundum jus dicuntur non posse præscribi: quædam quia tempore ordinario non usucapiuntur, ut res furtivæ, & vi possessæ § *furtivæ Instit. de usucap.* hæ enim licet à fure ob malam fidem nunquam præscribantur, uti nec à tertio tempore ordinario, bona etiam fide à fure eas accipiente, ab eodem tamen præscribuntur tempore longissimo, ita communiter Doctores *ex L. sient in rem Cod. de præscr.*

30. vel 40. annorum. Item res fisci nequit usucap. §. *res fisci Instit. eod.* attamen etiam bona jam fisco incorporata præscribuntur annis 40. *L. omnes Cod. de præscript. 30. vel 40. annorum.*

Aliæ autem sunt quæ nullo modo possunt præscribi ut sunt res publicæ seu publicis usibus deputatæ ut pontes, forum, via publica, limites Provinciarum, Episcopatuum, & Parochiarum, si sufficienter constet fines alios fuisse præfixos *Cap. super eo de Parochijs.* Extende primò ad ea, quæ cohærent finibus E. g. ad ripam fluminis terminantis Provinciam &c. *cit. c. super eo.* Extende secundo ad præscriptionem immemorialem Abb. in *Cit. Cap. 4. n. 1.* ob textus generalitatem, & rationem ob quam jus salubriter sic statuit nempe ad lites cavendas de finibus.

Dixi *si sufficienter constet*. nam in dubio est melior conditio possidentis Augustt. Michel *tom. 2 Theolog. Canonico-Moral. p. 1. tract. 1 §. 4. punct. 4. n. 15.* ubi notat cum aliis ripam fluminis limitantis posse præscribi, quoad proprietatem, modo sic inconcussa in ratione limitis. Immunitas à subditis contra Prælatum ne visitentur, vel ne tempore visitationis debita procuratio solvatur. *Cap. cum ea officio de præscript.* spectantia ad recognitionem supremæ potestatis, obedientia contra superiorem *Cap. cum non liceat eodem*, nec à laicis jus decimandi: *Cap. 15. de decimis & Cap. 7. de præscript.* (nisi forte tempore immemoriali jure præsumpti tituli *Cap. 1. de præscript. in 6.*) immunitas verò à solvendis cum titulo est præscriptibilis annis 40. Hinc passim consuetum est non dare decimas de fæno, herbis &c. & jura Episcopalia posse præscribi etiam à Prælatis inferioribus communiter docetur in Cap. inauditis 15. glossa verò jus Episcopale & Cap. cum olim 18. de præscript.

180. Est etiam regula, quod incapax possidendi sit etiam incapax præscribendi, unde laicus nequit præscribere Sacra loca, jus spirituale decimandi, jurisdictionem in personas Ecclesiasticas, vel bona Ecclesiæ *Cap. sacrosanct. de elect.* ubi reprobatur consuetudo contraria ut irrationabilis. *L. qui universas 30. ff. de acquirend. possess.* nisi ex privilegio Papali effectus sit capax jurisdictionis in Ecclesiasticos, aut juris spiritualis decimandi sive decimas Clericales colligendi, unde laicus &c. patronatum non præscribit, nisi possederit tempore exigito ad præsumendum probabiliter fuisse titulum à sede Apostolica concessum, Laym. *L. 3. tract. 1. c. 8. n. 7.*

Item nullus potest præscribere immunitatem à tributis ordinarijs contra Principem, quia his recognoscitur ejus potestas suprema.

Est etiam certa regula, quod nemo plus præscribat, quam possederit, unde vectigalis ex certis rebus non præscribit jus exigendi vectigal absolute, seu ex omnibus rebus Laym. *n. 6.* nisi ex uno actu præsumatur jus totius; exemplum ponit in jurisdictione, sic unico actu E. g. præsentandi Clericum ad Beneficium possessum 30. annis præsumitur totum jus patronatus.

Rursus recepta est regula, quod in rebus, & actibus meræ facultatis, id est, per liberos ac citra obligationem factos præscriptio non introducatur: unde ex

eo,

eo, quod Dominus intermiserit à me exigere certa servitia, &c. hic non præscribit (sæpe tamen potest præsumi quod Dominus juri renuntiet, non exigendo tempore, quo fuit opportunitas exigendi, unde ab eo tempore facile potest possessio immunitatis inchoari, sicut etiam est præsumptio pro exemptione eorum, à quibus non fit exactio, dum interea fit ab alijs Laym. *num. 8.* in fine) uti neque contra Vicinum præscribitur, quod E. g. hucusque nunquam domum altius ædificaverit; quia omissio fuit spontanea: quapropter potest imposterum attollere, nisi aliquando ædificare volenti vicinus obstiterit, & is ab hac ædificatione destiterit.

Insuper est Regula communis, quod res jure inalienabiles etiam sint regulariter impræscribiles defectu justi tituli: quo pertinent res pupilli, & minorennis incapaces præscriptionis intra longum tempus *L. 3. cod. quibus non objicitur longi temporis præscriptio* secus intra longissimum inchoandum à tempore finitæ ætatis pupillaris *L. 3. Cod. de præscript. 30. annorum.* Eodem spectant res dotales, nisi præscriptio sit inchoata antequam fuerint dotales: item res fideicommissæ subjectæ, censent tamen Doctores non excludi temporis longissimi præscriptionem, quia sermo tantum est de tempore longo. Idem dic de Legatis contra Legatarium Haunold. *tract. 5. n. 363.*

181. Cum annuæ præstationes v. g. decimæ quotannis solvendæ præscribi possint *per num. 179.* quæstio est tam in foro, quam in scholis difficilis, an id procedat duntaxat de præteritis jam cessis, seu illis a quibus jam anni triginta elapsi sunt, vel etiam quoad futuras præstationes, seu an ipsa etiam obligatio solvendi in futurum post elapsum tempus longissimum sit præscripta v. g. bonâ fide non solvisti decimas 50. annis, quæritur an præscripseris solùm decimas primo, & ultimo decennio insolutas (utrasque præscriptas esse certum est, quia respectu utriusque decennij sunt elapsi 40. anni) vel verò etiam intermedijs 30. annis non datas, quia respectu horum nondum est completum tempus 40. annorum.

Hoc secundùm negant multi, & affirmant primum ob *L. cum notissimi §. fin. Cod. de præscriptionibus 30. annorum, in obligationibus inquit, quæ dationem per singulos annos vel menses, vel aliquod singulare tempus continent, præscriptionis tempus non ab exordio obligationis, sed ab initio cujusque anni, vel mensis computari manifestum est*, ita Ludovic. Engel ad *lib. 3. decretalium titulo 30. §. 9. n. 47.* cum alijs. Hi itaque putant sensum esse, quod duæ quasi diversæ præscriptiones concurrant, una, quâ præscribitur principali, & generali obligationi respectu omnium præstationum annuarum (hæc præscriptio est computanda, qua primitus cessatum est à solutione *L. penult. C. de præscript. 30. annor.*) altera qua præscribitur obligationi speciali solvendi E. g. decimas vel legata annis singulis; hæc præscriptio est computanda ab annis, vel mensibus singulis, quia tot censentur esse v. g. legata (si quot annis certum legatum est solvendum) quod sunt anni vel menses, ergo singulis annis inchoatur novi legati præscriptio.

Alij cum Martino glossatore in dictam legem concedunt præscriptam præteritarum decimarum, post quas sunt la-

pſi anni 40. Secus præſcriptionem obligationis ſolvendi futuras apud Fachinæum. *Lib. 8. c. 9.* Mynſing. *Cent. 3. Obſervat. 13.* Gaill. *Lib. 2. Obſerv. 73.*

Alij ſecuti veterem gloſſatorem Joannem in eandem legem diſtinguunt inter penſiones debitas ex ſtipulatione aut alio contractu oneroſo affirmantes totum jus etiam pro futuris præſtationibus unicâ præſcriptione in illis amitti, quia annuus redditus inquiunt, ex tali contractu quæſitus eſt unus, neganter verò in legatis annuis, & fideicommiſſis, eo quod legatum annuum non ſit unum, ſed multiplex, ergo præſcriptio unius anni non præſcribit legatum alterius anni. Contra hanc diſtinctionem eſt expreſſus textus *L. 7. § fin. Cod. de præſcription. 30. annorum.* Ubi parificantur præſtationes ex ultimis voluntatibus debitæ, cum debitis ex contractu relate ad præſcriptionem.

Ob hæc Chriſtophorus Chlingenſperger *in Diſput. juridic. de jure Emphyteutic. Aſſert. 35.* loquens de Emphyteuta 30. vel 40. annis non ſolvente canonem ſe tueri non poſſe titulo præſcriptionis, quia fuit in mala fide *cap. fin. de præſcription.* ècontra extraneus rem Emphyteuticam bona fide ut ſuam poſſidens præſcribit ipſum Dominiumdi rectum, proinde in conſequentiam etiam penſionem *L. eos Cod. de uſur.* Ampliat citatus Doctor contra Fachinæum ad hæredem primi Emphyteutæ in bona fide non ſolventem ita ut præſcribat penſiones etiam annuas futuras. Deciſio hæc eſt conformis juri communi canonico *c. 4. & 6. de præſcript.* Ubi eſt ſtatutum non ſolum jus quartæ quotannis Epiſcopo ſolvendæ 40. annis præſcribi, ſed univerſim etiam jus decimarum tot annis non ſolutarum extingui, ergo etiam ſecundum jus civile hoc tenendum eſt, cum hoc ab illo clare deciſa non dedignetur ſequi *C. 1. de novi operis nuntiatione.* Quando Juſtinianus in ejusmodi annuis obligationibus voluit tempora præſcriptionis computari ab initio cujuslibet anni, non eſt ſenſus totidem eſſe præſcriptiones, ſed unicam, & hanc non vult currere ab initio obligationis, ſed ab eo anno, vel menſe, quo ſolutio facta non eſt Haunold. *num. 360. Reſp.* Cum communiore Legiſtarum apud Haunol. *n 358.* immunitatem à ſolvendis annuis cenſibus, & redditibus ſpatio 30. annorum non ſolum quoad fructus ceſſos, ſed etiam quoad futuros ex quovis contractu ſive oneroſo ſive etiã legato, aut fidei cõmiſſo debitos præſcribi. Ratio prima eſt à paritate immunitatis ſolvendi decimas, quæ cum titulo 40. annis præſcribitur per *numerum 179.* per hoc enim nullum jus ſpeciale præſcribitur, ſed ſolum poteſtas fructus ſuos integros percipiendi, ergo reliqui cenſus annis 30.; ad horum enim præſcriptionem non requirit jus annos 40. ſicut ad præſcriptionem ſolutionis decimarum. Ratio ſecunda eſt *cit. cap. 4. & 6. de præſcript.*

Contra hanc ſolutionem non eſt citata lex *cum notiſſimi* cujus interpretatio eſt optima relata ex Haunold. verſu immediate ſuperiori.

§. VI.

## §. VI.

## *Resolvuntur Sex quæsita de quibusdam rebus an sint impræscriptibiles?*

RESolutiones vide *à num. 454.*

## §. VII.

## *An jus Patronatûs & jus supremæ Advocatiæ in Ecclesias adversus Principem præscribi possit? & an vicissim valeat præscribere Princeps jus eligendi aut nominandi Episcopos, aliósve Rectores Ecclesiarum in suo territorio.*

QUæstio resolvitur *á num. 463.*

## §. VIII.

## *Examinantur jura à Patronis & Advocatis moderno tempore prætensa.*

EXamen horum leges *à num. 468.*

## §. IX.

## *Quanto tempore possessio continuanda ad præscribendum, ubi obiter insinuantur privilegia possessionis immemorialis.*

182. RES aliæ sunt mobiles, quæ loco possunt moveri, ut pecunia, vestis, animalia, proinde etiam actiones, & jura ad mobilia v. g. actio ad debitum pecuniarium mobilibus accensentur. Aliæ sunt immobiles, ut prædia, quo reducuntur jura, & actiones ad immobilia, ut annui census, ususfructûs, patronatus, servitutes, beneficia, omnia enim hæc, & similia sunt fixa.

Tem-

Tempus est, aut breve, quale est infra decennium, aut longum ut decennale, aut longissimum ut tricennale, aut quadragenale, aut centenarium, vel immemoriale, id est, cujus initium memoriam hominum excedit. *C. super quibusdam 26 de V. S.* quale tunc potissimum requiritur, quando jus resistit præscribenti carenti titulo: est maximæ Authoritatis in jure habens vim privilegij in subjecto possessionis capaci: Glossa *in dictum cap.* nec comprehendetur statuto, vel lege Generalibus verbis prohibente præscribi. Munitus possessione immemoriali non tenetur allegare titulum, cujus tamen allegatio plene non probata communiter non obest (nihil tamen juvat, quando constat de titulo vitiosæ possessionis, ut si possideat titulo elocationis, aut Emphyteusis, tunc enim possidentis titulus docet rem esse alienam, proinde abesse bonam fidem, cujus necessitas etiam in possessione immemoriali liquet *ex n. 171.* Fachin. *Lib. 8. c. 33.*) uti nec quod jus commune resistat, aut sit vehemens præsumptio possessionem acquisitam esse malâ fide, aut ex juris errore; sed sufficit probare possessionem ab immemoriali tempore: quia satis inducit præsumptionem tituli, aut accepti privilegij Laym. *Lib. 3. tract. 1. c. 8. à n. 11.*

Ad eam probandam communiter exiguntur 4. conditiones prima ut testes sint 54. annorum testificantes de 40. annis. Secunda, ut testentur de visu, vel sensu proprio. Tertia, quod etiam audiverint à suis majoribus de tali usu. Quarta quod nunquam contrarium fuerit practicatum.

Circa computandum tempus Haunold. *n. 267.* distinguit inter præscriptionem extinctivam actionum realium, & præscriptionem contra actiones personales, quibus ex parte præscribentis correspondent obligationes; ut contra has præscribatur, computandum est tempus de hora ad horam, de momento ad momentum proinde actori debet esse totus dies utilis, quia donec effluxerit ultimum momentum, si intra id agat, verificatur, quod si actio sit E. g. annualis, agat intra annum; ad præscribendum verò contra reales sufficit inchoatio ultimæ diei, habetur enim tunc jam pro completa, nam secundum leges prior Dominus non habet actionem in rem, nisi sub hac conditione, *si alius Possessor non possederit tanto tempore*, sed verificatur possedisse tanto, dummodo possederit sub principium postremæ diei, & sub hac distinctione combinat leges sibi apparenter oppositas in usucapione, id est, in præscriptione mobilium dies ultimus cæptus habetur pro completo *L. 6. Cod. de usucap.* at in præscriptione immobilium tempus computatur de momento in momentum *L. 7. c. Cod.* Rationem dat Jason, quod de majori præjudicio agatur in immobilium præscriptione.

183. Dico primò possessio triennalis cum titulo præscribit res privatorum mobiles *L. unic. Cod. de usucap. transformanda*, & §. *1. Instit. de usucap.* Excipe res furtivas, & vi possessas per *n. 179.* Triennalis verò sine titulo, quia etiam immobiles sic præscribuntur.

Amplia probabilius etiam ad mobilia Ecclesiarum inferiorum Romanâ secundum jus civile *ex Authentic. quales actiones Cod. de sacros. Eccles.* Lessius, Laym. contra Abbatem, aliósque approbatos ab Engl. *de præscript. n. 28.* innitens

tentes *Capitulo illud de præscript.* non distinguente mobilia, & immobilia Ecclesiarum. Constitutio autem civilis allegata circa Ecclesias sit inefficax *Cap. Ecclesia S. MARIÆ de Constitutionibus*, sed fallit argumentum, quando jus civile recipitur ab Ecclesia, citatam autem authenticam recipi ab Ecclesia constat *ex Cap. placuit huic, & cap. ultim. caus 16. q. 3.* Ubi in priori recitantur verba authenticæ, eáque in posteriori confirmantur.

184. Dico secundò immobilia privatorum inter præsentes cum titulo præscribuntur decennio, inter absentes vicennio § *10. Instit. de usucap.* & *L. ultim. Cod. de præscript. longi temporis* (excipiuntur res pupillorum, minorennium, dotales, fideicommisso subjectæ *per num. 180.*) sine titulo 30. annis *L. 3. Cod. de præscript. 30. vel 40. annorum*, sine distinctione inter præsentes, & absentes Engl *n. 29.* si quis fuit partim præsens, partim absens, tempus absentiæ est semper duplicandum, ut si quis præsens fuit 8. & absens duobus, & præscriptio compleatur præter 8. adhuc 4. requiruntur, *Auth. quod si quis Cod. de præscriptione longi temporis.*

185. Dico tertiò immobilia Ecclesiæ, Monasterij, hospitalis, aut alterius piæ causæ secundum jus commune non præscribuntur ante 40. annos *excit. Authent. quas actiones*, & *c. 4. ac 6. de præscription.*

Excipe Romanam Ecclesiam contra quam non currit præscriptio, nisi centenaria *cit. c. 4. & 13. eod.* in quibus, quia sermo est indefinitus, sunt universaliter intelligenda, proinde etiam de mobilibus, ita Haunold. *n. 271.* Molin. &c. Contra Less. Banormit. à Regula centenariæ præscriptionis contra Romanam Ecclesiam unicus casus excipitur *in cap. fin. de præscript. in 6.* Ubi statuitur sufficere possessionem 40. annorum.

Sequitur ex conclusione: jus Patronatûs contra Ecclesiam præscribi cum titulo 40. annis, sine titulo immemoriali tempore: at contra verum Patronum præscribitur sicut reliqua immobilia præscribi solent, ita Less. *c. 2. c. 6. dub. 10. n. 31. & 33.*

Dixi in conclus *secundum jus commune*: quia contra certos Ordines ex privilegio non præscribitur 40. annis, sed 60. ut contra Benedictinos, ita Eugenius IV. neque contra Cistercienses in Germania, nisi centum annis, quod à Leone X. & Pio IV. est extensum ad Ordines mendicantes, eóque gaudent omnes in privilegijs communicantes: Lugo *n. 73.*

186. Dico quartò, cum servitus (de qua vide *n. 176.*) reputetur inter immobilia, si sit continua, cum titulo præscribitur inter præsentes decennio, inter absentes vicennio. *L. fin. Cod. de præscript. longi temporis*, imò etiam sine titulo præscribi eam longo tempore habetur *L. 10. ff. si servitus vindicetur.* Cur alia immobilia non præscribantur sine titulo ante absolutum longissimum tempus, dat disparitatem Haunold. *num. 307.* quod præscriptio servitutum non videatur multùm præjudiciosa, utpote non tollens Dominium, & facilius præsumatur aliquis titulus, vel error invincibilis interveniisse. Servitutes autem discontinuum habentes actum cum titulo præscribuntur etiam longo tempore, secus absque titulo, nisi tempore immemoriali Haunold. *à n. 311.*

cùm recepta sententia potiùs authoritate, quàm jure scripto roborata.

Excipitur ab his servitutibus ususfructus, qui præscribitur more cæterorum immobilium, Haunold. *num. 315.* censens probabilius esse usumfructum mobilium cum titulo præscribi triennio, sicut res cæteræ mobiles præscribuntur.

Quanto tempore præscribatur contra legem, tam civilem quàm Ecclesiasticam, ac legitimam consuetudinem vide Lugo *n. 96.* ubi contra Lessium tradit præscribi decennio, etsi mala fide non fuerit observata: quia si bona fides esset necessaria ad desuetudinem, vix unquam lex præscribi posset; unde est præsumendum, quòd legislator, cùm lex sit propter bonum subditorum, non in eorundem laqueum, nolit ampliùs inesse legi vim obligandi elapso decennio, è contra si fides mala sufficeret ad præscriptionem temporalium, plurimi innocenter sua amitterent, & sic est disparitas.

187. Dico quintò: Præter tempus à jure definitum ad præscriptionem requiritur, ut possessio sit legitima, id est, non interrupta *per. n. 166.*: interrumpitur autem naturaliter, vel civiliter; naturaliter, quando postquam est inchoata, deficit aliquid substantiale, scilicet bona fides, vel titulus, vel admittitur possessio tam naturalis quam civilis non per alterius injuriam; civilis verò, dum nihil substantiale reipsa deficit, juris tamen subtilitate, & fictione Possessor interpellatur per actum aliquem juridicum ex legis dispositione inductivum interruptiones, ut fit per litis contestationem (hæc est initium, seu primus litis motus per petitionem unius in jure propositam, & congruam alterius responsionem secutam animo litigandi) vel etiam secundum communiorem sententiam per libelli oblationem, vel citationem, si tamen actor succubuerit, vel litem sponte deserit præscriptio non interrumpitur: semel naturaliter interrupta de novo est inchoanda, uti, & civiliter interrupta per sententiam condemnatoriam.

# ARTICVLVS SECVNDVS.

## *De acquirendo Dominio per publicam Authoritatem.*

188. INter actus Dominij translativos est etiam exactio tributorum ob publicas necessitates, & supremi Principis sustentationem. Ubi Notandum primò, quòd tributum communi nomine significet, quidquid Principi, vel reipublicæ ad communia onera sustentanda solvi solet: propriè loquendo tributum differt à vectigali, quod tributum sit pensio imposita juxta cujusvis subditi facultates, præsertim prædiales ad Principis dignitatem, vel communia o-

nera

nera sufferenda. Germani apud Gailium *Lib. 2. observ. 52. steuram* vocant. *Vectigal.* autem propriè significat pensionem pro rebus in urbem, aut provinciam importabilibus, aut inde exportabilibus, in jure dicitur *porterium*, & *telonium*; id autem, quod transeuntes per viam solvunt pro custodia viarum, & pontium dicitur *pedagium*. Cæterùm ex usu Vectigal significat secundum Bartholum, quidquid fisco præstatur, sive illud onus sit reale, id est, annexum rebus, sive personale, quod ratione personæ solvitur, & vocatur census. Hoc genus tributi jura vocant *Capitationem*, quia per capita solvitur. Denique hìc sub nomine tributi, aut Vectigalis complectimur omnes publicas exactiones, quocúnque alio nomine intitulentur v. g. taliarum, gabellarum, collectarum præstationum, accisarum, Gabellarum, cauponariarum, has vocant in partibus istis dacias pro educillo vini solvendas.

Notandum Secundò assertum quorundam juristarum, quod Imperator sit proprietarius totius mundi esse falsissimum, ut patet *ex Regum 3. c. 21.* Ubi Rex Achab petijt sibi vendi vineam à Naboth. ab hoc inexauditus eam reliquit Possessori Wading. *de contract. Disp. 9. dub. 3. §. 1.*

Notandum tertiò Principem in certis casibus posse disponere de bonis subditorum ita exigente bono communi titulo Dominij jurisdictionis *per num. 4.* Wading. duplicem distinguit in Principe potestatem, nempe Ordinariam, & absolutam, primam exercet secundum leges procedendo; Secundam non secundum, sed quasi supra leges, seu ex plenitudine potestatis: hæc potestas non est præsumenda, nisi clausula sit adjecta *ex certa scientia* & rescripto inserta indicans præsumptionem plenitudinis potestatis, Gloss. *in cap. ad hæc de rescriptis*, unde cum pro arbitrio non possit tollere subditorum jura, sequitur ut valide, aut licite exerceat eam opus esse causâ magnæ publicæ utilitatis.

Notandum quartò quod Princeps aufferens rem privati ex publicæ necessitatis, aut utilitatis causa debeat jacturam compensare: subtractio enim pretij non est necessaria ad gubernationem, seu ut civis careat re suâ, & pretio, prout est necessaria ablatio Dominij, aliàs justitia distributiva non oneraret proportionatè subditos, ita Wading. *cit. n. 7.* ex communi cum Bald. Jasone, &c. compensatio autem debet fieri ex ærario publico, hoc non sufficiente debet populo imponi collecta, ex qua satisfiat.

Ex his evidenter sequitur ob utilitatem privatam Principem non posse subditos spoliare Dominio, aliàs esset proprietarius bonorum civium; quare ut justæ sint exactiones necesse est, ut interveniat publica, aut utilitas (ut si domus civis est necessaria pro publicis Scholis aut Ecclesia, &c.) aut necessitas. Sit itáque,

## §. I.

## *De conditionibus necessarijs ad Justitiam exactionum.*

189. UT justa sit tributorum exactio, sequentes communiter requirunt Doctores conditiones. Prima est Authoritas legitima, qualem habet omnis Princeps superiorem non agnoscens, ut Pontifex (unde ut hic sustineat onera Apostolicæ Cameræ jam olim imposuit pensiones novis Prælatis, quas Annatas vocant, id est, fructus anni primi aut integros aut Medios, huc spectant quindennia, sive quindenæ, id est, dimidia pars fructuum eidem Cameræ singulis annis quindecim solvenda de quibusdam beneficijs unitis Monasterio, aut ex privilegio singulari liberatis à reservatione.) aut alius sæcularis Princeps: nullus alius secluso privilegio, aut immemoriali consuetudine potest tributa exigere *L. 1. 2. & 3. Cod. Vectigalia nova.*

Secunda est Justitiæ causæ omnis autem causa justa reducitur ad publicam utilitatem, aut necessitatem, nempe, ut vel Princeps excluso immoderato luxu alatur, aut pro defensione patriæ contra hostes. Hinc cessante causa novæ contributionis, etiam hæc secundum omnes cassanda est, nisi nova par priori emerserit, aliàs tributum est injustum & restituendum, aut reservandum in tempus necessitatis Molin. *Disput. 667.*

190. Tertiò ut servetur æqualitas geometrica, hoc est, sit commensuratum facultatibus subditorum, proinde non æqualiter omnes, sed plus, aut minus secundum excessum, aut defectum facultatum tributum imponatur singulis. Ex hoc plures cum Cajetano deducunt injustum esse tributum impositum rebus ad proprium usum emptis, vel delatis, nisi deferens sit Negotiator: quia sic plus pauperes, utpote pluribus egentes, quam divites solvere deberent, quod est iniquum. Unde Mendo *in Epitome opinionum V. Gabellæ n. 5.* negat solvi debere Gabellas in conscientia à venditore, ut suas strictas necessitates sublevet, secus ut conservet qualitatem statûs.

Nihilominus impositio Vectigalis de rebus etiam ad usum proprium emptis, aut venditis, dum tributum negotiationis causa impositum rebus ad usum quotidianum necessarijs non sufficit, est justa secundum veriorem sententiam Molinæ *Disput. 669.* æquitas tamen naturalis, inquit Laym. *L. 3. tract. 3. p. 1. c. 3. n. 3.* non sinit ut solvatur à pauperibus ementibus aliqua præcisè ad sublevandam suam, suorúmque inopiam. Ratio, quia nulli opponitur juri; non naturali, quia falsum est pauperes gravari amplius, quam

quam divites per se loquendo, nam hi ob lautiorem vitam plures res habent sibi necessarias comparandas, quam pauperes: non etiam opponitur juri Canonico *C. quanquam de censib. in 6. & C. invocamus de censib.* nam non improbat in locis ab Authoribus allatis vectigal ratione materiæ, sed defectu legitimæ Authoritatis.

Quarta imbibita in prima est, ut tributum non exigatur à personis, nisi à quibus jure potest exigi: quapropter directè solum potest imponi subditis, indirecte autem extraneis invehentibus, aut evehentibus merces propter jus exercendi mercimonia, viarum reparationem &c. imò hoc ipsum ultimatim redundat in subditos, qui debent merces carius emere propter solutum Vectigal.

## §. II.

## *An? & quando Princeps possit novas exactiones imponere?*

191. DIxi *novas:* quia vetera tributa realia, seu rebus imposita ad Principis sustentationem necessaria justa esse, eaque pendenda constat ex Rom. 13. *ideo & tributa præstatis, Ministri enim Dei sunt, reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal,* & Matth. 12. *reddite ergo quæ sunt Cæsaris,* Cæsari &c. tum ratione, quod sint velut debita laboribus merces.

Dico primò Princeps dubius de justitia tributi, aut habens solum opinionem probabilem pro ejus Justitia, probabiliorem verò pro injustitia nequit imponere. Ratio primi, quod juri certo, quod habend subditi in pecuniam, nequeat dubium jus Principis prævalere, sed quando tributi justitia est dubia, jus Principis est incertum, jus verò subditorum in pecuniam est certum, ergo.

Ratio secundi cum Moja *tract 1. de opinione probabili q. 7.* Vasq. Laym. contra plurimos est hæc: quod in spectantibus ad justitiam commutativam judex debeat sequi opinionem probabiliorem relicta probabili (nisi lex contrarium disponat) nam sequens ordine secunda propositio est damnata ab Innocent. XI. *Probabiliter existimo Judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem,* sed tributa sunt materia justitiæ commutativæ, cum dentur titulo sustentandi Principem, & onera communia eorumque Dominium antequam pendantur, est penes subditos, ergo dum horum jus est probabilius, nequit contra hoc pronuntiari pro Principe habente jus minus probabile.

192. Dico secundò justa est tributorum exactio stantibus quatuor conditionibus explicatis *à. n. 189.* Ratio: quia tunc est jus certum in Principe ea exigendi.

Quæritur an dictæ Conditiones sint observandæ etiam in tributis imponendis Provinciæ justo bello subjugatæ, aut subditis injustè rebellantibus, vel graviter in Principem Reis? *Resp.* Cum Wadin-

go *Disput. 9. dub. 3. §. 2. n. 5.* cum Less. *lib. 2. c. 33. n. 49.* Lug. *D. 36. n. 22. &c.* negativè, nisi pactus sit Princeps libertatem relicto antiquo jure, quia tunc vetus jus observandum; Ratio autem responsi est, quia victi justo bello cedunt Dominio victoris cum omnibus suis rebus, & libertatibus, sed cum talibus potest pro libitu disponere, ergo à fortiori etiam absque publica necessitate tributum etiam perpetuum imponere partim titulo justæ vindictæ, partim ut rasarciat damnum sumptum belli. Hinc videtur promanâsse illa servitutis species in pluribus Provincijs consueta, in quibus Coloni, & Agricolæ non habent perfectam libertatem.

193. Ex his infertur primò, quando hostis injustè aggreditur aliquam Principis Provinciam, justè indicit tributum alijs suæ ditionis Provincijs, hosti nunc non expositis ad repellendum hostem, quia hæc contributio est utilis etiam Provincijs ab hoste liberis, siquidem, nisi hostem rejiciat, erit debilior etiam in Provincijs pacificis, in quibus postea pateretur hostem cum graviore jactura, quam sit præsens contributio, Lugo *Disp. 36. n. 36.*

Infero secundò etsi Principis bellum offensivum esset justum, nempe ut recuperet Provincias olim ereptas, ut hoc queat suscipere, non videtur posse gravare Populum novis exactionibus, contributionibus, nisi evidens sit necessitas, aut utilitas speretur proventura Provincijs Cit, Wading. *n. 2.* Ratio: Extra Casum necessitatis aut publicæ utilitatis tributum non est Regni, sed Regis utilitas per adjectionem novorum ambientis, ut evadat ditior, & potentior, quare Princeps tunc propriis sumptibus bellare debet, potest tamen petere à Provincijs subsidia voluntaria, non autem cogere.

Infero tertiò Ad bellum justum defensivum justè collectari subditos in defectu ærarij publici. Si imminet ab hoste fidei periculum, quamdiu spes est non succumbendi non solùm bona, sed etiam vita ipsa à singulis est exponenda, quia Religionis bonum prævalet; si extraordinarium tributum non sufficit: Princeps potest mutuum accipere, & ad id expungendum cives cogere, nempe quando à miseriis subditi respirabunt, ita Wadingus *n. 3. & 4.*

## §. III.

## *An tributorum, Vectigalium & exactionum leges obligent in conscientia?.*

194. Quæstio movetur primò quando tributum est justum, secundò quando ejus justitia est solum probabilis.

Tertiò, quando est dubia, ubi supponendum esse de fide, aut saltem fidei proximum, quod etiam Princeps sæcularis possit leges condere in conscientia, & sub mortali obligantes, ex. *c. 13. ad Rom. omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit; non enim est potestas, nisi à Deo, itaque qui resistit potestati DEI ordinationi resistit, qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.*

Ut

Ut autem Lex humana obliget sub mortali, requiritur, ut materia accepta cum omnibus circumstantijs præsertim fine, & conducentiâ ad bonum publicum consideratis, sit gravis, ac insuper legislator intendat graviter obligare; est enim communior, & probabilior Sententia Soarez contra Vasq. in materia gravi ex sola legislatoris voluntate posse induci obligationem levem. Actus enim agentium non operantur ultra eorum intentionem *Cap. final. De præbendis & dignitatibus*, patetque in praxi plurium Religionum, in quibus variæ Regulæ continentes materiam sufficientem pro mortali, sub hoc non obligant.

Signa porrò, an Legislator intendat obligare graviter, sunt: Primò, si lex ipsa tantum reatum exprimat, aut ex communi Doctorum, aut hominum existimatione id constet. Secundò si in materia gravi utatur præceptivis verbis v. g. *præcipimus, mandamus, jubemus, inhibemus, vetamus, teneantur &c.* ( Secûs sequentia secundùm se accepta, *volumus, decernimus, ordinamus, statuimus, sancimus* &c. ) Tertiò: si violatoribus lex infligat gravem pœnam, Verùm hic opus est distinctione de pœna spirituali, & excommunicationis majoris latæ sententiæ: talem enim lex imponens, etsi non utatur verbis præceptivis nihilominus obligare in conscientia est certa Sententia apud Amicum *hic Disput. 5. n. 213.* privat enim hominem coram Deo aliquo spirituali bono, ergo culpam coram DEO facientem illum indignum tali bono supponit.

An autem etiam pœna gravis temporalis v.g. mortis, confiscationis bonorum sit indicium directæ obligationis in conscientia, vi legis pure pœnalis non est certum: communis quidem affirmat cum Lessio *Lib. 2. c. 33. à n. 59.* Suar. Vasq. quia pœna proportionatur culpæ. Alij negant cum Reginaldo, apud Dian. *p. 1. tr. de Legib. Resol. 17. & seq.* quia si directè lex purè pœnalis obligaret ad actum præceptum, aut prohibitum, jam non esset purè pœnalis sed mixta, quales leges ex Ecclasiasticis sunt illæ, quibus feruntur censuræ, & irregularitas ex delicto Laym. *L. 1: tract. 4. c. 15. n. 2.* dicitur autem Lex mixta, quæ obligat tam sub culpa, quam sub pœna. Cæterum est sententia ferè ab omnibus recepta apud Amicum, *n. 182.* contra Cajetanum, quod Lex etiam purè pœnalis obliget mediatè sub culpa, quatenus suppositâ violatione obligat ad pœnæ acceptationem, aliàs lex foret inefficax.

Difficultas itaque est, an leges imponentes vectigalia sint, purè pœnales, vel verò immediatè obligantes in conscientia ad vectigalia etiam non exacta danda? obligare in conscientia est communior Theologorum, & Canonistarum, Wiest. *de censib. n. 82.* Engel. de *Constit. n. 45.* negativam non esse improbabilem censent multi apud Caspensem *Tom. 1. de legibus Disput. 3. n. 43.* docentem in praxi esse tutam hanc sententiam Bass. *to. 1. Verb. Gabella n. 4. & 5. Navar. Summæ c. 23. à n. 54. & 60.* Less. *lib. 2. c. 33. n. 55. & seq.* &c. Leges enim civiles, nisi oppositum aliunde constet certò videntur esse contentæ pœnâ. Unde Tambur. *L 1. in Decal. c. 3 §. 8. n. 12.* ait leges civiles defacto raro, vel certè non frequenter obligare sub mortali: Cardenas *Cris. Theol. Disput 16. n. 68.* Scribit ut plurimum esse leges pœnales.

195. Di-

195. Dico subditos obligari in conscientia solvere tributa etiam non exacta. Primò, quando constat de eorum Justitia: Secundò quando non constat de tributi injustitia positivè, imò etsi positivè sit justitia tributi strictè dubia, aut etiam utrinque æquè probabilis justitia, & injustitia; secùs si constet evidenter esse imposita secundum Sententiam minus probabilem, hæc pars sequitur ex *n. 291.* Pars prima probatur: tum ex scriptura relata *n. 191.* tum ratione, quod ejusmodi tributa justa debeantur Principi ex pacto oneroso, & reciproco, nempe aut titulo alendi ipsum, aut succurendi publicis necessitatibus, utrique titulo est obligatio satisfaciendi ex pacto oneroso, vi cujus Princeps spondet se, suamque operam impensurum, pro conservatione boni communis, subditi verò promittunt necessarios sumptus.

Pars secunda probatur, & simul confirmatur prima contra Lugo *Disput. 36. n. 89.* & communiorem, ubi est jus certum exigendi tributum, ibi est obligatio certa id solvendi in conscientia, uti liquet ex definitione juris, sed quamdiu subditis non constat de injustitia tributi, est in Principe jus certum id exigendi, eo quod tunc stet præsumptio pro Principe: quia malum non est præsumendum, sed probandum Laym. *L. 1. tract. 1. c. 5. §. 2. n. 12.* atqui quamdiu stat præsumptio pro Principe, est in hoc jus certum exigendi.

Pars tertia de justitia tributi strictè dubia (nempe quando intellectus ob rationes utrinque repugnantes hæret suspensus impotens formandi judicium pro alterutra parte) tum quarta de æquè probabili justitia, ac injustitia probatur: adhuc enim stat præsumptio pro Principe, nec potest spoliari jure certo exigendi ob probabilitatem injustitiæ præcise. Pars utraque est Vasq. contra Lugo *n. 91.*

196. Objicies contra quartam partem, quando tributum est probabiliter injustum, est probabile, quod Princeps nequeat id præcipere; Certum enim est quod jurisdictio se non extendat ad præcipienda illicita; sed quando probabile est Principem non posse præcipere tributum, probabile est subditos non teneri obedire solvendo tributum, ergo. Minor probatur: quando probabile est non posse præcipi tributum, datur opinio probabilis deobligans subditos ab obedientia, sed stante tali opinione probabili, subditi non tenentur obedire solvendo tributum, *Resp.* Primò argumentum probare nimium, nempe quod nec posset præcipi tributum, quando probabilior est ejus justitia.

*Resp.* Secundò nego majorem dummodo tributum sit probabilius justum. Ad probationem dico posse præcipi actum ex principijs directis illicitum, ac injustum, ut hic exactionem tributi quando ex Principijs reflexis est evidenter justa, ac licita, qualis est in nostro casu, dum ex principijs directis est probabilior ejus justitia, tunc enim intellectus se reflectens supra opinionem directam probabiliorem de justitia tributi, evidenter dictat esse licitum usum talis opinionis utpote conformem prudenti dictamini: Sic discussâ majore nego minorem. Ad hujus probationem nego majorem, quia quando ex principijs reflexis est evidenter licitum tributum, datur certa jurisdictio in Principe id præcipiendi, cum qua certitudine repugnat stare opinionem deobligantem subditos solvere tributum.

§. IV.

## §. IV.

## *Quid in praxi Sentiendum?*

197. CEnseo primò posse esse singulas tributorum species justas, earum tamen accumulationem in Provincia aut Civitate posse esse iniquam, nempe quando subditi ut loquitur Wiest. *de censib. n. 65.* ad extremam inopiam redigantur, aut excedunt moralem facultatem subditorum, qualia sunt, quorum gravamen periti Provinciarum Consiliarij censent populum sufferre non posse, unde cum similes magis nôrint vires populi, quàm Theologi; magis pendet justitia tributi ab eorum, quam Theologorum judicio, Thomas del Bene *Mor. tract. 6. c. 4. dub. 11*

Censeo secundò, Pauperes defraudantes tributa de rebus ad usum quotidianum emptis, vel venditis ad necessitates suas sublevandas, non esse facilè damnandos peccati mortalis, nec obligandos restituere ex prudenter præsumpto Principis consensu. Ita Lug. *Disp. 36. n. 27.* Less. *n. 62.*

Censeo tertiò: quando viri docti probabiliter judicant aliquod genus tributi esse injustum, etsi alij stent pro justitia ante factum, Confessarij conentur pœnitentes inclinare ad solutionem, ita tamen, ut defraudantibus non acquiescentibus negare non possint absolutionem, quia sequentes Sententiam multorum probabilem cum Lugo. Less. &c. sunt rite dispositi. Unde Mendo *in Epitome opin. V. Gabellæ n. 12.* ita universaliter scribit, esto subditi defraudantes gabellas justas obligentur ad restitutionem, verum quia non pauci Doctissimi viri oppositum asserunt, poterit confessarius minus rigidè se habere cum pœnitente, qui gabellas non solverit, ita ut cum mediocri causa possit eum à restituendo vel in toto vel in parte exonerare, maximè si durum, aut dubiè justum sit tributum. Nec est negligenda Wadingi monitio *Disp. 9. dub. 6. §. 1. n. 4.* quod quando plura diversis rebus Vectigalia imponuntur, creberrimè non servetur debita proportio, & multi graventur ultra vires facultatum suarum, unde fit, ut Vectigal, etsi in se sit justum, distributio tamen non sit justa, quo in casu Princeps non censetur cum tanto rigore procedere, ut tales cogantur in conscientia Vectigal torum pendere, quod respectu eorum quoad quantitatis excessum sit iniquum, præsertim cum ex defraudatione non ita magnum damnum inferatur, quia ob tot invigilantes Officiales facilè deprehenduntur plures, ex quorum confiscatione resarcitur jactura ab alijs defraudantibus illata.

Hæc procedunt etiam de publicanis, seu Vectigalia à Principe conducentibus, quia non plus juris acquirunt, quam habuerit Princeps, & apprimè sciunt praxes

Mercatorum: Unde hoc titulo eis non sit major injuria, quam Principi elocanti, ita ait, Wading. ex communi.

Censeo quartò cum Molin. *Disp. 674.* post defraudatum telonium etiam exactum, etsi interveniſſet mendacium, aut perjurium in occultandis mercibus (proinde peccâſſet in primo caſu contra veracitatem in ſecundo mortaliter contra religionem) Si pœnitens ſibi certo, aut probabiliter perſuadet in tanta exactionum multitudine eſſe aliquam iniquam, quam ipſe ſolvit, aut earum multitudinem eſſe nimiam, vel ſe attentâ qualitate ſuæ perſonæ & negotiorum in reliquis non defraudatis tributis competenter contribuiſſe ad publicas neceſſitates, non eſſe cogendum ad reſtitutionem, ſed diſſimulandum, nè multis præcludatur via ſalutis, quia etſi moniti à confeſſarijs, non reſtituerent cum incurſu æternæ damnationis, Hoc Molinæ Conſilium ſemper ſibi maximè complacuiſſe fatetur Card. Lug. *à n. 43 & ſeq.*

Concludo hunc §. verbis Laymani cautiſſimi in moralibus Theologi *L. 3. tract. 3. p. 1. c. 3. n. 5. in fine*: Cum tot conditiones ad Juſtitiam Vectigalis, aut tributi noviter impoſiti, vel aucti requirantur, non facilè in conſcientiæ foro ad faciendam reſtitutionem condemnandos eſſe defraudantes, niſi ſatis conſtet de exactionis juſtitia, & neceſſitate.

## §. V.

## *Quæſita Practica de Contributionibus, Vectigalibus & horum defraudatione.*

198. QUæres primò quid Conſiliarijs Principum obſervandum circa tributa nova, ac vetera extraordinariè impoſita? quid officialibus tributorum executoribus exiſtente publico dubio de juſtitia tributi? *Reſp.* Primò ſequentia à Conſiliarijs obſervanda. Primò non poſſe conſulere novorum impoſitionem, quæ ſunt dubiæ juſtitiæ, aut probabiliùs injuſta; quia Princeps talia tributa nequit juſtè exigere *per n. 191.* ergo nec conſiliarij ſuadere. Secundò debent veterum caſſationem conſulere, dum cauſa eorum finalis publicæ utilitatis, & neceſſitatis ceſſavit. Tertiò videant, ut Princeps gratiales penſiones retrahat, ut abſtineat à nova contributione, publicæ enim neceſſitates ſunt præferendæ privatis neceſſitatibus gratioſis, nec plebs poteſt onerari, ut privatis aliquibus benè ſit: quare penſiones certis conceſſæ ex cauſa remunerationis habent incluſam conditionem hanc, niſi *publicum bonum exigat oppoſitum.* Ita Diana Coordinatus *tom. 7. tract. 6 Reſp. 13.* Vide Auguſt. Michel *Theol. Canonico-Mor. to. 1. tr. 3. p. 1. §. 6. punct. 6. Verb. de Judice n. 5.* ubi docet de Conſiliarijs Curiarum Judicialium Aſſeſſoribus, coram

ram quibus agitantur causæ inter Principē, & ejus fiscum ac subditos, quod sintveri Judices causarum, proinde teneantur sicut veri judices sequi probabiliores sententias: è contra consiliarij Intimi sint ut Medici salutis publicæ, & ideo sequi debeant sententias, quales sequi debent Medici circa medicinas. Ex his.

Infero cum Cit. Diana quod gubernatores Provinciarum præfato modo debeant interpretari Principis intentionem, proinde suspendere executiones gratiales, Principemque informare, dum novæ impositiones penitus subditos enervant. Secundò dum Princeps assignat, aut petit nova donativa tenentur impossibilitatem virium, quà vident Provincias laborare absque respectu humano exhibere.

*Resp.* Secundò ad Quæstionem, quamdiu officiales jussi exigere contributiones non sunt moraliter certi de illarum injustitia, si commodè nequeunt declinare officium, licite posse exigere quia debent præsumere justitiam causæ ex parte Principis, cum ad eos non spectet examen justitiæ, sicut ad Consiliarios, Laym. *n.* 6. subdens exactores posse dissimulare cum pauperibus, qui solvere non possunt.

199. Quæres secundò: An Princeps possit aliquos eximere à Contributione, & partem exemptis correspondentem derivare in alios? Id ipsum quæritur de inferioribus Magistratibus, quibus nec ex privilegio, nec ex immemoriali consuetudine competit jus indicendi exactiones. *Resp.* Ad Primum affirmativè, quoad bene meritos de Republica, quia ut tales Princeps remuneretur, spectat ad utilitatem publicam: ut tamen exemptorum portio derivetur in alios, quando post indictum tributum sunt primùm exempti, etsi absolutè fieri possit, non tamen expedit, ne ob inæqualitatem animi subditorum alienentur, sed tunc eam portionem in se suscipiat, Wadingus *Disp. 9. dub. 5.* ex Baldo & Bartolo. *Resp.* Ad secundum negativè, nisi portiones quibus exempti onerari deberent ab ipsis Magistratibus compensentur, Ita Cit. Wading. *n. 3. & 4.* ex Paulo de Castro, Jasone &c. quia inferiores non possunt disponere de civium bonis, quare cum Principem privare non possint Summâ justè petitâ, tenentur proportionatè eam inter omnes cives partiri.

200. Quæres tertiò: An Provinciæ Proceres possint indicere majores contributiones, quam petat Princeps, & dum agitur de dandis donativis, sive Principi sivè ejus Locumtenenti, sive cuivis alteri, an sufficiat consensus majoris partis Provinciæ Procerum, aut requiratur omnium?

*Resp.* Ad primum negativè, quia si Princeps nequit plus indicere, quàm petat publica necessitas per numerum 189. minùs ejus Ministri, quales sunt Provinciæ Proceres.

*Resp.* Ad secundum: Aut donativum dandum Principi est voluntarium, seu spontaneum, aut involuntarium, sive irremissibiliter dandum: si secundum tale donativum est duntaxat nominale; reipsa autem est tributaria impositio proinde debet habere conditiones adductas *à n. 189*, eoque casu sufficit consensus majoris partis in Comitijs Congregatorum; si sit voluntarium, seu penitus liberum, requiritur consensus omnium, ita citatus Dian. *tract. 6. Res. 31. & Resol. 35. n. 6. ex p. 3. tr. 5. Resol. 78.* ubi testatur quod donativum, de quo agebatur an dandum sit

Proregi, fuerit impeditum defectu consensûs unius Parlamentarij, seu consiliarij: Ratio est, quia consensus majoris partis in mere voluntarijs, cuicunque dandis nequit ulli comparti præjudicare (cum nulla supponatur obligatio in subditis, aliàs non esset donativum) quota enim singulos concernens debet esse singulis libera, ut detur, vel non detur, ergo requiritur consensus omnium, quare valet hic Regula juris Canonici 29. *quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari.* De cætero quando jus utrumque est contentum consensu majoris partis, agit de rebus quæ competunt pluribus, ut Collegio secûs ut singulis; voluntaria autem donativa concernunt ut personas singulas de communitate.

Ex his sponte patet decisio negativa. An Restantiæ hujusmodi ex collectis, seu contributionibus populi non queunt dividi inter ipsos Proceres, debent igitur reservari in ærario publico pro futuris publicis necessitatibus.

Patet ulterius Telonarios, aliosque officiales inscio Principe non posse augere telonium, aut auctuarium sibi applicare: excessus enim legitimæ potestatis defectu, non habet rationem tributi, sed injustæ extorsionis.

201. Quæres quartò: An Telonarij culpabiliter non exigentes Vectigalia spectantia ad fiscum, aut ad conductorem telonij, teneantur in conscientia restituere? Primò neglectam summam. Secundò, si deprehendant defraudatores, & mulctas, quas deprehensi re ipsa incurrissent, etiam debeant resarcire. Tertiò, quid si famulus mercatoris transegerit cum Gabellario pro florenis v. g. quinque dum essent dandi 50. an hoc lucrum accrescat famulo, aut Mercatori. Quartò si dictus famulus occultet merces vel per vias occultas subterfugiat telonium, aut à Gabellario impetret immunitatem, cui telonium aliàs debitum acquiratur?

*Resp.* Ad primum affirmativè, quia ex Justitia commutativa vi sui Officij tenentur exigere justa Vectigalia.

*Resp.* Ad secundum negativè, quia vi Officij tenentur solum bonum fisci, aut hujus conductoris defendere, ac assecurare, secus dicere, aliunde mulcta non debetur ante judicis sententiam, nec fiscus sive ærarium antecedenter ad eam acquirit ullum jus, Lugo *Disput. 37. n. 97.* contra Laym. Molin. &c. acriter repugnantes. Hinc Custodes stipendiati ad observandum, ne per passus occultos declinentur telonia, si culpâ suâ sinant transitum, resarcire debent ex Justitia jacturam debiti telonij, secûs mulctæ.

*Resp.* Ad tertium cum Less. *Lib. 2. c. 33. dub. 11.* accrescere mercatori, quando jussu suo famulus transigit; famulo verò, si non jussus transigat, ita ut per transactionem nolit extinguere jus Gabellarij in Vectigal, sed illud in se transferre, tunc enim famulus perinde habet ac tertius emendo jus Gabellarij, sed tertius faceret suam Gabellam, ergo etiam famulus Lugo *Disp. 36. n. 50.*

*Resp.* Ad quartum occultando merces, aut per vias occultas transeundo lucrum acquiri Domino, quia Dominus sentit incommodum imminens ex occultatione, &c. ergo etiam debet sentire commodum, nisi famulus in se recipiat totum periculum, tunc enim lucrum censetur oriri ex speciali industria: si autem citra occultationem impetret immunitatem à Gabellario, accrescit famulo, quia impetrando immunitatem acquirit jus, quod habuit Gabellarius.

§. VI.

## §. VI.

## *An sæcularis Princeps possit Ecclesiasticos absque Papæ consensu subjicere contributionibus.*

202. QUatuor sunt rerum genera, de quibus quæri potest an collectis, & tributis sæcularibus subjiciantur. Primò sunt res consecratæ, aut benedictæ ad cultum divinum, ut templa, vasa, vestes, Monasteria, &c. hæc in nullius bonis esse constat *ex* §. 7. *Institut. de rerum divisione*: unde sequitur etiam non subjici posse exactionibus. Ita ut certum tradit Laym. *L. 4. tract. 9. c. 6.*

Secundò, res titulo spirituali, aut intuitu Ecclesiastici Ministerij acquisitæ, ut decimæ, oblationes, fructus beneficiales, reditus stolæ, &c. quod eximantur à jurisdictione sæculari satis concordant Doctores apud Wiest. *in 3.* Decretalium *de immunit. Ecclesiasticarum*: 192. quia titulus est sacer, & personæ exemptæ *per cap. Ecclesia 10. de constitut.*

Tertiò sunt temporalia mobilia, ac immobilia à fidelibus oblata pijs locis nempe Ecclesijs, ac monasterijs pro conservando cultu divino, pro reparanda fabrica, alendis ministris, & Religiosis pauperúmque usibus deputata, talibus non posse imponi novas collectas, & exactiones sub pœna Excommunicationis sine consensu Episcopi cum Clero, & constitutiones oppositas esse irritas habetur *cap. non minus 4. & cap. adversus 7. de immunit. Eccles.* ubi etiam exprimitur sine consilio Papæ similia onera imponi non posse. Ratio est: quia talia bona sunt DEO sacrata, & res Dominicæ appellantur *canone 40. Apostolorum* Laym. *cit. n. 1. vers alterum Genus* S. Thomæ *2. 2. q. 99. Art. infine.*

Contra hoc videtur stare *cap. si tributum caus. 11. q. 1.* ex D. Ambros. *Si tributum petat Imperator, non ei negamus: agri Ecclesiæ solvunt tributum.* Et *cap. tributum 23 q. 8.* ubi Urbanus I. ait: *Quod Ecclesia de exterioribus suis tributum reddat.*

*Resp.* Ad primum Ambrosium id, ut justum non approbâsse, sed ad majus malum avertendum Ecclesiæ imminens ex denegatione, tolerâsse, quod exegit Justina Arriana Mater Valentiniani Imperatoris adhuc pueri.

*Resp.* Ad secundum eo tempore nempe sæculo tertio, quo vixit Urbanus nondum fuisse imunitatem à tributis constitutam propter Imperatores Gentiles: est ergo locutus more tempori accommodato.

Quartò sunt bona mobilia, ac immobilia patrimonialia Clericorum. An hæc sint immunia ab exactionibus, est major difficultas quoad onera extraordinaria, nam ea ab his eximi multi volunt cum Panormit. *in cap. cit. Ecclesia n. 31.*

*Sylvestro V. immunitas. 1. num. 9.* Lugo *Disput. 36. n. 99. & 108.* quos sequitur cit. Wiest. *num. 194.* allegatis pluribus canonibus, quibus se conformat jus civile *L. sancimus 24. Cod. de sacros. Eccles.* Et constitutio Friderici Secundi Imperatoris quæ post feudorum consuetudines est inserta corpori juris *in cujus §. 1.* irritat omnia statuta, & consuetudines contra libertatem Ecclesiæ vel Ecclesiasticas personas edictas, vel servatas adversus canonicas sanctiones. *In §. secundo* statuit, ne ulla potestas etiam publica collectas, sive exactiones Ecclesiasticis, aut alijs pijs locis, aut Ecclesiasticis Personis imponat. *in §. 4.* ut nullus Ecclesiasticam personam in quæstione criminali, vel civili ad judicium sæculare præsumat contra constitutiones Imperiales, & canonicas sanctiones trahere *in §. 6.* vult suum edictum in perpetuum valere éstque incertum *in titulo de Episcopis, & Clericis Authentic. statuimus*, in qua actor trahens Ecclesiasticum ad forum sæculare privatur jure suo, judéxque sua ex tunc potestate judicandi, ac judicatum non tenere decernitur. Ratio autem cur Clericorum etiam patrimonialia sint immunia ab Extraordinarijs Collectis est hæc principalis, quod personæ Ecclesiasticæ sint exemptæ saltem jure humano canonico, & civili, & quidem irrevocabiliter à jurisdictione sæculari per allegatam constitutionem Friderici. Accedit quod privilegium ex causa concessum spectante ad remunerationem ( quale est hoc nempe ad remuneranda beneficia spiritualia Majora & in DEI honorem principaliter factum ) transeat in pactum, proinde sit irrevocabile, ita Lugo *num. 98.* subdens *n. 101.* etsi Imperatores non exemissent à tributis certum tamen esse exemptionem hanc fieri posse à Pontificibus, ita ut non valeat à Principe ullo sæculari revocari. Ratio est, quod solius Pontificis sit irrevocabiliter ordinare spectantia ad Religionem, & bonam Ecclesiæ gubernationem, inter hæc autem est præfata exemptio. Hic præmissis.

203. Dico primò Ecclesiæ, Monasteria, ac Clerici, &c. stante immunitate exemptionis de bonis feudalibus instar laicorum debent contribuere directo Domino sæculari, & coram eo conveniri possunt, ita omnes *ex cap. ex transmissa 6. & cap. verum 7. de foro competente.*

Dico secundò Ecclesiæ, & Monasteria de bonis etiam non feudalibus subsunt oneribus in prima fundatione, aut donatione reservatis laicæ jurisdictioni Laym. *c. 5. n. 4.* ex communi *in cap. verum 4. de condit. appost.* Ratio, quia justa conditio servanda est. Hinc

Ampliatur conclusio ad onera omnia realia, seu annexa bonis immobilibus Ecclesiarum, & Monasteriorum, &c. priusquàm ea ab Ecclesijs acquisita sunt donatione, aut quovis alio titulo, aut contractu. Unde à fortiori patrimonialia Clericorum hæc realia servitia præstare debent. Laym. *c. 6. num. 9.* ex communi. Ratio quod sit juris notissimi rem cum onere inhærente ipsi transire ad quemvis possessorem. Argumento *cap. ex literis 5. de pignor.*

Neque per hoc Ecclesiastici subjiciuntur jurisdictioni sæculari; quia non obligantur personæ, sed res obligatione non novâ, sed antiquâ. Unde in Germania bona data Ecclesiasticis non amortizantur, hoc est, non exeunt à potesta-

te

te Principis sæcularis, neque transeunt in manum mortuam.

204. Dico tertiò Ecclesiæ, Monasteria, aliáque pia loca subjici non possunt exactionibus extraordinarijs, ita jus utrumque allegatum *num. 202. vers. quarto sunt immobilia.* Et constat *ex Authent.* Friderici Imperatoris, *item nulla communitas Cod. de Episcopis, & Clericis*, in qua citatus §. secundus Imperatoris renovatur. Ratio, quod personæ Ecclesiasticæ cum locis pijs eximantur utroque jure à sæculari jurisdictione, sed si subjicerentur exactionibus extraordinarijs, non eximerentur, siquidem tributi exactio, & præstatio est signum subjectionis secundum Apostolum ad *Rom. 13. subditi estote, ideo enim & tributa præstatis.* Confirmatur ex Abbate *in cap. qualiter de judicijs num. 8.* Certum est inquit, quod si persona exempta est, ergo etiam res, nempe si hæc non habeat annexam realem obligationem, atqui bona temporalia priorum locorum non habent annexa sibi onera extraordinaria, ergo non possunt talia imponi bonis nisi mediante eorum possessore huic jubendo, quod sine jurisdictione fieri non potest. Laym. *c. 5. n. 1.*

Limita conclusionem, ut non procedat respectu Principis à sede Apostolica habentis privilegium collectandi Clerum, prout eo gaudent multi Principes ob ingentia in Ecclesiam Romanam merita. Simile Concessum est Friderico Tertio, sive quarto à Nicolao Quinto Anno 1451. pro Provincijs hæreditarijs, ut irrequisito consensu Ordinarij toti Clero Collectas & contributiones moderatas ad sublevandas incumbentes necessitates imponere possit teste Wadingo *Disput. 9. dub. 8. §. 2.*

Dices cum Suar. in defensione fidei contra Regem Angliæ *L. 4. c. 34. à n. 29.* omnia ejusmodi privilegia etiam Imperatoribus, & Regibus concessa revocari per Bullam Cænæ quovis anno promulgari solitam. *Resp.* Cum citato Wadingo. Non posse præsumi, per Bullam hanc, etsi foret acceptata, revocari privilegia remuneratoria, qualia sunt Principum, quia nequit præsumi revocatio trahens secum majora scandala, graviorésque perturbationes, quales traheret Bulla Cænæ, si revocaret dicta privilegia: hac enim de causa Clemens V. cum Generali Concilio Viennensi cassavit Decretalem Bonifacij, vi cujus timebantur majora scandala. Unde tandem cit. Suar. allegans Bellarminum non audet damnare usum privilegiorum adversus immunitatem Clericorum præsertim in Civilibus rebus.

205. Quæres primò an conclusio tertia habeat locum in bonis patrimonialibus Clericorum? Ratio affirmandi est probatio dictæ conclusionis contra Abbatem. Molin. Suar. & relatos *num. 202. vers. quarto sunt.* *Resp.* Cum Wadingo §. *4. n. 3.* esse servandum id, quod usu est receptum, unde ubi Collectari solent, reluctari non possunt, esse autem subjecta Collectis extraordinarijs praxis docet teste Zippæo Archi-Diacono Antverpiensi *in Analysi juris Canonici ad titulum de foro competente.* Nec æquum videtur, quod Clerici de suo patrimonio disponant liberè ad quasvis causas, & tamen sit privilegiatum instar bonorum, quæ propria sint Ecclesiastica.

Unde

Unde ex Panormit. tradit Felinus, quòd Clericus in patrimonialibus censeatur ut Laicus, quapropter Navarrus in Manuali *c. 27. in expositione Articuli 18. Bullæ Cœnæ* docet excommunicationem Bullæ solùm respicere bona Ecclesiasticorum, ut Ecclesiastici sunt; patrimonium autem Clerici non spectat ad hunc ut Clericus est sed ut civis Reipublicæ, quare etsi canones illimitatè loquantur, non tamen illimitatè intelligendi sunt etiam quoad patrimonialia, sed quoad hæc se habeant ut in feudalibus, aut potest dici cum alijs, quòd executio non fiat in persona Clerici, sed in bonis ejusdem.

206. Quæres secundò, an dum est communis necessitas respiciens commodum singulorum, ut est murorum, putei Urbis, aut aquæductus reparatio, debeant etiam Clerici contribuere?

Tertiò an Clericus non soluto reali onere compelli possit per judicem Laicum?

*Resp.* Ad secundum negativè in allatis casibus, quia sic nunquam forent liberi Ecclesiastici: cum omnia tributa remotè cadant in commodum singulorum.

Oppositum dic de jis quæ respiciunt proximè utilitatem eorum, ut si certa pars, in qua Clerici habent prœdia, egeant jobstaculis contra æquæ impetum, aut si vicinia, quam etiam incolunt Clerici sit lapidibus sternenda, hanc enim sicuti tale opus directè est utile Clericis, ita æquitas petit, ut sentiant etiam onus Molin. *Disput. 672.* Girbing. *de Immunit Eccles. num. 79.* ad hoc compellendos non per Judices Laicos sed Ecclesiasticos. Hinc

*Resp.* Ad tertium negativè *ex n. 202. & 204.* (nisi Clerici sint feudatarij prout sunt Episcopi Principes Imperij) Lugo *n. 111.* cum cit Molin. contra Bart. Hostiensem, quos non juvat *Authentica Clericus quoque Cod. de Episcopis & Clericis* immediatè præcedens constitutionem Friderici *in Authent. statuimus Cod. eod.* quia per hanc posteriorem revocatur, quam in Gallia non servari, sed priorem testatur Gloss.

# ARTICVLVS TERTIVS.

## *De modis acquirendi Dominium per contractum.*

207. PRiusquàm ad particulares difficultates descendamus, breviter quædam ad naturam contractus in communi sunt prælibanda.

Quæres primò quid, & quotuplex sit pactum? an pariat obligationem naturalem, seu in conscientia, aut etiam actionem in foro civili.

*Resp.* Ad primum *L. 1. ff. de pactis* sic describi, *quòd sit duorum, aut plurium in unum consensus aut placitum* cum addito *in altero obligationem pariens*, quia obligatio est effectus pacti.

*Resp.* Ad secundum dividi in nudum, & in vestitum: nudum est, quòd in foro

in foro civili nulla consequitur obligatio, licèt naturaliter, seu in conscientia obliget; vestitum est, cujus obligatio naturalis est confirmata jure civili, patíque in foro externo actionem. Vestitur multipliciter. Primò Chyrographo de re præstanda. Secundò rei traditione, ut in permutationibus. Tertiò adimpletione promissi ex una parte ( huic actio contra alterum concessa vocatur in jure actio præscriptis verbis aut in factum. ) Quartò juramento. Quintò si pactum in judicio.

*Resp.* Ad tertium nudum pactum parere obligationem naturalem, quia habet requisita ex jure naturæ ad pactum, secùs civilem, seu actionem in foro civili, at bene exceptionem *L. juris gentium ff. de pactis*; jure autem canonico pacta nuda producere etiam actionem civilem in foro externo, est communior Canonistarum sententia cum August. Michel *Tom. 2. Theolog. Canonico - Moral. p. 2. tract. 1. §. unico n. 16. ex cap. qualiter 3. de pactis*, ibi: *studiosè agendum est, ut ea, quæ promittuntur, opere compleantur.* Quæ verba esse directa ad Judicem indicat Rubrica Capituli. Verùm hodie etiam de jure civili consuetudinario ex nudo pacto dari actionem patebit in fine hujus numeri.

Pro ulteriori intelligentia distinguendum est triplex obligationum genus cum Doctoribus utriusque juris. Primum est obligationis efficacis, nempe *naturalis, & civilis:* quale efficaciter stringit non tantùm ex æquitate naturali, seu in conscientia, sed etiam parit in foro externo actionem contra eum, qui renititur stare conventioni, ita statuente jure civili.

Secundum obligationum genus est vinculum obligationis *naturalis tantùm*, tale ultra obligationem in foro conscientiæ non habet assistentiam juris civilis, & ideo in foro civili actio intentari non potest: ejusmodi obligatio nascitur ex nudo pacto.

Tertium genus obligationum est vinculum *obligationis civilis duntaxat:* ejusmodi in conscientia non obligat, sed tota ejus vis est ex actione, quam jus concedit intentari in foro externo.

Nuda pacta vestiuntur non solùm modis proximè insinuatis, sed etiam consuetudine ex recepta hodie Doctorum sententia Manzij Arnoldi Rath. aliorúmque cum citato Michel *num. 14.* & praxi ubique gentium etiam apud Germanos reste Davide Mevio celeberrimo Practico *ad titulos Cod.. titulo de pactis*, *Decis. 4.* Hodie ergo etiam actio civilis ex nudis pactis conceditur proinde quoad effectum non est differentia inter pactum nudum, & vestitum.

208. Quæres secundò quid & quotuplex sit contractus? ex quibus modis substantialiter compleatur? *Resp.* Ad primum, quod *sit conventio ultra citráque habita pariens civilem actionem*, Haunold. *tract. 8. num. 12.* Prima pars est definitio pacti velut generis. Secunda est propria differentia contractûs, unde omnis contractus est pactum, sed non è contra.

*Resp.* Ad secundum dividi primò in nominatum, sive qui in jure habet proprium nomen, ut emptio, venditio, &c. quando autem caret proprio nomine dicitur innominatus, tales reducuntur ad unum ex quatuor his vocibus expressi,

*do ut des*, *do ut facias*, *facio ut facias*, *facio ut des*, ad quos reducitur transactio, & contractus omnis, cui fortuna admiscetur, ut ludus, sponsio, sors, assecuratio.

Dividitur secundò in onerosum, in hoc utrinque aliquid exhibetur, & obligatio inducitur, ac in lucrativum, in quo pars una solùm gravatur, altera habet commodum sine reciproca pensione, ut donatio, commodatum, testamentum, Legatum, &c.

Dividitur tertiò in contractum bonæ fidei, & stricti juris, cujus divisionis explicationem vide *num. 153. in quæst. 1.*

*Resp.* Ad tertium quadrupliciter compleri. Primò re ipsâ, ut fit in contractibus, in quibus ad sui valorem requiritur traditio rei, ut mutuum depositum, commodatum, permutatio, pignus, & secundum plerósque donatio, ac omnis innominatus contractus. Secundò scripturâ, ut Emphyteusis Ecclesiastica, ac verius etiam Laica, donatio summæ requirentis in jure insinuationem, nempe ultra 500. solidos, hoc est, aureos. Tertiò consensu mutuo invicem manifestato, & acceptato ante rei, aut pretij traditionem, ut emptio, venditio, locatio, conductio, Societas, mandatum. Quartò verbis, ut stipulatio, & acceptilatio, ad quas requirit jus certam verborum formam, quæ cum vix sit in usu, eam omitto.

209. Quæres tertiò; an contractus tam onerosus, quàm lucrativus, ut obliget naturaliter seu in conscientia, præter actum internum essentialiter requirat actum externum manifestativum interni ex parte unius, & acceptativum ex parte alterius? *Resp.* Affirmativè cum communissima Theologorum contra Molin. *Disput. 266.* & alios paucos spectato jure naturali quoad contractus gratuitos contrarios: naturali inquam, quia de jure positivo est certum non sufficere actum pure internum, ut pariat civilem obligationem, cum de actu purè interno nequeat judicare Judex.

Probatur: si actus purè internus pareret obligationem naturalem, hæc esset aut virtutis fidelitatis, aut veracitatis, aut justitiæ; non fidelitatis, & veracitatis, quia utraque inter homines requirit signa externa, veracitas enim obligat ad conformanda verba menti, fidelitas ad conformanda verba factis, neutrum fieri potest sine aliquo signo externo; non est etiam justitiæ, quia actus internus non potest obligare ex justitia promittentem, nisi generet in altero jus activum exigitivum talis obligationis, quale nequit generari ab actu purè interno, neque id expedit generi humano, cùm huic penitus ignota sit lex talis naturalis, in qua se Adversarij fundant. His præmissis sequentes controversiæ sunt enodandæ.

§. I.

## §. I.

## *An simplex Promissio in materia gravi obliget graviter in Conscientia ad rei promissæ Dominium ex fidelitate, aut Justitia transferendum?*

210. PRomissio homini facta est voluntas seria exterius manifestata obligans ad non retractandum actus fidelitatis: quando hæc virtus inclinat ad faciendum bonum, quod quis citra obligationem proponit se facturum, dicitur propositum Wadingus *hic Disp. 1. dub. 4. §. 1. num. 8.* ut igitur promittentem obliget alteri tria requirit: nempe animum serium se obligandi, actum externe proditorium animi, & ex parte promissorum acceptationem, hoc sequitur ex numero priore. Promissio antecedenter ad acceptationem Promissorum vocatur in jure Pollicitatio, quæ per accessum acceptationis dicitur, & est propriè promissio, Haunold. *tract. 9. n. 1.* notans *n. 3.* objectum voluntatis promissoriæ esse hoc, nempe oppositum rei promissæ reddere illicitum, nam post acceptationem jure naturæ obligat, inducit enim naturam pacti, pactum autem obligat jure naturali *cap. dictum 3. de pactis.* Ut autem acceptatio valeat, dum absenti fit promissio, non sufficit intimatio promissionis facta per quemvis nuntium, sed hic debet esse specialiter missus à promittente Sanch. *de matrim. L. 1. Disput. 6. n. 3.* quia sine tali notificatione nequit inducere formam pacti, consistentem in voluntatum duarum unione, seu utriusque mutuo consensu, dum Cajus promissam rem Titio per nuntium ad eundem expedivit, sed antequam donatio aut promissio fuerit à Titio acceptata, aut res ad promissarium Titium perlata, hic moritur.

Ex hoc solvitur quæstio non ignobilis, quam Sanch. *num. 5. & 6.* Laym. *lib. 3. tract. 4. c. 1. n. 4.* discutit, an si Donator post promissim E. g. pecuniam, hancque missam, antequam sit perducta ad promissarium, seu Donatarium, moriatur, donatarius possit acceptare pecuniam, & vicissim, si donatarius decedat citius, quam pecunia sit acceptata, hæredes Donatoris debeant pecuniam Donatario permittere? Affirmat utrumque Sanch. quia ex parte Donantis in utroque casu est donatio valida, & perfecta, etsi revocabilis, supponitúrque non revocata, ergo in primo casu hæredes Donatoris utpote repræsentantes eundem debent adimplere ejus voluntatem, in secundo verò pariter hæredes Donatarij repræsentant donatarium, ergo licitè, & validè acceptant.

*Resp.* Probabilius negativè cum Laym. *n. 5.* Molin. *Disput. 263. ex L. 2. c. de donat.* ibi: *Si quis Donaturus mihi pecuniam dederit alicui, ut ad me defer-*

*deferret : & ante mortuus fuerit, quam ad me perferat, non fieri pecuniam Dominij mei constat.* Sed Donatarius fieret Dominus pecuniæ, si posset à Donatario acceptari in primo casu, & in secundo, si hæredes Donatoris tenerentur. Ratio est, *ex Gloss. in cit. L.* ideo Donatarius in primo casu fieret Dominus pecuniæ, quia mandatario nomine à Domino traditam acciperet, sed hoc fallit in isto casu, quia mandatum expirat morte mandantis *text. §. præterea Instit. mandati.*

Hinc rectè concluditur quod promissio facta homini ante acceptationem à pollicente sit revocabilis Laym. *n. 3.* Pirhing. *de pactis n. 2.* Econtra promissio DEO facta deliberate emissa statim obligat, ita omnes Theologi, & Canonistæ cum S. Thom. *2. 2. q. 88. Art. 1. in Corp.* DEUS enim cum sit cordium inspector, quamprimum cognoscit, acceptat; quam cognitionem cum homo habere nequeat sine actu externo, fit, ut nec hoc acceptari valeat.

Quapropter cum promissionis, quæ fiunt Ecclesijs, aut alijs causis pijs principaliter fiant DEO, consequens est, easdem à DEO instar voti acceptari: Idque confirmatur à pollicitatione facta ex causa justa Reipublicæ, aut civitati, quæ mox obligat citra specialem acceptationem: uti constat *ex toto titulo ff. de pollicitat :* quia Princeps propter bonum publicum pollicitantem per legem latam obligare potuit, ac voluit, etsi pollicitatio nondum sit accepta Pirhing *de pactis num. 2.* Laym. *num. 3.* uterque negans hoc habere locum in pollicitatione facta Ecclesiæ, & alijs pijs locis, quia jus nullum statuit, ut hæc pollicitatio transeat in promissorem obligatorium sine consensu Ecclesiæ, nisi ex intentione pollicitantis haberet vim voti, at verò respectu Reipublicæ jus specialiter statuit. Verum assertum nostrum prævalet, quia licet singulari lege non sit cautum de Ecclesia, & causis alijs pijs, sufficit esse cautum lege Generali disponente, ut Ecclesia, &c. parificetur, gaudeatque eodem favore per textum *L. fin. Cod. de sacrosanct. Eccles.* proinde gaudeat jure civitatis, omnibusque privilegijs Reipublicæ, Michel *n. 5.* ex Parbos. *de Axiomat. Lib. 4. c. 11. n. 6.*

Promissio alia est onerosa, alia gratuita, prima dicit mutuam inter promittentem & Promissarium obligationem, talis inest omni contractui oneroso. Secunda, quæ etiam simplex, sive nuda promissio dicitur, est spontanea, sive liberalis, ac deliberata voluntas fidem alteri obligans ad aliquid præstandum licitum, & possibile.

Ut sit spontanea debet esse libera ab omni coactione, vi, metu injustè incusso, fraude & dolo, ac deceptione, per ly deliberata secundum communem, & veram sententiam intelligitur plena advertentia ad substantiam promissionis, proinde excludit errorem ac ignorantiam circa substantiam rei aut qualitatis per se intentæ à promittente, aut causæ finalis principalis sive motivæ ad promittendum, & cum impossibilium, & illicitorum nulla sit obligatio, sequitur posse promitti duntaxat licita, & possibilia.

Quod promissio seria onerosa obliget sub peccato ex genere suo mortali & quidem ex Justitia consentiunt omnes. Difficultas præsens est de simplici promissione

sione acceptata in materia gravi facta ex serio animo se obligandi, an sit obligatoria sub mortali ex virtute fidelitatis, aut justitiæ.

Triplex est sententia apud Sanch. *L. 1. de matrim. Disput. 5.* prima quod obliget sub mortali ex justitia, secûs ex fidelitate, secunda quod obliget mortaliter ex fidelitate. Tertia cum Molin. *Disp. 262.* Lugo &c. *D. 23. à n. 90.* distinguit quod si promittens intendat se obligare ex justitia, inducat mortalem obligationem, venialem verò si ex fidelitate.

211. Dico cum tertia Sententia nunquam permissio simplex obligat sub mortali, nisi promittens intendat se obligare ex justitia, qualiter intendit, quoties vult se graviter obligare; quando autem simpliciter intendit se obligare in materia gravi immemor, ex qua virtute, nec cogitans expressè de gravi, aut levi obligatione, prout fit frequenter, est obligatio solùm levis inducta à fidelitate.

Probatur prima pars: promittere ex fidelitate est fidem dare alteri de re facienda; sed hanc fidem dare est se obligare solùm sub veniali: dare enim fidem alteri de re facienda est obligare se, quod verbis concordent promissa, sive facta verbis promissorijs, hoc enim est proprium fidelitatis, sicut proprium est veracitatis, quod verba concordent menti, sed veracitas obligat solùm leviter, ut verba concordent menti, secundum receptam Sententiam, ergo etiam fidelitas obligat solùm leviter, ut verba concordent factis. Consequentia probatur, sicut enim veracitas in assertis suis exigit ab audiente fidem, ita fidelitas fiduciam à promissario circa rem promissam, ad quam illi nullum jus strictum competit, quia tota malitia opposita est delusio dictæ spei, quæ nequit esse gravis; per eam enim fit indignus fide in promissis, quæ turpitudo nequit esse gravis, licet sit contra humanam Societatem à paritate mendacij, quod secluso damno, aut scandalo est ex genere suo leve secundum plerosque contra aliquos scotistas, quia nullius jus læditur.

Pars secunda probatur: obligare se ex justitia per promissionem est velle transferre jus in promissarium ad promissum, & se constituere Promissarij debitorem, perinde ac si pretium accepisset pro re promissa, atqui hæc voluntas obligat sub mortali in materia gravi, nam Promissarius per eam acquirit jus proprietatis ad rem inducens in materia gravi obligationem mortalem, posse autem gratuita voluntate tale jus transferri in alterum constat in donatione acceptata.

Pars tertia sequitur ex prioribus duabus: intentio enim se graviter obligandi est voluntas se obligandi ex virtute potente graviter obligare, ergo cum fidelitas nequeat graviter obligare, sed justitia sequitur, quod intendat se ex hac obligare.

Pars quarta probatur: quando non constat specialis intentio promittentis, obligatio est commensuranda naturæ promissionis, sed hujus erga hominem etiam in materia gravi non obligat, nisi leviter, est enim actus fidelitatis, cujus obligatio ut probatum est non excedit levitatem.

212. Objicies primò promissio firmata Chyrographo obligat ex justitia, proinde mortaliter ex genere suo, ergo etiam non munita Chyrographo, quia hoc in foro conscientiæ nihil obligationis addit.

Secundò omnis pactatio acceptata obligat ex justitia, sed omnis promissio acceptata est pactatio, ergo.

Tertiò promissio DEO facta ex genere suo obligat graviter obligatione distincta à Justitia, ergo etiam Promissio facta homini.

*Resp.* Ad primum antecedens esse verum, quando non constat de animo se obligandi ex pura fidelitate, præsumitur enim animus se obligandi graviter, consequenter ex justitia, secûs si constet oppositum.

Ad secundum major est vera de pacto ex justitia obligante secûs de obligatione gratuita titulo solius fidelitatis.

Ad tertium est disparitas quod violatio fidei DEO datæ sit gravis irreverentia contra Religionem, secûs violatio fidei datæ homini propter diversitatem Excellentiæ personæ, idque constat à pari, quod vocare Deum in testem falsi sit mortale Juramentum, secûs vocando hominem in testimonium falsi. Hinc etiam constat, cur promissio simplex homini facta cum Juramento obliget mortaliter non titulo fidelitatis, sed Religionis.

## §. II.

## *An Promissio Turpis sit valida, & obligatoria ex Justitia.*

213. NOmine turpis promissionis intelligitur hic non solùm actus contra legem obligatoriam aliquid promittens, ut si quis paciscatur cum fœmina pro quæstu Corporis, cum ficcario pro homicidio &c. sed etiam actus virtuosus, ut si Judex pro sententia ex justitia debita exigat pretium, & hoc promittat litigans, quæ promissio est turpis ex parte Judicis.

Certum est primò, quod nullus habeat jus ad actum ut licitum in sensu composito prohibentis legis talem actum, nec jus ad valorem actûs stante le eundem irritante, aliàs haberet jus, ut in sensu composito actûs prohibiti, aut invalidi hic non esset prohibitus, aut invalidus, quod est Chymericum. Hinc.

Certum est secundò, quod omnis contractus inducens ad peccatam sit rescindendus, proinde promissio, aut datio pretij pro exequendo actu turpi antehujus executionem nullam inducat obligationem absolutam: aliàs dans pecuniam Judici pro ferenda injusta sententia (si Judex eam acceptans repromitteret iniquam sententiam) acquireret jus ad ferendam injustam sententiam, quod est contra jus naturale unde *Cap. in malis causa 22. q. 4.* dicitur *in malis promissis rescinde fidem, in turpi voto muta decretum, quod incautè vovisti ne facias, impia enim est promissio, quæ scelere adimpleatur.*

Certum est tertiò, quod habens Dominium non ligatum quoad valorem actûs, etsi usus jus sit prohibitus, valide actum etsi illicite exerceat, ut patet primò in donatione pecuniæ ex fine allicien-

ciendi ad peccatum, quæ est certò valida Lugo *Disput. 18. n. 45.* Secundò in contrahente Matrimonium cum Berta post valida, & nondum dissoluta sponsalia cum Caja, quod Matrimonium valet, licet non sit licitum.

Quare quæstio præsens vertitur in eo, an promissio de certo pretio dando pro actu turpi patrando E. g. fornicatione, homicidio &c hoc patrato obliget ex justitia non ad peccatum inducendum, ut præmissum est, sed an post subsecutum jam effectum peccaminosum habentem annexum materiale pretio æstimabile inducat obligationem absolutam Justitiæ ad dandum pretium?

Attento solo jure naturæ valere, ac obligare est communis apud Lugo *Disput. 18. Sect. 3.* at spectato jure positivo sunt Doctores divisi in quatuor sententias; Prima universaliter negat valere, consequenter pretium acceptum esse restituendum, Ita plures cum Joanne Medina. Secunda cum scoto consonat cum prima, quando pretium est contra Justitiam, secûs si non est contra Justitiam. Tertia distinguit inter opus turpe legibus punibile, ut homicidium, adulterium, furtum &c. & opus legibus non punibile, ut fornicatio &c. pretium acceptum pro patrato opere turpi punibili vult restituendum, secûs pro tolerabili, nisi sit excessivum ita plures Theologi, & Juristæ apud Lugo, quorum sententiam probabilem vocat Lessius. Fagundez &c. Quarta obligat ad dandum pretium sine obligatione restituendi acceptum ante judicis sententiam (nisi delictum sit ejusmodi circa quod leges expressè pacta invalidant, uti sunt leges contra Simoniam in beneficijs) sive peccatum sit Legibus punibile, sive impunibile, est communis cum Lugo *à n. 37.*

214. Dico primò attento solo jure naturali post patratum peccatum habens annexum materiale pretio æstimabile pacta ex justitia sunt implenda, consequenter promissum pretium solvendum. Probatur: Ad id potest spectato jure naturali obligare justitia quod licitè potest adimpleri, sed pretium pro turpi actu promissum eo patrato potest licitè impleri, ergo ad id potest jure naturali obligare justitia prout patet in justitia vindicativa obligante ad punitionem supposito delicto, & in defiorante virginem sub promissione conjugij, si prestiterit usum sui corporis, hoc prestito secundum omnes tenetur eam ducere.

Infero primò pretium pro opere ex justitia præstando datum ab eo, cui opus ex Justitia debetur, est jure naturali restituendum danti, Lugo *n. 63.*

Secundò hæres vi testamenti obligatus dotare aliquam virginem in centum v. g. florenis non potest quidquam accipere ab ulla, quam præ alijs elegerit. Cit. Lugo, quia in primo Casu nempe illationis; acciperetur pretium pro eo, quod non est suum sed Emptoris, in secundò non daret centum, ad quos ex justitia tenetur, utrumque hoc est contra jus naturale.

215. Objicies contractus iste, dabo tibi centum, si Petrum occidas, est invalidus ante homicidium, & ideo absolute teneris desistere, ergo etiam est invalidus post patratum consequenter non teneris dare pretium. Consequentia probatur, nam obligatio dandi pretium nititur soli contractui præterito, hic autem fuit invalidus, nec revalidatur post patratum scelus per regulas utriusque juris *nam 18. in 6. ait, non firmatur tractu tem-*

*temporis, quod de jure ab initio subsistit.* Consonat juris civilis trigesima, sic matrimonium ab impuberibus contractum non convalescit tractu temporis sine novo consensu. *C. 5. de sponsal. impub. in 6.* confirmatur solutio promissi pretij est quædam approbatio, & complacentia peccati commissi sed nemo potest obligari ut approbet peccatum, ergo.

*Resp.* Distinguo antecedens: id concedendo contractum talem relatè ad tempus antecedens sceleris patrationem esse invalidum, cùm nequeat obligare validè ad peccandum; negando verò esse invalidum relate ad tempus subsequens patrationem sceleris: relate enim ad hoc tempus obligat etiam sub initium non absolute, sed pro hypothesi sceleris jam patrati, ut constat ex utroque jure in eo, qui sub conditione defllorationis promisit Matrimonium, sic distincto antecedente. Nego consequentiam. Ad probationem concessâ majori nego minorem, quia relatè ad tempus subsequens patrationem peccati est ab initio validus, annullari tamen debet, quia nequit dari executioni validè sine prævio peccato, hoc suppositio contractus non revalidatur, sed relate ad hoc tempus semper valebat, unde allegata regula juris non est contra nos, sed potius firmat nostram Sententiam, quod cùm obliget absolutè supposito peccato, ante hoc obligat conditionatè, nempe si adimpleatur conditio.

Ad confirmationem nego majorem, sed quia promittenti placet fidelitas in promissis, vult implere obligationem inde ortam, & promissario placet lucrum illud, ad quod nunc acceptandum nullum requiritur peccatum.

Pro reliquis nota primò quod obligatio naturalis etsi nequeat pro se, ac directè fovere peccatum, possit tamen per accidens ac indirectè, ut constat in promissione matrimonij sub conditione usuræ corporis.

Secundò est de jure naturali ut promissio illicita non obliget ad quid illicitum, secus ad rem licitam, uti fit in nostro casu, dum fit solutio promissi pretij.

216. Dico secundò probabilius est jus positivum non invalidare præfacta pacta etiam si sint de crimine legibus punibili, ita Authores quartæ sententiæ.

Probatur pacta jure naturali valida, nisi sint expressè à jure positivo irrita, manent valida, sed præfata pacta etiam de crimine legibus punibili sunt jure naturæ valida per *n. 214.* nec ullum jus positivum ea expressè irritat, ergo.

Dices: pacta nullius momenti, & nullam vim habentia, atque ab initio non valentia, sunt irrita, aliàs haberent aliquam vim, sed talia sunt pacta de crimine legibus punibili, sic *L. Generaliter 26. ff. de verb. oblig.* dicitur: *Generaliter novimus turpes stipulationes nullius esse momenti*, & *L. pacta Cod. de pactis. Pacta quæ contra leges constitutionesque, vel contra bonos mores fiunt, nullam habere vim indubitati juris est. Indubitati quidem juris nempe juris naturæ est*, & *L. plagij ff. de verb. oblig. Si plagij faciendi vel facti causa conceptum fuit, stipulatio ab initio non valet.*

*Resp.* Primò duas priores leges generaliter loqui, & tamen etiam per Adversarios pacta de crimine lege impunibili non sunt irrita, ergo nec pacta de crimine lege punibili.

*Resp.*

*Resp.* Secundò eas nihil plus vetare, quam vetet jus naturale ut patet ex postremis verbis legis secundo loco citatæ, atqui jus naturale omnia pacta turpia irritat relatè ad obligationem patrandi sceleris, secùs ad solutionem pretij patrato jam scelere: Idque confirmatur ex jure civili approbante solutionem pretij post patratum aliquod crimen per *L. idem etsi ff. de condictione ob turpem causam* §. *sed quod meretrici*, ubi dicitur: *Sed quod meretrici datur, repeti non potest.* Ratio sic interpretandi præfatas leges est, quod positivas leges debeamus interpretari, quantum fieri potest, ut consonent dispositioni legis naturalis. Ita Lessius.

217. Quæres primò, an pretium valde excessivum promissum pro re turpi, aut blanditijs, vel fraudibus extortum E. g. fingendo se nobilem aut Virginem sit solvendum, aut solutum restituendum.

Secundò an munus liberaliter oblatum ab Amasio ad alliciendam fœminam, vel honestam puellam ad copulam, quando est moraliter certa de prava intentione possit accipere, ac retinere?

*Resp.* Ad primum si fœmina est prostituta seu publica meretrix nequit plus petere, ac accipere quam ab alijs: unde se fingens non cognitam nisi à Magnate, aut se esse honestam dum communiter ab alijs habetur pro inhonesta, debet excessum restituere, nisi hic liberaliter ei donetur à potente donare, qualiter donat dans sponte non petente meretrice, aut si extorqueat blanditijs pretium majus Sanch. *L. 4. matrim. Disp. 11.*

Si sit honesta Matrona, aut puella potest petere, & accipere quantum vult, quia res quibus non est pretium statutum, sed voluptatis causa emuntur, possunt ad libitum appretiari & vendi, ut probabiliter multi docent cum Less. *C. 14. n. 53.* Lugo *n. 47.* hæc ratio etiam suadet, id ipsum extendi posse probabiliter ad meretricem, prout extendit Tambur. *Lib. 7. de contract. c. 5. §. 3. n. 25.* contra Dicast. *L. 2. tract. 2. D. 6. dub. 1. n. 3.* qui *n. 12.* negat prodigum promissorem obligari stare promissis quoad excessum, etsi jurasset, juramentum enim respectu excessus est nullum.

*Resp.* Ad secundum regulariter non posse accipi sine mortali, quia acceptando coöperatur pravæ intentioni, etsi enim intentio sit jam data executioni per ipsam externam muneris oblationem, hujus tamen acceptatio multum fovet spem turpem donatoris.

Dixi *Regulariter*: quia si attenta utriusque personæ, ac munerum conditione, atque circumstantijs non significatur prava intentio, aut eorum repudiatio esset pravæ intentionis detectio, præsertim si mittantur titulo affinitatis, aut honestæ amicitiæ, acceptatio caret culpâ: unde puellæ Aulicæ licitè acceptant munera oblata à nobilibus adolescentibus quia secundum stylum nihil turpe significant, sed affectum servitutis, aut ambitum matrimonij, Lugo *num. 50.*

*Resp.* Secundò ad secundum, sic acceptata munera retineri posse, dummodo Donatori manifestetur constans amor servandi pudicitiam: quia sic non fovetur spes in futurum, neque munus retinens pravæ intentioni coöperatur, neque donatio continuatur, sed plenè transibit munus in acceptantis Dominium. Lugo *n. 49.* resolvens fœminam nobilem posse retinere aureum torquem magni valoris ex mala intentione donatum.

## §. III.

## *An? quomodo? & quando contractus conditionatus transferat Dominium? & quæ ejus differentia à Modali?*

218. COntractus potest quinque potissimùm modis iniri primò, absolutè, & purè non adjecto die, vel tempore, nec conditione, nec modo, nec alternatione: sic initus statim, ac perfectus est, obligat, per *Reg. 14. in lege eum. qui 41. ff. de verb. oblig. in obligationibus, in quibus dies non apponitur præsenti die debetur.*

Secundò potest iniri in diem, eúmque incertum, ita ut incertum sit, an sit aliquando futurus (ut dabo tibi centum ad diem appulsûs navis ex Indijs, hic contractus est potiùs conditionalis, proinde obligatio ejus, ac actio suspenditur ad talem eventum *L. 1. §. 2. ff. de condit. & demonstrat*) aut certum sit aliquando futurum, ut promitto centum ad diem mortis paternæ; aut constet, quando sit eventurus, ut lego Titio centum die paschatis solvendos, & hic contractus est propriè in diem, dummodò hæc sit certo futura, non suspendit obligationem, sed eam statim inducit, id est, res promissa mox debetur, ejúsque debitum transit ad hæredes, licet non urgeat ante diei adventum.

Tertiò contrahi potest sub conditione de præsenti, præterito, vel futuro, necessaria aut contingente, possibili aut impossibili. Est autem conditio aliquid à quo contrahens vult dependere suam dispositionem, hujúsque obligationem suspendere, donec purificetur, seu verificetur ejus existentia. Quando conditio evenit, ita ut potuerit non evenire, dicitur contingens, cáque vel est honesta, vel turpis, si necessariò evenit, est necessaria; si potest evenire, dicitur possibilis; impossibilis verò, si evenire nequit, éstque talis, aut ex naturâ rei, ut si hirco-cervum cæperis, aut est impossibilis defacto, ut si aureum montem dederis; aut de jure, qualis est omnis conditio turpis, ut si pejeraveris, &c. quod enim absque peccato fieri non potest, de jure dicitur impossibile: quædam ex turpibus conditionibus sunt contra substantiam contractûs, ut contraho tecum matrimonium, si evites generationem prolis.

Quartò potest contrahi sub modo, est autem modus secundum Sylvestrum V. *conditio n. 3.* adjectio alicujus oneris, ad quod post contractum perfectum obligare intendimus contrahentem. Differt modus à conditione, quod hæc suspendat obligationem usque ad eventum, seu verificationem conditionis, secus modus; hic enim perfectam supponit dispositionem, eámque solùm temperat adjectione oneris,

oneris, ut vendo tibi fundum cum obligatione, ut viciſſim domum tuam eloces Petro, quod onus adjectum non ſuſpendit contractum usque ad adventum modi. Unde notat citatus Sylveſter, quod conditio exprimi ſoleat per dictionem *ſi* v. g. ducam te, ſi Pater conſenſerit: modus per dictionem *ut* v. g. ducam te, ut divitias conſequar. Quare licet donatum ſub conditione peti nequeat ante conditionis exiſtentiam, at donatum ſub modo mox peti poteſt. Molin. *Diſput. 205. num. 8.* ſed viciſſim Donatarius ſi petitur, debet præſtare cautionem, de exequendo modo, aut hæres Donatarij, ſi hic ante impletum modum mortuus ſit, Laym. *Lib. 3. tract. 4. c. 4 n. 6.*

Quintò poteſt contrahi alternativè: eſt autem contractus alternativus rerum, qui obligat ad præſtandum alterutrum ex duabus rebus, ſeu ſub disjunctione hanc, aut illam rem E. g. equum aut centum aureos.

Præter contractum alternativum rerum datur etiam alternativus perſonarum, locorum & temporum E. g. Titio vel Cajo, Græcij, vel Viennæ; Calendis Januarijs, vel Februarijs.

De alternativis notetur *Reg. 170. in 6. ex L. in eo, quod plus eſt ff. de R. I. in alternativis debitoris eſt electio, & ſufficit alterum adimpleri*, de qua fusè Wieſtner. Regulæ ſenſus eſt, quod alternativa diſpoſitio ſubſiſtat, dummodò unum ex disjunctivè expreſſis præſtetur idque arbitrio debitoris eligendum, diſponens enim alternativè intendit favere debitori tam in ultimis voluntatibus, quàm alijs contractibus, ac cæteris diſpoſitionibus; nempe tunc electio eſt penes debitorem, quando ut Vivianus interpretatur, diſponens verba dirigit ad debitorem ad aliquid præſtandum, quando autem dirigitur ad creditorem, ut aliquid accipiat, penes hunc ſtat electio *L. ſi ita 25. ff. de contrah. empt.* ſi is, cui competit electio, ante hanc decedat, facultas eligendi tranſit ad hæredes *L. ſi ita 79. pr. ff. de V. O.* ſi debitor ex errore utrumque præſtitit, habet optionem repetendi quod voluerit, neque ſi ante ſatisfactionem unum alternativorum perijt, tenetur alterum dare, ſed hoc, aut ejus, quod interijt, valorem offerre habet in arbitrio poſitum *L. cum res 47. §. 3. ff. de Legat.* Ab hac Reg. ſequentes Wieſt. *à n. 10.* adducit exceptiones.

Prima eſt, ſi quis in teſtamento, aut legato plures alternativè ſcripſit hæredes, aut legatarios disjunctiva *vel*, *aut* eſt res ſolvenda in copulativam, ut nemo careat ſuo commodo. *L. cum quidam 4. V. melius C. de V. S.* Alternativa concepta per particulam *ſen* ſæpius pollet vi copulativæ, quam disjunctivæ.

Secunda in legatis ſunt penſanda verba, quæ ſi teſtator dirigit ad hæredem; electio eſt ipſius, v. g. hæres Titio fundum A, aut centum aureos dato, Legatarij verò, ſi ad hunc v. g. Titius fundum A, aut centum aureos accipiat.

Tertia in alternativis remediorum ſeu actionum judicialium, electio eſt penes creditorem, ſeu Actorem, aliàs nunquam ſuum finem aſſequeretur Reo impediente actionem, ex qua metuit damnum *L. ſervus 108. §. 2. ff. de Legat.*

Quarta in alternativis locorum ante petitionem creditoris debetur electio debitori, ſi hic non prævenit, ea eſt creditoris.

Quinta in alternativis perſonarum

electio stat penes Judicem; hujus enim est pœnam proportionare delicto, nisi legis verba ad Reum dirigantur E.g. det mille aureos, aut sit perpetuo incarceratus,

Sexta in alternativis personarum, inter quas prærogativa Ordinis, ut in substitutionibus testamentarijs, debet servari Ordo litteræ, ut dum testator jubet dari liberis, in horum defectu dandum est consanguineis. In alternativis personarum disjunctiva, *vel*, *aut*, non resolvitur in copulativam, *L. cum quidam 4. verb. melius C. de V. S.* His præmissis decidendæ sunt quæstiones in §. propositæ.

219. Dico primò modalis contractus in eo differt à conditionali, quod mandalis non suspendat obligationem, donec impleatur ab altero onus adjectum secùs conditionalis propriè talis: constat id ex numero priore *Versu. quarto potest contrahi.*

Dico secundò contractus sub conditione de præterito vel præsenti non suspendit contractum, nec vitiat, sed valet, & obligat, si conditio re ipsa subsistit etiam ignorata à contrahentibus, ut contraho tecum, *si Pater est mortuus*, vel *si Nobilis es, &c.* quia jam est impleta conditio, cui alligatur obligatio.

Amplia conclusionem ad contractum conditionalem sub conditione necessario futura, E.g. contraho sponsalia, vel matrimonium, *si cras sol orietur*, est communior apud Sanch. *L. 5. de matrim. Disput. 2.* ex *L. 9. §. 1. ff. de novationibus*, quia existentia conditionis jam est determinata in sua causa, ergo habetur pro præsenti, ergo non moratur obligationem, nisi constet contrahentes noluisse se obligare ante ejus eventum, aut nisi ignoraverint necessario futuram: tunc enim respectu eorum se habet, ac si esset contingens.

220. Dico tertiò contractus initus sub conditione honesta contingenter futura suspendit obligationem in tempus eventûs illius: Ejusmodi contractus sunt propriè conditionales: conditio enim propriè talis inquit Haunold. *est qualitas actui adjecta, vel inhærens, quæ in dubium eventum futurum suspendit, vel dissolvit:* ut promitto tibi matrimonium, si tale officium consequeris: lego tibi mille si duxeris Titiam. Etsi autem conditio de futuro honesta non obliget ad præstandum promissum, antequam purificetur, obligat tamen contrahentes expectare eventum conditionis, nec possunt licitè impedire ejus purificationem. Ita omnes: aliàs intendens non expectare deciperet alterum, quapropter alter ex contractu conditionato acquirit aliquod jus, nempe spem futuræ conditionis, §, *4. Instit. de V. O.* Sed facitnè validè resiliendo, etsi faciat illicitè? *Resp.* sub distinctione cum Lugo *Disp. 22. à. n. 383.* invalidè in contractibus solo consensu perfectibilibus, validè autem in contractibus ante traditionem rei imperfectibilibus. Ratio primi probatur exemplo voventis castitatem sub conditione contigenti futura, quod votum est irrevocabile ante purificatam conditionem, aliàs revocans ante hanc purificatam, & postea post ejus adventum fornicans non esset reus voti castitatis, contra omnes, ergo etiam promissio humana sub simili conditione facta solo consensu perfectibilis obligat irrevocabiliter.

Hinc sponsalia secunda absoluta non diri-

dirimunt priora conditionata ante eventum conditionis, Sanch. *Lib. 7. Disp. 69. n. 3 de Matr.* quia absoluta talis promissio est invalida, utpote de peccato administra mittendo.

Ratio secundi est, quod contractus talis nequeat absolvi nisi tradatur res animo transferendi Dominium: qui animus est impossibilis sine novo consensu, qui si tempore traditionis, si ante hanc primus consensus fuerit revocatus.

Hinc si Principalis ante contractum Matrimonium per Procuratorem revocet suum consensum alligatum contractui Procuratoris, Matrimonium est nullum, etsi revocatio Procuratori sit ignota, ita specialiter constituitur *Cap. fin. de Procuratoribus in 6.* de contractu matrimoniali apud Sanch. *lib. 2. de matrim. Disp. 11. n. 6.* - - - - Sic tamen revocans, quod teneatur noviter consentire & perficere contractum patet ex ratione data obligatione expectandi eventum.

Sed quid si tu, quantum est ex parte tua facis, quantum potes, ut impleatur conditio, at persona circa quam est implenda conditio repugnat, v. g. legantur tibi mille, si duxeris Titiam; vis illam ducere, sed illa vel non vult, vel prius nupsit alteri, censeris ne impleviſſe conditionem ad effectum acquirendi mille?

*Resp.* Affirmativè quando conditio appositа est in ultimis voluntatibus *L. 1. Cod. de his, quæ sub modo & L. 3. de condit. institutorum* ac alijs legibus apud Sanch. *L. 1. de matrim. Disp. 33. n. 19.* cum communi. Ratio est, quod satisfiat menti testatoris,

221. Dico quartò nullus ferè contractus sub Conditione impossibili, sive tali ex natura rei sive defacto, sive de jure initus valet, quia obligat consensum purificationi conditionis, cujus dum ex natura rei, aut defacto est impossibilis, purificatio implicat, ergo etiam absolutus consensus: quando autem conditio est de jure impossibilis, seu turpis ad eam purificandam obligatio est impossibilis per dicta *à n. 213.* Dixi *ferè nullus*, quia Matrimonium, & ultima voluntas excipiuntur à jure positivo, quod rejicit, habetque pro non adjectis similes conditiones, proinde non vitiant Matrimonium, testamentum, legatum, etsi adjiciantur, sed valent æquè, ac si non fuissent adjectæ Conditiones impossibiles, aut turpes *Cap. fin. de Conditionibus appositis, & §. impossibilis Instit. de hæredibus instituendis.* Ante conditum *Cit. cap. finale* Matrimonium sub Conditione impossibili fuisse vitiatum, seu non valuisse suadet efficacissima sequens ratio: Matrimonium non perficitur sine actuali censensu contrahentium *L. 30. ff. reg. jur.* sed dum contrahitur sub conditione impossibili deest actualis consensus nec unquam est futurus.

Ob hanc rationem Matrimonium in utroque foro fore irritum, quando uterque contrahentium aut alteruter oppositam à se conditionem ignoravit esse impossibilem, tradit Sanch. *L. 5. de Matrim. Disput. 3. n. 8.* interpretans Capitulum finale intelligendun in conditione impossibili scita ut tali, ac deducens ab actu testandi, qui per *L. servo manumisso ff. de conditionibus indebitis*, censetur nullus sub conditione impossibili, quam putabat possibilem. Ampliat *n. 16.* Primò quando constat joco adjectam esse: tunc enim defuit animus. Secundò ob eandem rationem, si constat serio esse ap-

positam, unde sicut alij contractus vitiantur ita matrimonialis, quare *Cit. Cap. fin.* habet duntaxat locum in casu, quo contrahentium intentio est dubia, seu aliunde non constat, an joco, vel serio sit adjecta, tunc enim pro favore matrimonij est pronuntiandum *Cap. fin. de sententia, & re judicata* ad evitanda animarum pericula, ac damna, quæ ex matrimonij validè contracti dissolutione solent oriri, igitur tunc præsumitur consensus & conditio adjecta potiùs joco, quàm serio animo dissentiendi.

## §. IV.

## *De quibusdam Legatis ac testamentis conditionatis.*

222 Quæres primò an valeat hæreditas, aut Legatum sub conditione nuptias excludente, quod fieri potest multipliciter, ut constabit ex mox subjiciendis. *Resp.* Primò hæreditas, aut Legatum relictum viduo, aut viduæ sub conditione excludente Matrimonium secundum non rejicitur, quia non turpis, *Novel. 22. Cap. 43. & seq.* Ratio quod sit honestum abstinere à secundis nuptijs, *Can. fin. causa 31. q.* Sanch. *L. 1. de matrim. Disp. 34. n. 29.*

Secundò eadem conditio adjecta hæreditati, aut legato relicto virgini rejicitur à jure, & habetur pro non adjecta, Sanch. *n. 3. ex L. Titiæ non nupserit ff. de condit. & demonst.* quia interest Reipublicæ, ut hæc augeatur legitimis genitis, unde Virgo, cui Titius legat centum, si nupserit, ducentos si non nupserit, lucratur ducentos nubendo: quia rejicitur ex eadem ratione *per cit. Legem.* Sanch. *n. 6.* ubi dicit hæc locum habere etiam in foro conscientiæ, cum hæ leges non sint contra Canones.

Tertiò non rejicitur conditio adjecta legato non nubendi sine consilio certæ personæ, quia non minuitur libertas matrimonij, cum non obligetur sequi Consilium, sed solum petere: econtra rejicitur, ut libertati matrimonij præjudicans, ut non ineat matrimonium sine consensu Tertij Sanch. *n. 19. juncto n. 24. ex L. cum tale 72. ff. de condit. & demonst.* rejiciente expressè conditionem nuptiarum in arbitrium alterius collatam.

Quartò Conditio non nubendi ad tempus certum, dummodò non sit longum v. g. ante 25. annum, aut non cum personis certæ familiæ, vel oppidi vel Provinciæ valida est Sanch. *à n. 35.*

Quintò valet conditio prohibens virgini nuptias in favorem causæ piæ, Sanch. *n. 34.* ubi si mille legentur Titiæ, si non nupserit, dentur verò Ecclesiæ alterive piæ causæ, si nupserit, quia pia causa æquiparatur libertati, sed favore libertatis valet dicta conditio, nempe si Titia nupserit, talis servus liber sit *L. Titio 96. §. 1. ff. Cod.*

223. Quæ-

223. Quæres secundò an valeat legatum sub conditione nuptias includente, *si nupserit. Resp.* Validum esse quia est conditio honesta, unde non acquiritur sine Matrimonio, nisi ingrediatur Religionem, tunc enim etiam debet consequi. Id expressit *Novella 123. Cap. 37.* Sanch. *Disput. 33. n. 29.* Dicens esse ferè certum, aliud est si relictum sit legatum indefinitè puellis Matrimonio elocandis: præsumitur enim legans loqui de Matrimonio carnali, proinde dari non posse Monasterium ingressuræ, Sanch, *n. 32.* notans hoc non esse contra citatam Novellam, quia cum hæc exorbitet à jure communi, non debet extendi ad alios casus, sed in propria, & specifica forma impleri, nisi ex circumstantiis legatariarum personarum possit oppositum colligi, ut si esset legatum relictum pro filiabus, aut neptibus elocandis in Matrimonium, quia præsumitur factum ex effecta singulari erga consanguineas, consequenter dari posse, etiamsi fiant Religiosæ.

Quæres tertiò an subsistat testamentum, aut legatum sub conditione restringente nuptias ad certam personam E. g. Cajam instituo hæredem, aut lego illi Arcem A. si nupserit Titio, aut alicui ex certa familia. *Resp.* Affirmativè cum Sanch. *n. 6. & 9.* testante id esse indubium, quia est conditio honesta, sub qua cum spe lucri invitatur ad Matrimonium, ex *L Titio 7. § 1. ff. de Cond. & demonst.* Hæc tamen conditio rejicitur. Primò si ex hac Conditione gravaretur legitima. Secundò si nolit, aut decedat, cui esset nubendum. Tertiò si persona sit indigna, aut licitè cum ea Matrimonium contrahi non possit. Quartò si Caja ex paterno consensu alteri nubat, nam sine eo nequit honestè nubere Sanch. *n. 10. 11. 13. & 19.*

224. Quæres quartò an validum sit legatum sub conditione arcente à clericatu, aut ab ingressu Religionis E. g. lego Titio mille, si duxerit uxorem, 500. si ingrediatur Religionem. *Resp.* Acriter negari à Pontio *L. 3. de matrim. c. 7. à n. 13.* fundamentum primum est citata Novella, in qua spirituale Matrimonium æquiparatur carnali, & secundum eam legatum relictum maritandæ consequitur professura in Religione. Secundum, quod Clericatus, ac Religio sit status perfectior matrimoniali ergo conditio retrahens rejicitur, & pro non adjecta habetur.

Affirmari autem à Sanch. *Disp. 34. n. 12.* Laym. *L. 3. tract. 5. c. 10. n. 12.* Mol. *Disput. 207. n. 14.* quia testator id non statuit animo retrahendi à statu perfectiore, sic enim animo rejicienda foret, sed ex fine honesto, nempe quod in statu matrimoniali egeat majori subsidio temporali, quam in Clericatu, &c. Nec refert quod ejusmodi conditio magis faveat matrimonio carnali, quia nullum jus habet eam pro nulla, patetque in majoratibus, quos jus non reprobat, etsi in ijs non faveatur Clericatui, aut Religioni, sed excludant à participatione ob retinendum familiæ splendorem, qui finis honestus est.

Ex his solutum est Argumentum secundum negativæ: Primum autem non urget, quia Novella disponit sic ex præsumpta voluntate testatoris, non contra eam, in nostro autem casu foret contra expressam testantis voluntatem.

Quæres quintò an vitietur legatum relictum sub conditione obligante ad Clericatum, aut Religionem? *Resp.* cum Sanch. *n. 15.* contra Bart. valere, quia non retra-

retrahit directè à Matrimonio, unde dicta conditio directè non æquivalet huic, si non nupserit, lego mille, quæ imposita Virgini *per n. 222.* habetur pro non adjecta, sed directè intendit allicere ad Religionem spe legati, jus autem reprobat solas Conditiones directè retrahentes à nuptijs. Subdit Sanch. *n. 17.* contra alios probabilius legatum consequi, etsi ingressus postea non perseveret in Religione, dummodò animo perseverandi assumpserit Religionem; quia secundum Communem loquendi usum censetur jam impleta conditio, sicut satisfacit voto ingrediendi fide bonâ ingressus, sed rationabiliter postea deserens, quia ingressus debet esse conformis juri, nempe cum libertate exeundi justa de causa.

## §. V.

## *Plurima pacta repugnantia bonis moribus expenduntur.*

PRoponuntur illa, & solvuntur *à n. 476.*

## §. VI.

## *De juramento, reprobatis pactis adjecto, ejúsque effectu; ubi an pacta à jure civili nulla juramento confirmentur?*

DE quo infra *à num. 490.*

## §. VII.

## *An ut contractus conditionatus sub conditione futura, hâc purificatâ fiat absolutus, opus sit novo consensu.*

225. RAtio affirmandi, quia E. g. matrimonium contractum sub conditione contingenter futura ante hujus eventum non est perfectum, eo quod nondum sit facta mutua corporum traditio, sed faciendæ promissio, quia primo traduntur mutuo corpora post eventum conditionis, sed hoc fieri nequit sine novo consensu. Confirmatur: matrimonium conditionatum post eventum conditionis completur in esse signi sensibilis gratiam sensibiliter significantis, quod implicat absque novo expresso externo consensu, quia sine hoc nullum adest signum novum sensibile præsens, præteritum non sufficit; nam hoc situm est in verbis præteri-

tis

tis conditionalibus, quibus mutuo significabatur conditionata traditio, & acceptatio corporum, hæc autem sunt insufficientia: quia jis non significatur consensus absolutus mutuo tradens corpus suum, & acceptans alterius absolutè. Idem est proportionatè de alijs contractibus, quorum essentia traditionem requirit. Ob hæc affirmativa est communis inter veteres Theologos approbatos à Pontio *L. 3. de matrim. c. 13.* & aliis apud Sanch. *L. 5. de matrim. Disp. 8.*

*Resp.* Probabilius negativè cum cit. Sanch. quia contractus conditionati, aut sunt de genere eorum, quorum essentia perficitur solo consensu, ut emptio, &c. aut traditione ut matrimonium, &c. sed utriusque generis possunt perfici, seu transire de conditionatis in absolutos solius conditionis purificatione sine novo consensu. Prior pars constat *ex L. Hæc venditio 7. ff. de contrahenda emptione*, ibi: *Conditionales autem venditiones tunc perficiuntur, cum impleta fuerit conditio*: hinc fit argumentum ad alios similes contractus.

Posterior pars etiam probatur exemplo matrimonij per Procuratorem contracti, quod ex conditionato transit in absolutum absque novo Principalis consensu: hic eo tempore, quo Procurator contrahit, fortè dormit, aut nihil cogitat: quod autem hoc casu matrimonium transeat ex conditionato in absolutum, constat, quia Principalis consentit ad acceptandam sponsam in suam, si Procurator consentit.

Confirmatur utraque pars: si consensus præteritus conditionatus moraliter est præsens, dum purificatur conditio, fit absolutus, & sufficienter expressus, sed moraliter est præsens, ergo ex conditionato fit moraliter absolutus: Hinc

*Resp.* Ad argumentum Adversariorum: matrimonium ante eventum conditionis non esse perfectum imperfectione se tenente in defectu conditionis, secùs in defectu voluntatis, ex parte hujus nihil desideratur, nisi purificatio conditionis, hâc absolutè positâ ex conditionata fit absoluta traditio, ac acceptatio corporum, unde consensus ille præteritus conditionatè consentiens in matrimonium facit hunc sensum positâ tali conditione E. g. cras accipe corpus meum, quod nunc pro tunc tibi trado, qui consensus physicè præteritus moraliter perseverat in non revocatione, & per eventum conditionis ex conditionato fit absolutus, id est existit moraliter absolutè, fitque moraliter actualis traditio corporum, qualem sufficere constat à pari, dum Petrus donat Paulo centum aureos, dicens, vade & eos tolle de mea cista, donatio perficitur primum, dum ex cista tolluntur, quo casu eos donans non tradit physicè, nec consensus est tunc physicè sed moraliter perseverans.

Ex his patet etiam Responsio ad Confirmationem nempe consensum conditionatum sensibilem physicè præteritum fieri purificatâ conditione absolutè existentem existentia morali sensibili, nempe in verbis sensibilibus, quæ ex conditionatis transeunt in sensibilem absolutam existentiam moralem.

Hæc omnia procedunt, licet contrahentes non sciant impletam conditionem Coningk. *de Sacram. Disput. 29. dub. 1.* quia notitia impletæ conditionis non perficit contractum, sed solum indicat esse aliunde perfectum, nimirum

per transitum ex statu conditionato ad absolutum quem notitia non facit, ut liquet in matrimonio contracto per Procuratorem ignorante Principali *Cap. fin. de procurat. in 6.* & ita tradit Sanch. *n. 6.*

Quod si ante eventum conditionis alter consensum revocet, judico omnino matrimonium tale non transire in absolutum sine novo utriusque consensu, quia matrimonium contrahitur mutuo moraliter simultaneo consensu utriúsque contrahentis *per cit. Cap. fin.* proinde absolutus unius consensus supponit absolutum consensum alterius, qui consensus deficit, si pendente conditione sit revocatus, imo id ipsum sentio de reliquis contractibus conditionatis; quia nemo prudens supponitur aliter consentire in contractum, nisi secundum naturam contractûs: sed hujus natura est reciprocus consensus, ergo nemo prudens consentit sine reciproco consensu, sed sub conditione, si alter consentit, atqui non consentit, dum fingit consensum, aut pendente conditione revocat habitum, aut laborat impedimento irritante contractum. Ex quibus sequitur, quod præteritus consensus alterius non revocantis, aut non fingentis, aut ignorantis impedimentum non perseveret moraliter; dum iste suum revocat, aut fingit, aut habet impedimentum irritans.

## §. VIII.

## *An contractus ex errore, aut dolo initus valeat transferre Dominium,*

226. ERroris nomine venit judicium falsum de re contrahenda, si det causam contractui, seu causet voluntatem contrahendi, dicitur error antecedens, incidens vero in contractum, seu concomitans illum, quando contractus poneretur, licet abesset error. Contractûs prædicata sunt substantialia, aut accidentalia, substantialia sunt, quæ conveniunt actui spectato præcisè secundum suum principale objectum, talia enim non supponunt actum in esse moris, sed constituunt, quæ verò actum supponunt am constitutum in genere moris, dicunjur accidentalia, quia actui tum in esse physico, seu naturæ, tum in esse morali accidunt v. g. in contractu matrimoniali cum Caja divite, vel Nabili, vel Virgine, &c. prædicatum actûs quatenus volentis Cajam in uxorem est substantia, quia non supponit actum in aliqua specie morali constitutum, sed eam constituit: prædicatum actûs ut volentis qualitatem divitiarum, vel Nobilitatis, &c. est accidens præsupponens actum in sua specie spectante ad mores jam perfectum, nisi contrahens suam primariam voluntatem restringeret ad aliquam qualitatem E. g. ad divitias, hoc est, intenderet non contrahere, nisi sit dives, tunc divitiæ forent

rent objectum partiale substantiale: universaliter enim omne illud est de substantia actûs, ad quod intentio est restricta tempore contractûs, nisi enim illud prædicatum subsistat, non habetur actus in tali specie intentus.

Cum autem intentio contrahendi largissima, id est ad nullum aliud prædicatum restringens, quàm illud, quod aut verba contrahentium significant, aut quod oculis cernitur, præferat occasionem infinitis fraudibus ad simplices decipiendos, strictissima verò, seu talis, quâ nolit valere actum contractum qualicúnque errore interveniente ferè omnes contractus essent aut irriti, aut saltem dubij, sequitur medium in hoc esse tenendum, proinde intentio, nec debet esse nimis extensa, nec nimis restricta: cum itáque ipsa natura contractûs non decernat, quid ex parte rei spectet ad ejus substantiam, quid non, regula hujus aliunde inquirenda est.

Haunoldus *tract. 8. num. 78.* statuit hanc: omne illud prædicatum spectat ad substantiam contractûs, ad quod ex communi hominum usu, aut legis dispositione præsumitur saltem implicite, & virtualiter restricta contrahentis intentio. Ratio, quia substantia omnis contractûs pendet ab aliqua intentione, non à largissima, nec à strictissima, ut dictum, ergo à media per regulam expositam.

Hinc fieri potest, ut error circa idem prædicatum in uno contractu sit substantialis E. g. in matrimonio esse filiam, aut primogenitam Principis, secùs in venditione, &c in qua non attenditur personæ qualitas, hæc tamen communiter in donatione est substantialis. Meritò igitur inquit Sanch. pendere à consuetudine, & voluntate contrahentium, an error sit substantialis, aut accidentalis.

Ex his infertur errorem esse substantialem, si loco equi visi à te generosi, & empti tradatur alius simillimus, sed non generosus, quia attento hominum usu alligâsti animum prædicato individuali generositatis.

Similiter audiens laudari filiam Titij nunquam à te visam esse bonæ famæ, & fortunæ, si peteres eam in uxorem, & ejus loco subrogaretur filia Caij, æque formosa, ac famosa, matrimonium foret nullum, uti nec si Nobilis quærat sponsam eique offeratur elegans puella cum addito esse nobilem, si tamen non sit, quia Regulariter inquit Pallavicinus in matrimonio inter personas ejusdem conditionis voluntas alligatur Prædicato individuali morali, ut esse ex tali familia, &c.

Dolus distinguitur duplex *L. 1. ff. de dolo malo*, in bonum & malum: Bonus juxta S. Thom. *2. 2. q. 118. Art. 8.* Situs est in solertia ad inveniendum derepente id, quod congruit, nempe ad repellendas fraudes, malásque artes ad se, suave, aut aliena tuenda. Hic dolus licitus est: nam eo usus est Apostolus *Corinth. 12. Cum essem astutus, dolo vos cepi*, sermo igitur hic est de malo in negotijs interveniente, qui *cit. L. definitur: Omnis calliditas, fallacia, machinatio ad circumveniendum, fallendum, & decipiendum alterum adhibita.*

Dolus sicut error potest accidere, vel circa substantiam, vel circa accidentia, & quidem aut ab altero contrahente, aut à tertio ad contractum non spectante. Quando est circa substantiam aut non, servanda est Regula data de errore, &

sicut hic; aut est antecedens contractum, aut incidens in illum, ita dolus antecedet, si dolosо consilio inducas ad contrahendum aliàs non contracturum, incidet, si aliàs inire volentem in pretio aut alio quopiam circumvenias. His prænotatis.

227. Certum est etiam jure naturali nullum contractum sive gratuitum, sive oneroſum, sive fidei bonæ, sive stricti juris initum ex errore, aut dolo contrahentis, aut tertij versante circa substantiam valere. Ratio: quia deficit consensus, si quidem celatur objectum à contrahente intentum. Unde donatio aurei existimati, quod sit grossus est nulla. Doctrina procedit etsi error aut dolus sit concomitans, quia etsi contractus adhuc celebraretur, hic & nunc tamen non celebratur defectu actualis consensûs.

Dico primò nullum contractum oneroſum bonæ fidei, aut stricti juris initum ex errore, aut dolo, sive hic sit contrahentis, sive tertij commisso solùm circa qualitatem esse jure naturali irritum. Est communis cum Haunold. *tract. 8. num. 83.* Contra Rebellum. Probatur quia adest consensus in substantiam; hæc enim non ignoratur sed accidens, cujus ignorantia, aut circa id dolus non obest, aliàs innumeri contractus, & matrimonia forent irrita inita cum persona fingente se nobilem, vel divitem, vel Virginem, &c.

Dixi *oneroſum*: quia gratuitus quando error aut dolus est circa causam motivam est invalidus; causæ enim motivæ alligatur intentio: ita Molina *Disput. 209.*

Hinc jure naturæ est irrita omnis liberalis Promissio, donatio, legatum, hæredis institutio ex causa motiva non subsistente, quapropter communior sententia cum Amico *Tom. 4. Disput. 31. num. 159.* ex Vasq. contra Coningk. Sotum docet pauperem fictum Eleemosynas non facere suas defectu motivi principalis, qui est sublevatio alienæ miseriæ.

Ex eodem principio constat ex recepta sententia irritas esse dispensationes, privilegia, & alias gratias deficiente causa principali motiva allegata.

228. Dico secundò spectato jure positivo contractus indissolubiles, ut professio, & matrimonium facti cum errore aut dolo circa qualitatem non redundantem in substantiam irrevocabiliter obligant utramque partem. Sequitur hoc ex conclusione prima ( nisi expressè alligata sit intentio qualitati *per n. 226.* ) ita Sanch. *L. 7 de matrim. Disput. 18. num. 18. ex cap. cum in Apostolicæ 18. de Sponsal. & matrim.* Ubi Urbanus III. approbat matrimonium, cui dolosum mendacium causam dedit.

Reliqui contractus natura sua dissolubiles stricti juris pariter non sunt ipso jure irriti, etsi eos dictus error, aut dolus accidentalis præcesserit, ita multi cum Lefl. *L. 2. c. 17. n. 31.* contra Bonacin. & alios apud. Lugo *Disput. 22. n. 70.* contra quos apertè stat pro nobis §. primus Instit. de exceptionibus.

De contractibus bonæ fidei communis Theologorum, & Juristarum vult esse irritos cum Bartolo, Abbate, Molin. *Disput. 352. per L. in causa 16. ff. de minoribus*, in cujus §. 1. à minore dolo circumvento contracta Societas dicitur nulla: consonat *L. eleganter 7. §. 3. ff. de dolo & L. ea verò 3. §. 3. ff. proſocio.*

Sed

Sed affirmandum est etiam hos valere ex communiore Theologorum cum Lugo *à n. 77. ex L. rem alienam 28. ff. de contrahenda emptione*, & *L. qui vas 48. ff. de furtis:* in priore rei alienæ utique venditoris dolo obtrusæ emptio tenet, in posteriore fur pretij pro re furtiva accepti fieri Dominus asseritur, ergo valet contractus: sed emptio & venditio est contractus bonæ fidei. Ratio autem est, quod probabiliter omnes contractus dissolubiles jure naturali claudicent, id est, ex parte deceptoris sint irrevocabiles, ex parte verò decepti ad hujus libitum possint rescindi, quamdiu autem non rescinduntur, obligant, ergo cum jurium correctio sit evitanda in dubio positivum jus ita est exponendum, ut minimè à naturali recedant, ergo cum nullus textus juris positivi manifestè irritet contractum ullum, etiam fidei bonæ initum cum errore, & dolo accidentali standum est etiam de jure positivo eos valere. Dixi *probabiliter* ob dicta *n. 53.*

Ad oppositæ sententiæ textus respondetur, quod prior & posterior verificetur Societatem esse nullius momenti ex parte decipientis, ut hic nullum jus acquirat, obligetur tamen in conscientia servare contractum decepto volente.

Limita dicta de dolo accidentali, si hic à tertio commissus sit non faciente unam moraliter personam cum contrahente non potest resilire à contractu deceptus, quia tunc nullam patitur injuriam ab altero contrahente, ergo nolente hoc non potest resilire, sed habet solum actionem contra deceptorem, Lugo *n. 83.*

## §. IX.

## *Practicæ resolutiones circa contractus ex errore aut dolo initos.*

229. Quæres primò an si post contractum initum se objiciat difficultas, quæ initio objecta impediviset contractum, liceat eam ignoranti resilire? quæstio est magni momenti: quia interdum rescinditur contractus propter aliqua nova emergentia antecedenter ignota, aliquando verò non: desideratur igitur regula generalis discernendi?

*Resp.* Non subsistere regulam ab aliquibus assignatam apud Sanch. hanc, quoties occurrit aliquid, quod ab initio cognitum à contractu abstraxisset, toties contractus ab initio initus fuit invalidus, quia, ut fortiter impugnat, *L 4. in Decal. c. 2. à num. 18.* Sequeretur plurima matrimonia, & professiones religiosas invalidas fore, aut in dubium vocari posse ob difficultates non prævisas efficaciter retrahentes, unde ipse loquens de professione, & voto non faciente religiosum negat obligare superveniente notabili rerum mutatione. Lugo *Disput. 22. num. 87.* distinguit inter contractus gratuitos,

tuitos, & oneroſos, primos vult irritos, etſi error vel dolus non ſit circa ſubſtantiam ſed circa aliquid aliud, quo cognito non fuiſſent initi, niſi illud aliud hic, & nunc non moviſſet: ſic datio Eleemoſynæ, ſubſiſtit, modo adſit paupertas, etſi huic annexa impietas, quæ cognita impediviſſet; carentia enim impietatis non movet, ſed realis miſeriæ ſublevatio.

Contractus oneroſi ſi ſint ex natura indiſſolubiles, uti profeſſio; & matrimonium, aut vota verum Religioſum efficientia etiam ſimplicia, niſi error vel dolus ſit ſubſtantialis, non ſunt irriti, nec irritandi: fiunt enim ſecundum naturam ſuam, horum autem natura eſt fieri eos abſolutè non ſub Conditione reſtringente ad alia extra ſubſtantiam. Cæteri contractus oneroſi jure poſitivo & naturæ non ſunt irriti, ſed irritabiles. Regula hæc eſt conformis dictis *à n. 227.*

Nec diſplicet Regula Wadingi, quod tunc contractus fuerit invalidus, quando etiam ſecluſo dolo difficultas ignorata eſt tam enormis, ut virum cordatum à contrahendo deterreret, quia nemo præſumitur conſenſiſſe in rem tam arduam.

In dubio an ſupervenerit notabilis rerum mutatio, aut error notabilis circa promiſſum, aut an id, quod finaliter movit, ceſſaverit, ſtandum eſt pro valore promiſſionis & voti Lugo *n. 91.* quia poſſident promiſſio, & votum.

230. Quæres ſecundò an error, aut dolus circa pretium mercis vitiet contractum? Pretium juſtum eſt, quod æquat valorem mercis, ſi taxatum ſit à Magiſtratu dicitur legitimum, ſeu legale, ſi autem communis hominum æſtimatio id taxet, dicitur naturale, ſive vulgare. Legale tenentur obſervare ſub mortali etiam Eccleſiaſtici, nam etiam hi obligantur ad pretium juſtum, quale eſt legale. Lugo *Diſp. 26. n. 37.* cum cæteris Theologis.

Vulgare eſt diviſibile, id eſt, habet latitudinem ex arbitrio privatorum, eſt enim triplex; Summum, ſeu rigoroſum, medium, ſeu moderatum, infimum, ſive pium. Quanta autem diſtantia poſſit eſſe inter pretium infimum & ſummum eſt incertum inter Doctores Lugo duplex ponit exemplum *n. 39.* Dicens: ſi medium ſint floreni decem, ſummum erunt undecim, aut undecim cum dimidio, infimum 9. aut 8. cum medio, item ſi medium ſint centum, ſummum erunt 105. infimum 95. quia eandem rem ſecundam diverſitatem affectuum, ac judiciorum æſtimant alij centum alij centum & 5. alij nonagintaquinque idcirco quodvis eſt juſtum, ac probabiliter merci, unde cum pro varietate circumſtantiarum varientur judicia, conſequens eſt etiam variari pretij quantitatem juſti naturalis.

Inter cauſas aliàs variandi pretium ſunt ſequentes Primò labor, ſumptus, & periculum in mercibus coëmendis, transportandis, & conſervandis. Secundò damnum emergens, aut juſtum lucrum ceſſans ex venditione. Tertiò ſingularis venditoris ad rem affectio, ac delectatio exinde promanans. Quartò periculum pretij acquirendi, & moleſtiæ, dum merces dantur pro pretio futuro. Quintò mercium penuria, & multitudo ementium auget pretium, imminuit autem copia illarum, & paucitas ementium. Sextò modus vendendi, & emendi, plus enim exigitur dum venduntur res ſingillatim, aut ad creditum, quam cumulatim, & pro parato ære minus valent mer-

merces ultro oblatæ, quam dum ultronèe offeruntur, signum est paucitatis ementium, ubi autem sunt crebræ, & minutæ venditionis est plus laboris, ergo. Ratio omnium est. quod hæc omnia sint pretio æstimabilia, ergo sunt compensationi obnoxia.

Econtra injustus est titulus augendi pretium propter emptoris inopiam, necessitatem, utilitatem (necessitas & utilitas publica taxat pretium, secûs privata) aliàs carius posset vendi panis famelico, quàm diviti. Ratio est, quod hæc non sint aliquid vendentis, sed ementis; econtra illius est specialis affectio, aut utilitas, aut necessitas rei, quam vendit, consequenter se privat non solùm dominio, sed etiam speciali affectione, oblectatione &c. in gratiam emptoris, etiam non est titulus augendi pretium præcisè, quod emptor sit exterus *Cap. 1. de emptione, & venditione.*

*Resp.* Nunc ad quæstionem secundam primò non vitiatur contractus rem eandem vendendo pretio justo naturali summo, alteri medio, alteri infimo, quia nullus est dolus, aut error, etsi venditor summum extorqueat mendacijs aut perjurijs, affirmans sibi tanti stetisse, quia non agit contra justitiam.

*Resp.* Secundò postquam est conventum de pretio infimo justo, si venditor decipiat emptorem occultè accipiendo supremum decipiendo hunc, aut in numero pecuniæ, aut in pondere vel mensura rei emptæ, peccat contra justitiam cum obligatione restitutionis contra Joannem Medinam & Petrum Navarra improbabiliter negantes, quia venditor nullum habet jus ad pretium majus post conventionem de infimo; Pariter ex opposito Emptor consentiens in summum nequit agere citra injustitiam, ut acquirat infimo: quia venditor acquisivit jus ad summum.

*Resp.* Tertiò fallacijs extorquens ab emptore pretium ultra justum summum (idem est de emptore, si hic fraudulenter aut ex errore venditoris salvat infra infimum justum) secundum omnes peccat contra Justitiam cum onere excessum restituendi danti ultra Summum, supplendi verò justum infimum in casu decepti venditoris.

Læsus ultra dimidium pretium, sive is sit venditor, sive emptor, potest etiam in foro externo agere contra læsorem, ut vel ad justum pretium reducat, vel ut contractum rescindat, prout lædens maluerit *L. 2. Cod. de rescind. vendit.* quando læsio est infra dimidium, jus ad evitandas lites non admittit actionem rescindendi contractum in foro extrinseco etiam Ecclesiastico. *L. 2. Cod. furtis* in foro tamen interno læsor tenetur reducere ad æqualitatem, & ut hoc faciat, potest læsus viâ denuntiationis agere in foro Ecclesiæ, etsi nequeat actione directa, quo sensu intelligendi sunt alij cum Covarruu.

Quapropter leges imperiales permittentes in contractu emptionis circumventionem mutuam, ut videre est *in L. In causa 16. ff. de minoribus*, ubi § 4. Pomponius ita loquitur: *in pretio emptionis, & venditionis naturaliter licere se circumvenire*, nempe infra justi pretij dimidium, si adversentur juri naturali, sunt correctæ *arg. Cap. fin. de præscript.* vel si non adversentur, intelligendæ sunt quod jure gentium non detur actio, nisi excessus fuerit major dimidio.

midio. De cætero contractus valet, aliàs non daretur actio ad rescindendum.

231. Quæres tertiò an venditor dolosè agat non detegendo emptori mercis vitium, quod potest esse, vel merci extrinsecum, ut si venditor sciat brevi pretium imminuendum propter superventuram copiam, aut per authoritatem publicam &c. vel est intrinsecum, id est, provenit ex principijs merci intrinsecis, ut si pannus sit adustus, & ideo infirmus, aut carios us, vinum corruptum &c. *Resp.* Primò nullum committi dolum, si venditor non detegat vitium merci extrinsecum. Est communior apud Lugo *Disput. 26. n. 140.* contra Medinam. Ratio quia merx adhuc justo pretio, id est, communi venditur, pecuniaque secundum communem valorem expenditur, neque notitia privata futuræ imminutionis pretij obstat, quia ab ea non desumitur valor mercis, ac pretium, aliàs Joseph in Ægypto injustè coëmisset pretio currente frumentum sciens ex divina revelatione fore brevi carius.

Hinc potest pretio currente vendi liber, quem scio prohibendum, esto vitium, propter quod prohibendus est, sit præsens: quia adhuc pretium ex æstimatione communi est justum Lugo *n. 144.* contra Salonium, Salas.

Responsum amplia, ut procedat, quod venditor talis regulariter non peccet etiam contra charitatem Lugo *n. 147.* cum Molin. Less. Covarruu. quia utitur jure suo; qui usus per accidens se habet, quod emptor patiatur damnum; aliàs non possem precibus inducere testatorem, ut priore abrogato me scribat hæredem. Dixi *Regulariter*, quia si emptor graviter pateretur, venditor ex charitate tenetur cum aliqua sua jactura impedire.

*Resp.* Secundò ad quæstionem tertiam vitia intrinseca merci patentia, ut si equus patenter sit cæcus non est obligatio patefaciendi; ita omnes cum D. Thoma hic *q. 77. Art. 3.* nisi stupiditas emptoris prodat imperitiam discernendi Lugo *n. 130.*

Secundò ex occultis defectibus sunt detegendi concernentes substantiam rei, ubi nomine substantiæ intelligitur res vendita, non secundùm se quomodocunque considerata sed út utilis in ordine ad communes usus, ad quos emi solet: unde empta ad aliquem usum, ad quem est omnino inutilis dicitur substantialiter defectuosa, Dicastillo de just. *L. 2. tract. 9. Disp. 4. n. 7.* aut si est litigiosa, & tamen venditur pro integra, aut si vendo fundum út liberum cui tamen est servitus annexa, Haunold. *tract. 10. n. 150.*

Tertiò quando res venalis occulto vitio infecta adhuc utilis est ad usum quotidianum, nec emptor interrogat de vitio, nec venditor illud ullâ arte palliat, v. g. pretio justo vendit vinum quotidiano usui aptum, at inutile ad finem ab emptore intentum v. g. ad conservandum, quem finem non expressit, sed prægustato vino contraxit, venditor tacendo non peccat contra justitiam, postea tamen tenetur ad summum ex charitate (si inquit Haunold. sine suo gravi damno potest) monere per se aut per alium, ut vinum brevi expendat. Lugo. *n. 104.* oppositum dic.; si Emptor exprimeret finem.

Multo minus est obligatio manifestandi vitium Emptori non quærenti, quando ei exinde nullum imminet periculum (quod probabiliùs procedit etiam quoad

quoad vitia notabilia Dicastillo *n. 35.* favet S. Thomas loquens indefinitè) dummodò justo pretio vendatur, etsi Emptor sciens defectum non emeret, error enim concomitans non dissolvit contractum nisi sit substantialis. Dixi *quando Emptori non imminet periculum*; si enim imminet illi aut tertio est obligatio sub mortali manifestandi, aliàs teneretur totum damnum resarcire *L. Julianus ff. de actionibus empti.* Lugo *n. 127.* ex communi dans rationem, quod exponens talem mercem cum vitij taciturnitate sit secuturorum malorum causa, ut si vendat cibum noxium, equum recalcitrantem, aut ambrosum, seu inopinatè resilientem, medicinas effætas pro efficacibus.

Quod si Emptor interroget in genere, aut in specie de vitio etiam levi debet detegi, aliàs dolus dat causam contractui, nisi sit modicus defectus, qui etiam scitus non impediret contractum, qualis videtur, si novum vinum sit ejusdem substantiæ, bonitatis, & utilitatis, cum illa, quæ ab Emptore intenditur & ei velut conditioni voluntatem alligaverit, ut si vinum novum sit æquè bonum ac vetus, quod Emptor intendit emere Sporer *tr. 6. in Dec. c. 2. n. 86.* unde si Emptor putans vinum esse Hungaricum, dum est Austriacum: aut écontra potest pro tali vendere pretio justo, etsi dixisses esse Austriacum cum sit Hungaricum licèt non emerent, si scirent aliud esse à putato, quia mendacium tale non est pernicioſum. Dicast. *n. 53. in fin.* Molin. *Disput. 352.*

Dices est deceptio contra substantiam. Respondet Dicastillo *n. 55.* esse contra substantiam materialem, secùs contra contractùs substantiam, nihilominus de rigore juris talis contractûs est verosimilius nullus Wading. *D. 7. dub. 9. §. 2. ex L. in venditionibus ff. de contrahend. Empt.*

Habens vinum generosum non potens id vendere ob altitudinem pretij, potest id aquâ mitigare, ac sic reducere ad æqualem bonitatem cæterorum, quæ communiter venduntur, ac pretio justo vendere. Dicastillo *n. 64.* cum Less. *Lib. 2. c. 21. n. 83.* Molina *D. 353.* quia tamen Lymphatum facilè acescit, aut evanescit, si Emptor id servaret, monendus foret, ut dixi ad finem Responsi Primi.

## §. X.

## De acquisitione Dominij per donationem.

DE hoc infra *à n. 505.*

## §. XI.

## De venditione rerum carentium taxato pretio rei furtivæ, & de evictione illius.

232. AN res carentes pretio legali & vulgari, ut raræ gemmæ, Canes insignes, picturæ, aves, animalia peregrina, numi antiqui &c. vendi possint pretio quantocunque, ex consensu Emptoris? *Resp.* Etsi communior verioráque sit opinio negativa apud Lugo *Disput. 26. n. 46.* quia justitia pretij secundum omnes dependet à communi hominum æstimatione attentis circumstantijs, nempe qualitate, utilitate, raritate, expensis communiter solitis (secûs quas mercator patitur, fortuitò ex naufragio, rapina &c. Lugo *n. 41.*) periculis difficultate in asserendis, novitate, emptorum pluralitate, ergo est injustum taxatum à sola mercatoris avaritia, & cupiditate Emptoris, huic enim communis prudentum æstimatio resistit; Attamen affirmativa propter authoritatem Doctorum. Victoria, Bannez &c. quam practicant Europæi mercatores cum Æthiopibus, & Indis, fistulas, vitrum &c. pro auro, & gemmis permutantes, & has hic pretio quanto possunt vendentes, condemnari non potest.

233. Quæres secundò. An venditio rei furtivæ valeat? & quid si ab Emptore rursus vendatur tertiò? *Resp.* Primò ad Primum quando tam venditor quam Emptor scit furtivam esse, contractus est nullus *L. 34. §. 3. ff. de contrahenda Empt.* estque sententia recepta cum D. Thom. *q. 62. art. 7.* quia uterque scienter damnificat rei Dominum, Emptor acceptando, venditor distrahendo, ergo Emptor nequit fieri ejus Dominus propter malam fidem, consequenter nec venditor Dominium transferre, sed uterque insolidum debet restituere vero Domino.

*Resp.* Secundò si solus venditor est conscius esse furtivam, contractus est verus, & validus utrinque obligans, Emptorem ad solvendum pretium, venditorem non quidem ad transferendum Dominium, cum hoc sit penes rei Dominum, sed ad interesse, ac de evictione, ita est expressum *L. 28. ff. eod.* unde Emptor acquirit jus evictionis translato pretij Dominio in venditorem, hic autem

tem tenetur tradere rem venditam: Etsi enim juxta Juristas non sit de substantia venditionis translatio Dominij rei venditæ, essentiale tamen est obligare ad traditionem rei, & ut quantum de se faciat, ut liceat Emptori habere rem *L 11. § 8. & 17. de actionibus Empti venditi*, quod aliud non est, quam teneri de evictione, ad solam usucapiendi conditionem in Emptorem transferre, ut huic eam habere liceat, ac legitimo tempore bonâ fide possessam præscribere valeat; è contra est de substantia, ut Emptor obligetur transferre Dominium pretij.

Dices traditio rei furtivæ est furi illicita, ergo fur nequit ad eam obligari. *Resp.* Cum Haunold. *tr. 10. n. 112.* communiter esse licitam, quia Dominus rei suppositâ firma furis nolitione restituendi communiter non est rationabiliter invitus, quia optabilius est rem esse penes emptorem, bonæ fidei propter spem facilius eam recuperandi, postquam resciverit de ea; venditor igitur obligatur ad traditionem quando Dominus rei rationabiliter non est invitus.

Respondeo tertiò ad Primum si solus Emptor scit rem esse furtivam, contractus ex parte Emptoris est simpliciter nullus, per cit. *L. 34. §. 3.* quia obligatur malæ fidei possessor rem Emptam restituere, ex parte verò venditoris bonæ fidei valet eatenus, quatenus acquirit Dominium pretij, si hujus est Emptor Dominus, quo casu venditor nec tenetur restituere rem fide bonâ venditam, nec pretium, utpote effectus hujus Dominus, nisi pretium fuisset furtivum, idque per confusionem cum alia pecunia transiviset in Dominium Emptoris, *L. si alieni 78. ff. de solution.*

Respondeo quartò ad primum Emens rem scienter alienam pretio modico, animo reddendi eandem comparenti verò Domino pretio detracto, licitè emit, teneturque Dominus, si vult rem rehabere in utroque foro pretium refundere. Ita Leges apud Less. *Lib. 2. c. 14. n. 20.* quia negotium Dominij utiliter egit, at si eam emit animo retinendi, nequit pretium repetere defectu omnis tituli.

234. Respondeo ad secundum secundæ quæstionis Primò. Emens bonâ fide rem alienam, eamque vendens minori, aut æquali pretio, si tertius à te emens restituit vero Domino, teneris tertio de evictione (id est hunc indemnem servare per restitutionem pretij omnisque damni consequentis reparationem, si res ab eo Empta tanquam alterius judicialiter evincatur, dummodo Emptor lite sibi super re Empta motâ illico notificet venditori, ut hic litem prosequatur, seque defendat, nempe Emptorem instruendo, liti assistendo, & probationes adferendo, ita *inff. & Cod. Tit. de evictionibus*) Domino verò comparenti nihil teneris, Ita communior cum Lugo *Disp. 17. n. 19.* contra Vasq. *12. D. 172. c. 1.* Ratio, quod nec teneretur ex re accepta utpote non amplius apud istum existente in se, neque in aliquo effectu, cum supponatur in nullo factus ditior, nec ex injusta actione, quia bonâ fide venderet.

Respondeo secundò ad secundum quæstionis secundæ, bonâ fide emens rem alienam pretio infimo vendens summo, Domino comparenti non tenetur restituere totum excessum supra infimum contra Less. & Vasq. apud Lug. *n. 20.*

quia non tenetur saltem ad excessum supra medium, pretium enim summum est fructus merè industrialis, Lug. *n 22.* tenetur tamen ad excessum quo medium superat infimum, est enim fructus venditæ contra Laym: *Lib. 3. tr. 4. c. 17. n. 25.* quia communiter res pretio mediocri venduntur.

Respondeo tertiò cum Sanch. *L. 2, moral. c. 23. à n. 16.* Lug. *D. 26. à n. 106.* Emens bonâ fide, & eádem vendens, postea resciens esse alienam debet esse paratus ad rescindendum cum secundo Emptore contractum, imò debet rescindere cum restitutione pretij, quando est periculum Dominum rei resciturum rem suam esse apud secundum Emptorem: imò venditor bonæ fidei, licèt deobligetur suo Emptori reddere pretium, sive titulo rei acceptæ, sive injustæ acceptionis, obligatur tamen ad præfata ex natura ipsius contractûs: quia vi hujus se obligat ad reservandum indemnem Emptorem suum, sed nisi sit paratus rescindere ac rei rescindat tempore periculi cum restitutione pretij non servat indemnem Emptorem.

Unde si non est periculum, quod Dominus resciet rem suam esse apud secundum Emptorem, non obligatur rescindere, nec reddere pretium, quia Emptor nullum patitur damnum, imò liber est ab obligatione monendi tum rei Dominum, tum Emptorem, quando ex monitione imminet venditori damnum, ut si est periculum amittendi pretium, charitas enim non obligat cum proprio damno: secluso tamen suo damno ex charitate debet monere ad vitandum proximi damnum.

235. Quæres Tertiò quid sit evictio? qui & quando ad eam teneantur? *Resp.* Ad primum cum Juristis, *est rei nostræ, quam adversarius legitimo titulo acquisivit, per judicem facta recuperatio*, ut constat ex dictis initio *n. 234.* ubi etiam dictum, quid Emptor præstare debeat, ut venditor illi teneatur de evictione. Ut ad hanc obligetur, non sufficit rem esse alienam, vel alteri oppignoratam, vel usumfructum in ea constitutum *L. qui rem 3. C. de eviction.* aut quod sit lis super ea mota, aut Emptor, ad ejus restitutionem condemnatus, sed ut transierit sententia in rem judicatam, ac rei Emptæ possessio in alterum translata, mandata sit executioni *L. habere 57. ff. & L. qui rem C. eod.*

Ex quibus constat Responsio ad tertium nempe quando obligatio sit de evictione.

Respondeo ad secundum obligari venditorem etiam ignarum, quod sit res aliena, quisque enim rei quam vendit, conditionem scire debet, & scire præsumitur, Arg. *L. quisquis 15. Cod. de rescind. vendit.*

Si scivit Emptor esse alienam, aut alteri obligatam, nec de evictione convenit cum venditore, hic non tenetur, sed sibi Emptor imputet, mereturque pœnam malitiosæ Emptionis. Non est etiam locus evictioni in contractibus lucrativis, ut in donatione, legatis &c.

§. XII.

## §. XII.

## *An Emptor rei alienæ teneatur hanc Domino restituere cum jactura pretij à venditore recipiendi.*

236. CErtum est primò esse reddendam Domino, si à fure venditore facilè is recuperari potest pretium. Secundò etiam, quando non est spes pretij recuperandi etsi furi restituatur. Extra hos Casus.

Dico si re furi restituta spes est rehabendi pretium ab illo, facta autem Domino restitutione est periculum amittendi pretium, probabilius est Emptorem posse licitè furi reddere, etsi Dominus eam non sit receptúrus Lugo *Disput. 13. n. 29.* Haunold. *tr. 3. n. 260.* contra Molin. *Disp. 722.* fur duplicem habet obligationem in casu præsenti; prior est obligatio reddendi verò Domino rem in se, vel saltem in æquivalenti; posterior reddendi pretium Emptori rei furtivæ, quam hic retinere non potest; priori fur non potest satisfacere, nisi Emptor rem ipsi restituat, unde fur habet jus eam ab Emptore repetendi (dum fur est paratus eam reddere Domino) si hic vult recipere pretium, Emptorque tenetur reddere, imò est fur prævideatur non restiturus rem Domino, adhuc si vult rehabere pretium, debet furi reddere; quod probatur: obligatio restituendi rem furi parato restituere non innititur voluntati restituendi, sed juri quod habet ad repetendam rem, fur enim obligatur restituere, in hac autem obligatione fundatur jus repetendi rem ab Emptore volente rehabere pretium independenter, sive recluso quovis furis animo, sicut servus Domino obligatus præstare Operas habet jus petendi alimenta à Domino Secluso omni servi animo, quia jus in alimenta fundatur in obligatione præstandi operas.

Probatur secundò nullus secluso pacto cum suo notabili damno tenetur defendere rem alienam, eamque à fure liberare, atqui Emptor bonæ fidei sine notabili suo damno scilicet sine pretij jactura nequit rem furtivam defendere ac à fure eliberare, atqui si teneretur illam Domino reddere teneretur eliberare cum jactura pretij.

Respondebis res in omnibus Emptoris existens est jam liberata à fure, ergo jactura pretij non restituendi non est rei eliberatio, & defensio ergo ex hoc, quod non obligetur eam tueri, ac liberare non est justus titulus illam furi reddendi pro pretij recuperatione: Contra enim est, quod quamdiu res non revertitur ad Domini possessionem, non sit plene eliberata, sed in via eliberationis; moraliter enim confligunt fur venditor, & Emptor hic repetendo pretium, ille denegando, nisi restituatur res, ergo Emptor restituendo rem aliud non facit, quam eliberationem

nem rei interrumpit, seu non continuat, quod esse licitum patet in obvijs instantijs: sic ego constitutus in actuali rei tuæ ex incendio exportatione possum illam permittere relabi in flammas prævidens me aliàs facturum jacturam proprij pallij, quia purè permissivè me habeo, quod res tua conflagrabit, sed etiam Emptor restituendo rem furi habet se parè permissivè respectu damni Domino secuturi: quia licet repositio rei in manus furis sit actio positiva in sensu physico, est tamen permissiva in sensu morali, quia non est ablatio rei à possessione Domini, sed supponitur subtracta à fure, emptorque eam reponit in statum pristinum, proinde restitutio facta furi non est deterioratio statûs, in quo fuit ante Emptionem, sed est repositio ad statum pristinum, ut patet ex instantia rei tuæ à me repositæ ad incendium ut salvem proprium pallium.

Amplia probabilius conclusionem ad Emptorem conscium, quod res venalis sit furtiva. Ita Lugo *num. 73.* cum Haunold. *cit. juncto num. 253.* contra Less. *Lib. 2. c. 14. n. 19.* plurimósque alios nobiscum consentientes de Emptore bonæ fidei. Ratio nostra est quod nulla sit solida disparitas inter bonæ, & malæ fidei Emptorem in hoc puncto: nam certum est, quod Emptor malæ fidei non teneatur reddere Domino titulo rei acceptæ, aliàs teneretur etiam Emptor bonæ fidei: non etiam titulo injustæ actionis, seu Emptionis, quia ut actio injusta sit titulus obligans ad restitutionem Domino faciendam, debet actio esse vera causa, cur Dominus re suâ careat, aut patiatur damnum, atqui Emptio rei alienæ etiam scientet facta non est causa cur Dominus careat re sua aut patiatur damnum, sed actio furtiva seu ablativa rei è possessione naturali Domini.

237. Objicies primò est illicitum rem positam in statu meliore dejicere in deteriorem, sed apud Emptorem est in statu meliore, quàm apud furem, ergo eam apud eum reponere est illam dejicere in statum deteriorem. Confirmatur: talis repositio est similis casui, in quo res tua penitus ex incendio eliberata à me projiceretur ad incendium, quod foret injustum, esto mihi quis minaretur tantundem nocere, nisi id facerem.

Secundò mortuo fure venditore debet rem reddere Domino, uti etiam hoc petente, licet fur vivat, ergo etiam eam Domino non repetente debet restituere cum pretij jactura.

Respondeo ad primum major est vera de positiva dejectione morali, secùs de permissiva, emptor reddendo furi non eam dejicit moraliter positivè, sed positivè physicè, moraliter autem permissivè: offert enim furi occasionem satisfaciendi suæ obligationi, nec tenetur supplere defectum animi furis cum jactura pretij. Respondeti potest secundò ex probatione prima negando majorem, quando est obligatio eam dejiciendi prout est in nostro casu titulo juris, quod habet fur ad repetendam rem ab Emptore fundatum in obligatione restituendi eandem Domino.

Ad Confirmationem primam est disparitas duplex, prima, quod minans mihi rapinam non habeat jus, ut res tua à me ex incendio eliberata rejiciatur ad idem, fur verò habet jus ad restituendam sibi rem venditam, ut possit satisfacere obligationi suæ. Secunda: quod rei extractæ ex incendio detrusio, dum supponitur penitus eliberata, sit actio moralis

taliter positivè cooperans combustioni, oppositum ostendimus in casu nostro.

Respondeo ad secundam, quod mortuo venditore sit restituenda Domino, est ideo, quod Emptor ne queat amplius contractum rescindere, in cujus rescissione fundatur jus Emptoris reddendi venditori, ut pretium recipiat. Petente Domino rem non tenetur eam ad ejus domum deferre, sed non impedire volentem recipere, nec occultare Lugo *n 32.*

Pro Reliquis Nota primò quod Judex fori externi Emptorem justè condemnet ad rem restituendam Domino non furi, hunc autem, si invenitur, coget ad reddendum pretium, si non invenitur, præsumitur fraus in Emptore, qui non vult eum prodere; si prodit, & non apparet, jam casus redit, in quo Domino res restituenda est. Hinc non est paritas ad judicem fori interni, quod etiam ipse possit Emptorem adigere ad restituendum Domino; Confessarius enim nequit venditorem compellere ad pretij redditionem.

Nota secundò quod Emptor non possit vendere rem, ut pretium recipiat, est exinde, quod non Dominus nequeat justè vendere, ut recipiat pretium, è contra Emptor justè reddit rem furi propter jus eam repetendi.

Nota tertiò non esse paritatem à depositario gladij Petri, cui non potest restituere sciens, quod eo abutetur ad vulnerandum tertium: quia depositarius per non restitutionem gladij nullum, ut supponitur, patiatur damnum; Emptor autem in nostro casu pateretur damnum, si depositarius prævideat se necandum, nisi reddat, potest reddere, etsi sit tertius necandus, hoc casu est instantia pro nobis & retorquetur in adversarios.

## §. XIII.

### *Ad quem spectet periculum rei venditæ ante, vel post hujus traditionem, & fructus.*

238. VEnditio secundum Juristas alia est ad corpus, sive ad speciem, alia secundum genus. Vendere rem ad corpus est idem ac apud Theologos vendere rem determinatam, sive in individuo E. g. hunc equum: vendere rem secundum genus est idem, ac apud Theologos vendere rem indeterminatam, sic emere viginti mensuras vini ex cellario est emere genus, quia res Empta est indeterminata, cum non determinentur mensuræ hæ præ alijs venalibus. Genus Emptum dupliciter potest esse indeterminatum. Primò tam in se, quam in alio, ut si non tantum mensuræ vini sunt in se indeterminatæ, sed nec aliud, nempe certum, ac determinatum vas eas continens. Secundò, ut genus sit in se indeterminatum, determinatum tamen in alio, ut emo

emo viginti mensuras ex tali dolio, tot medias tritici ex tali acervo, &c.

Res etiam determinata ponderabilis, numerabilis, aut mensurabilis E. g. ager, dolium vini, acervus tritici, grex, &c. dupliciter potest vendi, nempe vel ad corpus, vel ad quantitatem, sive mensuram. Ad corpus venditur, quando corpus objicitur sensibus, & totum unico pretio venditur, ut hoc dolium quinquaginta florenis, ad mensuram verò, quando non venditur pretio unico, sed pro quavis mensura pretium assignatur, ut vendo tibi acervum tritici florenis singulis pro singulis mensuris.

In dubio an ad corpus aut ad mensuram sit res vendita, hanc ponit regulam Haunold. *tract. 10. num. 52.* nempe tunc rem esse venditam ad mensuram, quando adjecta quantitas restringit, ac taxat E. g. vendo tibi ex tali agro decem jugera, ex hoc dolio decem urnas, quo casu si sunt plura jugera, vel plures urnæ non censentur venditæ.

Dictum est *numero 208.* contractum Emptionis, & venditionis perfici mutuo consensu, definitur enim Emptio, quod *sit contractus consensu perfectus, & mutuæ præstationis, quo id agitur, ut pro certis nummis numeratis danti res tradatur*, unde quam primum præsens utriusque consensus exprimitur circa mercem, & pretium determinatur, est contractus substantialis perfectus obligans ad non recedendum, etsi nondum merx, aut pretium tradatur, sed ex tunc Emptor jus ad rem relatè ad mercem, venditor verò jus ad rem relatè ad pretium acquirit, neuter autem jus in re, seu Dominium, proinde obligatio est non realis, sed personalis utrinque: venditor itaque manet adhuc Dominus rei venditæ etiam post perfectum substantialiter contractum, imò ut censeatur translatum Dominium, non sufficit traditio mercis, sed insuper requiritur unum ex his; nempe, vel ut Emptor pretium solverit, vel illud de præsenti offerat, vel cautionem fidejussoriam aut pignoratitiam præstet, vel venditor sequatur fidem Emptoris, id est, ei fidat, & pretium pro soluto habeat, unde traditio mercis præcedit ex intentione conditionata, si aliquid ex recensitis præstitum fuerit §. 42. *Instit. de rerum divisione*, unde si nihil horum ponitur, etsi Emptor rem alienârit, potest eam sibi venditor vindicare, ubicúnque repererit, Molin. *Disput. 338.* His prælibatis.

239. Respondeo primò ad quæstionem in §. positam: periculum rei venditæ post traditionem pertinere ad Emptorem, licet, hic nondum solverit, modo venditor ejus fidem sit secutus, quia ex tunc Emptor fit rei Dominus per *num. 238.*

Respondeo secundò quando merx venditur ad corpus, etiam ante traditionem regulariter jactura ejus est Emptoris, proinde debet dare pretium non minus, quam si ei tradita fuisset §. *cum autem Instit. de Empt. & vendit.* unde non est vera universaliter illa Regula, res quælibet perit Domino suo, nempe fallit, quando aliter disponit jus prout fit hic.

Respondeo tertiò, quando res vendita ad quantitatem, seu ad mensuram, vel ad pondus, vel ad numerum perit ante traditionem, venditori perit *L. quod sæpe §. 5. ff. de contrahenda Empt.* (nisi Emptor fuerit in mora, ne tempore constituto res sit dimensa, &c. tunc enim ip-

si

psi perit *L. lectos 12. ff. de pericul. & commodo:*) quia inquit lex, ejusmodi venditio est conditionata, si res fuerit tradita, vel mensurata.

Respondeo quartò res vendita indeterminata in se, etsi sit determinata in alio specificè determinato ut vendo tibi decem urnas ex hoc vase, aut decem vasa ex hoc cellario, perit venditori *L. incendium cod. si certum petatur*: quia inquit Glossa, quod in genere debetur, perire non potest, atqui hic Emptori debetur solum genus, ergo nihil ei perit.

Notandum tamen cum Less. *lib. 2. c. 21. dub. 12.* quod licet periculum rei sic venditæ quoad substantiam sit venditoris, attamen spectet ad Emptorem periculum pretij, & valoris ita, ut si hæc interea melioretur, aut deterioretur absque culpa venditoris commodum & incommodum sit Emptoris.

240. Nunc ad alteram §. quæstionem Respondeo primò fructus pendentes maturi & immaturi (nisi aliter sit conventum) sunt Emptoris, consequenter ei tradendi sunt cum re vendita v. g. vinea *L. 13. §. 10. ff. de action. Emption.* fructus enim pendentes censentur pars fundi Empti *L. 44. ff. de rei vindicat.* quæ ratio probat, etsi pretium nondum sit solutum, nec venditor ejus fidem sit secutus. Hinc

Sequitur primò si venditor fructus collegit Emptorem posse pretium detrahere juxta valorem fructuum.

Sequitur secundò si domus elocata venditur nondum finito elocationis tempore, pensio à tempore celebrati contractûs currit Emptori.

Sequitur tertiò generalem Regulam illam, unaquæque res fructificat Domino suo non valere in contractu Emptionis ob specialem legis dispositionem.

Sequitur quartò si post Emptum fundum aliquid per alluvionem accessit, ad Emptoris commodum pertinere, *nam & commodum ejus esse debet, cujus periculum*: verba sunt §. *tertij Instit. de Empt. & vendit.* Ex hoc.

Sequitur quintò esse probabiliorem sententiam ex Juristis, & Theologis Haunoldo *tract. 10. num. 65.* Less. Laym. contra Lugo *Disput. 26. num. 209.* ad Emptorem spectare etiam fructus natos, aut exortos post perfectum contractum nondum tamen translato Dominio nec pretio persoluto, nec habito pro soluto. Probatur primò à paritate cæterorum emolumentorum, quæ accrescunt Emptori prout dictum est de alluvione, & patet in accremento Empti equi, vituli, &c.

Secundo quia hoc est conformius juri, & rationi, nam *in L. 13. cod. de Action. Empti*, dicitur: *Fructus post perfectum jure contractum Emptoris spectare personam convenit, ad quem & functionum gravamen pertinet, venditor quoque pretium tantum, ac si mora intercessisse probetur usuras officio judicis exigere potest.* Ratio etiam est, quod eum concernant commoda rei Emptæ, quem concernit periculum, & deterioratio ejusdem, aliàs non servaretur æqualitas.

241. Objicies primò quævis res fructificat Domino suo, sed venditor est Dominus rei venditæ, ergo. Secundò quia hoc ipsum satis claré docent leges apud Molin. *Disput. 368.* Sanch. *Lib. 1. Consil. c. 7. &c.* in quibus se hi Authores fundant. Tertiò inter contrahentes debet esse æqualitas, Emptor autem in casu

nostro nondum complevit contractum solvendo pretium, ergo nec hujus Dominium transtulit in venditorem, ergo nec venditor tenetur transferre Dominium fructuum in Emptorem.

Respondeo ad primum primò retorquendo, quod etiam alluvioni fundo accreta spectarent ad Dominum, proinde ad venditorem. Vide seq. quintam. Secundò etiam axioma est, quod res suo Domino pereat, & tamen in hoc casu res non perit venditori, sed Emptori, ergo huic etiam, non illi fructificat: utrumque igitur axioma, si universaliter est verum explicandum est non tantum de Domino propriè tali, scilicet naturali, sed de omni illo, cui res in specie debetur, Laym. *L. 3. tract. 4. c. 17. num. 19.* in fin. atqui Emptor est talis Dominus, ita Arnoldus Rott apud Haunold. *n. 65.* est igitur quoad hoc effectus fictione juris Dominus.

Respondeo ad secundum has leges esse usurarias. Less. *L. 2. c. 21. n. 209.* Laym. cit. Haunold. *n. 68.* volunt enim ut Emptor pro pretio non soluto solvat usuras, seu pro dilatione pretij, sed dilatio pretij est quædam mutuatio, ergo usuras exigunt titulo mutui, proinde continent palliatam usuram.

Respondeo ad tertium concessa majori, & minori nego consequentiam, quia quando res vendita est frugifera, fructus veniunt etiam in æstimationem constituto justo pretio, ergo nequeunt venditori reservari, aut loco eorum pensio accipi, pecunia autem est naturâ suâ sterilis, ideo mediâ negotiatione reportatus est fructus merè industrialis, ergo si venditor non negotietur pecuniâ, is nequit ob dilatam ejus numerationem quidquam àb Emptore petere citra usuram.

## §. XIV.

## *De Emptione spoliorum, & Chyrographorum, ubi de Officialibus Cassæ, Cameræ aut Provinciæ morosè solventibus.*

242. QUæres primò an licitè emi possint spolia militaria rapta incolis amicæ partis, aut vindicata àb hoste eadem injustè auferente? Respondeo negativè spectato jure naturali. Affirmativè verò secundum universalem consuetudinem vim legis obtinentem Wadingus *Disp. 7. dub. 3. §. 2.* Laym. *lib. 2 tract. 3. c. 12. n. 14.* Ratio primi est, quia milites rapientes amicis non sunt Domini rapinæ, quæ ratio probat etiam de receptis spolijs è manibus hostium, nam hostes spoliantes nostros amicos non acquisiverunt Dominium in spolia, ergo nec milites eadem spolia ab hoste vindicantes. Ratio secundi, quod expediat ad acuendos militum animos contra hostem ut evadant Domini receptorum è manibus etiam injusti hostis.

Nec

Nec referet quod Emptores vix esse queant in bona fide, quando milites spoliant amicos incolas, quia legitimi Domini nequeant esse rationabiliter inviti respectu Emptorum, cum verosimiliter nunquam res tales ad veros Dominos perveniant docente quotidianam experientia Wadingus cit.

243. Quæres secundò An credita, & Chyrographa id est litteræ censuales fundatæ in dato mutuo, aut continentes jus stipendij debiti, aut hæreditatis, aut legati &c. possint justè, & quanto minoris emi?

Respondeo primò affirmativè de dubijs, & litigiosis aut certis sed periculosis, recuperatu difficilibus respectu venditoris, & quidem tanto minoris, quantò magis sunt dubia litigiosa &c. adeo ut quandoque sit tantum periculum, aut difficultas, ut perpensis ejusmodi circumstantijs communi judicio non superent dimidium pretium, ita omnes apud Lugo *Disp. 26. à n. 93.* imò Wadingus *dub 15. §. 1.* cum Baldo & alijs ait: si non sit creditori spes magna recuperandi suos mille florenos v. g. venetijs sollicitandos propter debitoris potentiam, vel suam inopiam, aut absentiam à loco, in quo est actio intentanda posse ejusmodi actionem emi parvo pretio à Cive veneto v. g. pro centum florenis, quia debitum sic circumstantiatum in morali æstimatione plus non valet.

Amplia primò etsi Civis ille ob favorem Principis, aut Officialium absque difficultate totum creditum sit obtenturus: favor enim non debet Emptori nocere, sed communis hominum æstimatio taxat pretium, non favor. Less. *Lib. 2. c. 21. n. 75.* contra aliquos.

Amplia secundò, quod etiam ipsi officiales Principis debitoris possint dicto pretio emere, si penes eos non stet, quod justus creditor non solvatur, sed penes Principem, aut hujus generalem quæstorem, quia illi non debent esse deterioris Emptoribus: monet tamen Laym. *lib. 3. tract. 3 c. 16. n. 33.* rem esse periculosam quoad tales personas.

Dixi si per Officiales non stet: quia si ipsi faciant difficultatem, ob quam creditor cogitur minoris vendere, certum est eos non posse emere minoris, sed teneri in conscientia totum solvere: quia spectat ad eorum officium Principis debita solvere, Princeps autem tenetur totum, hæc ratio non urget quoad cæteros Aulicos, quibus onus hoc non incumbit, unde hi possunt, ut alij, emere minoris, etsi facilè totam euincent solutionem.

Quare minimè sunt tuti in conscientia illi Officiales Cameræ aut Provinciæ facientes difficultatem in solvendo creditoribus Capitalium interesse, nisi hi faciant donaria: quia hæc donaria in similibus circumstantijs sunt metu extorta: creditores enim donant, ne cogantur carere interesse, aut id sollicitare cum ingenti incommodo, atqui donationes metu extortæ probabiliter sunt jure naturæ irritæ. Amicus hic *Disp. 18. n. 97.* Molin. *Disput. 135.*

Quid censendum de casu ferè quotidianæ nunc experientiæ. Accipit Camera, vel Provincia mutuo plura centena millia pro annuo interesse quinquè, aut sex per centum, contingit ob temporum injuriam aut aliunde non solvi ab Officialibus interesse per complures annos, ita ut jam æquet E. g. decem millia,

creditor necessitatus recurrit ad Cameram, aut Provinciam petens loco decem si numerari unum mille, quia videt difficulter se quid ampliùs obtenturum.

Respondeo si reipsa est moralis impossibilitas solvendi debitum interesse, aut magnam ejus partem, aut saltem aliquam ad averteandum tantum creditoris incommodum, eò quod alia Cameræ, aut Provinciæ onera magis nunc publico necessaria exhauriant ærarium, posse justificari hunc contractum: quia creditum cum his circumstantijs pluris non æstimatur. Wadingus *n.* 4. ubi sicut Officiales, sic pro Camera, aut Provincia contrahentes excusat, ita condemnat mortalis injustitiæ, si horum culpa non fiat integra, aut major pro posse solutio: quo casu obligantur rescindere contractum cum supplemento defectûs.

Idem Author rectè à dato responso excipit pias fundationes in Camera, aut Provincia investitas, quia hæ cedunt in publicam utilitatem, quapropter pia loca, seu Ecclesia, Monasteria &c. non sunt æquiparanda privatis creditoribus, sed citra imminutionem conservanda: quia eorum conservatio multum Reipublicæ interest.

244. Respondeo secundò ad quæstionem secundam credita quando sunt liquida, nec est ulla æstimabilis difficultas, aut periculum, aut emergens damnum, aut cessans lucrum in ijs acquirendis, sunt tamen immatura id est, talia, quorum terminus solutionis primùm imminet v. g. post annum, non licet ea minoris emere, Lugo *n. 69.* Haunold. *tract. 10. num. 104.* Less. *n. 71.* cum alijs contra Cajetanum, Wadingum, aliósque non improbabiliter citato Laym. teste dissentientes.

Probatur quod non esset æqualitas inter pretium, & rem Emptam, si debitor, aut alius in hoc casu minoris emeret futurum creditum: quia res Empta, vel est summa E. g. centum florenorum post annum solvenda, aut jus præsens ad eos post annum levandos secluso omni incommodo, sed tam summa, quam jus æquivalens summæ nequit minoris emi, aliàs titulo solius dilatæ solutionis minueretur pretium summæ, aut juris ad eam quod est usurarium, ut patet in mutuo, ex quo ob solam dilationem nequit quidquam peti ultra sortem: hæc sententia nunc videtur practicè certa ob propositionem 41. ab Innocentio XI. damnatam[8], quæ sic sonat: *Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, & nullm sit, qui non majoris faciat pecuniam præsentem quam futuram, potest creditor aliquid ultra sortem à mutuatario exigere.*

Unde negatur Adversarijs jus ad pecuniam Chyrographo venali comprehensam in nostro casu minùs valere quàm ipsam pecuniam. Si dicas *ex L. 204 ff. de Reg. juris minus est actionem habere ad rem, quàm ipsam rem.* Respondet Haunoldus primò retorquendo Regulam *juris 15. ff. eod. qui habet actionem ad rem recuperandam ipsam rem habere videtur.* Secundò sic conciliat, quod prior comuniter & ferè semper sit vera, quia vix occurrit casus in praxi carens omni molestiâ, periculo lucri cessantis, &c. posterior verò sit vera pro casu nihil horum adferente.

§. XV.

## §. XV.

## De Proxenetis.

245. Quæritur an Proxeneta, id est, is, qui nomine alieno vendit, quem alij licitatorem appellant, possit excessum pretij à Domino determinati sibi retinere? v.g. Petrus dat tibi vestes, ut eas vendas 50. florenis, an si eas vendas 60. reliquos decem queas licitè retinere? Affirmativa est certa in duplici casu. Primus est: si Dominus exprimat excessum fore tuum, sed tunc, si habes occasionem vendendi pro pretio determinato, ac spe lucri majoris differs, si postea nequeas vendere 50. tu ipse teneris compensare. Secundus est: cum non teneatur quis, nisi ad mediocrem diligentiam, si majori adhibitâ lucretur, lucrum est illius, ut si non obligatus rem alio transferre, transferat: ibique 60. distrahat; verum tunc debet in se assumere periculum, ut si pereat occasione translationis, solvat 50. censetur autem implicitè pactum intercedere, si Dominus rei committat eam vendendam non assignato illi nec promisso alio, seu laboris stipendio, Lugo *Disp. 26. n. 150.*

Negativa verò procedit ex consensu Doctorum primò si is, cui res vendenda commissa est, sit famulus meus, aut si promissum sit stipendium laboris, sponte ministerium suscepit: quia talis nullum habet titulum ad excessum, ita Less. *num. 138.* nisi inquit aliquis istorum rem talem pro se emat pretio indicato: tunc enim excessus utpote ex re jam propria proveniens justè retinetur, nisi ut numero sequenti limitat fortè Dominus mandet, ut vendat quanti intra latitudinem pretij justi potest, tunc enim moralem debet priùs adhibere diligentiam ad pretium majus acquirendum, post hanc adhibitam si non reperitur volens solvere ultra quinquaginta tunc demum potest sui juris facere: Lugo citatus subsumit, atqui dans rem vendendam pro quinquaginta florenis, si aliud non exprimit, semper implicitè mandat, ut vendat majore pretio justo quanto potest, determinatio enim pretij non est signum, quod sit absolutè isto contentus, sed ideo taxavit, ne infra hoc, secùs ne supra distrahatur, siquidem quisque istorum trium, Titulo, vel Officij, vel Mercedis, vel spontaneæ Promissionis se obligat ad mediocrem saltem diligentiam.

Nihilominus P. Rosmer *in Opus. de jure fol. 429* ex Angelo *V. Emptio n. 18.* docet tutè posse retineri excessum supra taxatum (maximè si adhibeat diligentiam extraordinariam, vel suo nomine rem emat taxato pretio vel ut propriam vendat) quia stipendium datur, ut inveniatur Emptor pro pretio taxato à Domino, favet aperté Haunold. *tract. 10. num. 1067.* credo inquit, quod Dominus velit esse contentus æstimatione.

Respondeo ad quæstionem me omnia approbare exceptâ hâc ultimâ doctrinâ, quam si singularis circumstantia aliqua practicandam prudenter suaserit, poterit Confessarius se ei accommodare, utpote non improbabili præsertim dum pœnitens non est in mala moraliter fide sine spe præsuturæ monitionis, ut si ob paupertatem non possit reddere, aut non agatur de magna quantitate.

## §. XVI.

### *An fas sit vendere quid pro quo? quid si emas à fure vestem cui sunt insuti aurei à venditore ignorati? An pondus, aut mensura aliquando possit justè à venditore imminui, aut merci bonæ admiscerì deterior?*

246. Quæres primò an fas sit vendere quid pro quo æque bonum, ut si pharmacopola carens specie à medico præscripta subroget aliam? Secundò an Mercator poscenti vinum Austriacum citra gravem injustitiam possit Styriacum æque bonum obtrudere? Tertiò an praxis sit licita conficientium ex melle, & aromatibus liquorum colore, & sapore vino hispanico simillimum, ac pro hoc vendere?

Respondeo ad primum affirmativè, quando species subrogata certo medicorum judicio est æque aut ferè æque bona ad finem intentum, non enim nocet saltem graviter Lugo *Disput. 26. n. 124.* ex communi contra Medina secùs si non est certo æque utilis, nisi certum sit damnum grave nullum imminere.

Respondeo ad secundum affirmativè, quia ut inquit Lugo in simili hæc diversitas in substantia est physica, secùs moralis relatè ad finem substantialiter intentum, hanc sententiam sequitur in foro conscientiæ etiam Lessius *Lib. 2. c. 21. n. 85.* at de jure positivo proinde in foro externo est venditio irrita, quia est error in corpore, seu in substantia *L. venditionibus ff. de contrahend. Empt.* loquente de eo, qui putat se emere fœnum Tusculanum, & emit furnianum, ita Wadingus *Disput. 7. dub. 9. §. 2.*

Respondeo ad tertium negativè cum citato Wadingo, si petitur par pretium; quia est diversitas substantialis non solum physica, sed etiam moralis ad finem ab Emptote intentum, licet enim talis liquor calefaciat detque vigorem, nunquam tamen habet proprietatem vini naturalis, neque omnes hujus effectus præsertim in medicinis, in quibus est longè alius usus veri, quàm fictitij. Secundò quia vini pretium crescit etiam ab extrinseco,

seco, neque quod tam remotè cum periculo & magnis sumptibus adferatur.

Nihilominus si vinum speciali industriâ deducatur ad præstantiam hispanici posse tale tali pretio vendi fatetur cit. P. Rosmer *fol. 300.*

247. Quæres quartò Emis à fure vestem, à milite Ephippium, à vicino domum, in hac reperis thesaurum, in Ephippio & veste aureos insutos, suntne tui aurei & thesaurus?

Respondeo quando in re Empta continetur alterum penitùs ignotum, ut in agro, vel muro thesaurus, unio in pisce, hoc incognitum sit primi occupantis, nisi aliter jus disponat, prout disponit de thesauro.

Respondeo secundò, quando res Empta continet aliud absconditum à legitimo tunc rei Emptæ Domino, cui furto, aut vi res continens scilicet vestis aut Ephippium aufertur, qui est hujus Dominus, est etiam Dominus rei latentis: sic aurei spectant ad insuentem eos suæ vesti, &c. consequenter huic restituendi sunt. Si vestis, aut Ephippium fuit hostis, adversus quem justè bellatur, secundum Lessium miles occupans vestem non fit Dominus latentis aurei defectu scientiæ fundante defectum animi occupandi, ac faciendi rem suam, quod approbat Lugo *Disput. 6. num. 130.* quando miles intendit occupare solum vestem, secùs si intendat occupare quidquid ibi est, quare secundum Lessium, dum ignoratur Dominus vestis, &c. aurum latens reputatur inter bona incerta, proinde probabiliter fit primi occupantis.

248. Quæres quintò an quando pretium Legale, seu à Magistratu taxatum est manifestè injustum, venditor ut se servet indemnem licitè defraudet in pondere, aut mensura, aut rebus notabiliter melioribus immisceat deteriores, ut reducat ad æqualitatem valoris cum rebus ab alijs vendi solitis?

Respondeo ad primùm affirmativè cum Lugo *num. 125.* dummodo pondus imminutum, & mensura æquet pretium: quia sic nulla est inæqualitas inter pretium & mercem. Hinc

Respondeo ad secundùm affirmativè, quia pretium taxatum procedit de mercibus ordinariæ bonitatis, ergo si notabiliter tuæ sint meliores potes attollere pretium servatâ æqualitate. Unde si tuum triticum venale, est purum, alienum communiter notabiliter mixtum, potes admiscere aliud granum, ac reducere ad æqualitatem cum communi tritico, vino valdè generoso affundere deterius tantum, quando reducitur ad æqualem bonitatem cum aliorum vino, Lugo *num. 68.* Less. *n. 83.* contra Salas, &c.

An vino valeat aqua licitè admisceri in tali casu, magis dubitatur. Plures nobiscum proximè consentientes hic contradicunt, ut Tambur. *Lib. 9. de contract. tract. 5.* fusè & communiter alij, quibus adhæret Lugo, quando vinum habet Legale pretium, quia, inquit, taxatur purum, non lymphatum vinum; dissentit verò, si pretium est vulgare, & mixtio non est noxia, sed redigit vinum spirituosius ad parem cum alio bonitatem. Respondeo cum distinctione, nempe negativè dum vinum venditur pro conservatione, affirmativè si emitur ad usus quotidianos, cit. Less. quia in primò casu exponitur periculo corruptionis, in secundo etsi non sit purum vinum, est tamen simpliciter tale, aliàs non esset consecrabile;

bile; taxatur autem non purum, sed simpliciter tale, ut patetin vindemia facta pluvio tempore, quale vinum constat non esse purum, & tamen venditur taxato pretio,

Nec illud hic negligendum est ex Laym. &c. quod quando vinum est nimis meracum, aut rigidum Emptoribus, posse affusione aquæ mitigari, quantum necesse est, ut evadat suave, & amœnum, ne ænopolæ necessitentur cum damno educillare vili pretio, monet tamen tantum esse imminuendum de pretio, quantum aquæ est admixtum, quia supponitur non esse melius vino alio, sed solum aqua admixta corrigit ejus asperitatem, ac inamœnitatem.

## §. XVII.

## *De Monopolijs.*

249. MOnopolium propriè est existens penes unum tantùm aliquem certas merces vendens potestas: de eo est titulus *50 in lib. 4. Codicis.* Id exercens Monopola vocatur. Porrò unitas potestatis vendendi dupliciter potest accidere. Primò ex Principis Privilegio uni soli, aut pluribus determinatis concedentis potestatem certas merces, tabacum, salem &c. comparandi, vel vendendi. Secundò ex unitate conspirationis idque quadrupliciter. Primò quando mercatores inter se conspirant de vendendis rebus determinato pretio. Secundò Emptores de non dando pretio, nisi certo. Tertiò, quando quis, aut plures Coëmunt omnes, aut potiores merces, ut eas postea soli magno pretio vendant. Quartò quando aliqui impediunt accessum venditorum ut Emptas ab his merces aut ex suis prædijs desumptas carius vendant cum damno ementium.

Dico primò Princeps ex causa justa potest vendere privilegium certis mercatoribus, quibus solis liceat aliquod genus mercium vendere dummodo provideat, ne pretium nimis excessivum taxetur à mercatoribus. Est communior cum Lugo *Disput. 26. n. 171.* contra Cajet. Sotum &c. Probatur: quod tota ratio injustitiæ secundum adversarios fundetur in hoc, quod alij impediantur mercari, & Emptores forte cogantur merces carius solvere ob paucitatem venditorum, sed totum hoc potest Princeps facere ex justa causa, nempe quando id expedit communi bono, ut habet redditus necessarios ad usus publicos, quibus caret secluso Monopolio, sic enim citra injustitiam impediuntur alij à mercatura, & alij coguntur carius solvere, alias Princeps sine injustitia non potest id facere.

250. Dico secundò probabilius non peccant contra justitiam commutativam mercatores conspirantes ad non vendendum merces infra justum pretium rigorosum, Lugo *n. 172.* Molin. *D. 345.* Less. contra Layman *Lib. 3. tr. 4. c. 17. n. 41.* Mendo-

Mendo in Epitome *Verb. Monopol. n. 1.* &c. probatur: quod quis sine inito Consilio potest justè facere, eidem justè suaderi potest, ut faciat, sed quisquis mercator sine inito Consilio potest justè non vendere, nisi pretio summo, ergo etiam alij mercatores justè eidem suadere possunt, ut non vendat, nisi pretio summo major patet inductione: unde negatur, quod Respublica habeat jus, ne mercatores sic conspirent in damnum privatorum vilius comparaturorum sine conspiratione.

Dixi contra *justitiam commutativam*, quia secluso Privilegio conspiratio est contra justitiam legalem, *L. unic. Cod. de monop.* ab Imperatore Zenone lata sub pœna confiscationis bonorum & exilij, ne medijs iniquis emptores adigantur ad summum pretium.

Nihilominus plerique cum Lugo *num. 175.* conspirantes damnant peccati mortalis contra charitatem: quia, inquiunt, charitas te obligat, ut non dissuadeas dationem v. g. Eleemosynæ, ut interea valeas carius triticum tuum vendere, ergo etiam licet possis pretio summo licite vendere, agis tamen contra charitatem suadendo alijs, ne vendant pretio medio, ut possis vendere summo. At Dicast: *L. 2. tract. 9. Disput. 3. n. 147.* negat; quia charitas non obligat cum gravi suo incommodo avertere aliorum grave malum, aliàs etiam secluso conventione mercator non posset licite vendere summo justo pretio, quia idem reipsa malum sentiunt pauperes Emptores.

Respondeo consulendam esse sententiam Lugo oppositam tamen non auderem damnare. Ex his

Infero etiam Emptores conspirare citra injustitiam de non dando pro mercibus, nisi pretio justo infimo ob rationem conclusionis, unde si venditores conspirantes non peccant contra charitatem, etiam non peccant Emptores.

251. Dico tertiò: si quis, aut plures omnes certas merces v. g. totum, aut ferè totum frumentum in messe coëmant animo postea summo justo pretio distrahendi non agere contra justitiam, Haunold. *tract. 10. n. 278.* Less. Molin. Lugo *n. 177.* contra Navarr. Tol. Salas, &c.

Probatur nullus pretio justo emens, aut vendens peccat contra justitiam, hoc fit hic, deditque hujus exemplum Josephus in Ægypto coëmens frumentum nullâ vi, aut fraude interveniente.

Dico quartò injustum est Monopolium obligans ad restituendum, quando vi aut dolo impediuntur alij ad merces advehendas, ut tales Monopolæ suas carius vendant, Lugo *n. 178.* & passim Theologi. Probatur: quisque habet jus strictum, ne vi, dolo, aut metu impediatur à bono justè consequibili, sed lucrum mediocre, quod alij Mercatores possunt habere, & benignum pretium, quo respublica posset merces emere, est bonum justè consequibile, ergo.

Infero cum salmanticensibus, Rectores Urbium illicitè impedire accessum aliunde frumenti, vini, aliarúmque rerum ad victum necessariarum, ut ipsi similes merces vendant, nisi per accessum externorum Provinciales non possunt res suas pretio æquo vendere, hoc enim foret præjudiciosum bono communi Provincialium: proinde tunc possunt externi arceri, donec Provinciales commodè res suas vendant.

## §. XVIII.

## *An contractus ex Metu initus transferat Dominium?*

252. METus est actus voluntatis fugiens malum imminens, nullus autem actus voluntatis potest esse etiam secundum quid involuntarius, quia voluntas omnem efficit juxta naturalem suam inclinationem; volitio enim electiva v. g. projectionis mercium ex Metu seu fuga naufragij caret omni omnino involuntario, quia ejectio tunc est omnino bona, ac conformis naturali inclinationi servandi vitam. Quare, dum agitur de electione alicujus operis ad vitandum malum futurum, quæstio procedit de actione electiva externa, utrum v. g. contractus ex Metu à contrahente, aut alio tertio incusso initus sit voluntarius voluntario sufficiente ad valorem contractûs, vel verò sit involuntarius, ac irritus aut saltem irritabilis.

Certum est talem actionem externam ut hic contractum non posse esse absolutè, & efficaciter involuntarium, aliàs non poneretur à contrahente, sed secundum quid, non quod malum imminens, aut hujus Metus per se, ac immediate influat in voluntatem, ut præmissum est, sed tantum per accidens, quatenus malum mediante Metu, seu fugâ sui causat electionem operis externi, scilicet contractus velut medij necessarij ad evadendum imminens malum, quod opus externum, quia per alium voluntatis actum concomitantem displicet inefficaciter, sive displicentia inefficaci absolutâ eidem voluntati inefficaciter displicet idem opus externum, mediante dictâ displicentiâ (etsi hæc non displiceat voluntati utpote perfectè voluntaria) seu fit secundum quid involuntarium.

Metus dividitur in gravem, & levem: quando malum imminens est leve, id est, non percellens hominem fortem, & constantem, dicitur levis, si autem percellat fortem, id est, difficulter excuti potest, seu superari pensatâ personæ aliàs constantis conditione, dicitur gravis, & cadere in virum constantem.

Incutitur autem Metus, vel ab intrinseco (id est à causa naturali necessaria, sive ea sit metuenti intrinseca, ut morbus, sive extrinseca, ut naufragium, pestis, &c. vel ab extrinseco, nempe à causa libera cogente, qualis est homo, qui si sit superior, ut Dominus, Maritus, Parens, Prælatus Proprius, Metus à tali incussus dicitur reverentialis, ex eo, quod incutiatur ab jis, quos revereri debemus.

Unde quando quæritur, an Metus reverentialis sit gravis, ac contractus ex illo initos irritet, quæritur de incusso à superiore, qui sit causa adæquata actionis nostræ externæ v. g. contractus matrimonialis, Professionis Religiosæ, &c. quæ actio nunc eligitur ut medium ad evitandum malum nobis à superioribus immi-

nens

nens quo casu etsi sit actio v. g. Professio mediante electione simpliciter voluntaria, est tamen secundum quid etiam involuntaria, per concomitantem alium actum voluntatis, per quem inefficaciter displicet eadem Professio.

Ut autem sit metus gravis requiritur primò, ut malum imminens sit grave absolutè, vel respectivè. Secundò ut metum patiens prudenter credat malum illud sibi imminere. Tertiò ut metum incutiens sit potens exequi minas, & insuper sit solitus exequi, in dubio autem an minans sit solitus exequi, aut executurus sit, minans potens exequi censendus est incutere metum justum, Sanch. *L. 4. de matrim. Disput. 6. num. 22.* non est enim æquum se se periculo exponere. Quartò ut metum patiens nequeat facilè declinare malum v. g. imploratione Auxilij, vel Consilij, &c. Sanch. *Disput. 1. num. 23.*

Hæc procedunt etiam de metu reverentiali gravi: quia licet hic secundum se consideratus verius non cadat in virum constantem, Sanch. cit. *Disput. 6. n. 7.* cadit tamen ut conjunctus continuæ aut diuturnæ vultûs E. g. parentum asperitati, aut rigidæ tractationi, aut gravi exprobrationi, quæ prudenter timetur, Sanch. *num. 14.* uti etiam preces importunæ, id est, instantissimæ, seu sæpius à superiore repetitæ, Sanchez *Disput. 7. num. 7.*

Quando metus ab extrinseco incutitur licitè, seu justè prout fit, quando incutitut ab habente jus incutiendi, dicitur Theologicè justus. Est autem Theologicè injustus, quando incutitur injustè, seu à non habente jus incutiendi. His præmissis,

253. Dico primò nullus metus etiam injustus levis à quocúnque incussus ad extorquendum contractum irritat ullum contractum jure naturali aut positivo, neque hoc jure conceditur rescissio ad evitandas lites, ut tradit P. Wiest. *in 1. Decret. ad Tit. 40. num. 24.* cum potioribus ex utroque jure, èstque verius in foro etiam interno conscientiæ esse omnes firmos, Pontius *lib. 4. de matrim. c. 10. num. 5.* contra Molin. *Disput. 267. n. 5.* Sanch. Wiest. *num. 26.*

Probatur irritatio contractus est grave malum Reipublicæ, ergo nequit irritari propter malum leve, aliter evitabile quàm celebratione contractûs, potest autem aliter evitari, nempe per contemptum metûs antecedenter ad contractum, ergo hujus celebratio non est medium necessarium ad evitandum contractum.

Dices cum Adversarijs contrahens patitur injuriam etsi levem, ergo non tenetur promissa præstare, & alter tenetur accepta restituere. Respondeo pati, sed facile vitabilem contemptu metûs proinde sibi imputet, si non contempsit.

254. Dico secundò metum gravem injustum à contrahente ad extorquendum contractum natura sua rescindibilem incussum regulariter validum esse, rescissione tamen obnoxium, Sanch. *Disp. 8. n. 4.* Lugo *Disput. 22. n. 115.* & alij contra Molin. *Disp. 267. & 326. &c.* indiscriminatim volentes omnes esse ipso jure invalidos sic extortos contractus. Probatur: quod ubi est voluntarius consensus in substantiam contractûs, nulla sit efficax ratio dicendi eum esse invalidum, nisi jus clare eum annullet, sed duo prima habentur hic, uti est clarum, nec ullum jus clarè annullat, non naturale ut

per se patet, non etiam positivum, cui innituntur Adversarij, nam *Lex Prima Cod. de rescind. vendit. & L. qui in aliena §. 7. ff. de acquirend. hæredit.* intelligendæ sunt, quod metu gesta sint irrita, & nullius momenti quoad effectum, cum enim obnoxia sint rescissioni, ideo carent firmitate. Deinde *cit. §. 7.* habens additionem hæreditatis pro invalida verum dicit propter fictum consensum, quem adiens clam coram alijs prodidit ut notat Zoës. cum Glos.

Confirmatur hæc expositio, quod pro parte nostra stent clariora jura, ut *L. fin Cod. de his, quæ vi: venditiones* inquit, *donationes, transactiones, quæ per potentiam extortæ sunt, præcipimus infirmari,* & *Cap. 2. de his, quæ vi:* ubi generaliter habetur, *quæ metu vel vi fiunt, de jure debent in irritum revocari,* nempe si metum passus petat, huic enim intendunt favere leges.

Adhuc objicies Primò metus est contrarius consensui spontaneo, hic autem requiritur ad valorem contractûs. Secundò habet aliquando annexum errorem, vel ignorantiam, ut dum clam aut à multitudine incutitur patiens ignorat à quo. Tertiò metum incutiens infert alteri injuriam, ergo hujus consensus nequit obligare erga erga injuriantem, aliàs hic commodum haberet ex injuria contra naturalem inclinationem. Quartò usurarius non fit usurarum Dominus, quia titulus est injustus, ergo etiam metum incutiens non fit Dominus rei traditæ ob tituli injustitiam: aliàs si fieret Dominus in Dominio præferreretur antiquioribus creditoribus, aut privilegiatis.

Respondeo ad Primum metum non simpliciter sed secundum quid contrariari consensui libero per *n. 252.* Ad secundum ille error non tollit notitiam nec consensum in substantiam. Ad tertium nego consequentiam, ad probationem dico: exiguum inde referre lucrum, quia aut nondum implevit contractum injuriatus vel implevit? Si Primum, potest excipere repellendo petentem, ut impleatur; si secundum potest petere restitutionem in integrum, seu rescissionem contractûs.

Ad quartum Molina & Lessius concedunt antecedens: quia usuras solvens non intendit eas donare, sed ex debito solvere, ergo cum nullum sit debitum, nullum jus transfertur; Lugo verò cum S. Thoma *opuscul. 73. de usuris Cap. 19.* negat antecedens. Hæc sententia est conformior principijs de contractibus ex metu, utrobique enim deest titulus justus in accipiente; nihilominus si est voluntas transferendi Dominium, transfertur, revocabiliter tamen, quæ voluntas ex parte dantis est justa causa, quatenus jure sufficit ad translationem, eâ deficiente certum est non transferri, prior] tamen sententia est conformior meis principijs de Actibus humanis *n. 60.*

255. Dico tertiò etiam contractus naturâ suâ irrescindibiles, ut matrimonium, & Professio initi ex metu injusto à quocunque incusso ex fine contrahendi non sunt jure naturæ irriti, jure tamen positivo sunt ipso facto annullati.

Probatur prima pars cum Sanch. *lib. 4. de matrim. Disput. 8. n. 4.* Lugo cit. cum innumeris Canonistis contra Molin. *Disp. 267. & 326. n. 14.* Haunold. *tr. 8. n. 106.* &c. quia ex nullo capite jus naturale eos irritat, non defectu libertatis, hanc enim non tolli patet in peccantibus

tibus ex metu gravi injusto : non gravis injuria, quam patitur contrahens, quia hæc injustitia non impedit, quo minus contractus sit simpliciter liber, ut patet in contractibus naturâ rescindibilibus, imò etiam in irrescindibilibus ex metu levi injusto factis, quorum valori non obstat injustitia etiam secundum Haunold. & Adversarios plerosque. Nec est disparitas sufficiens, quod dicat metum levem potuisse contemni, licèt enim ita sit, attamen dum non contemnitur, sed ex illo fit contractus, adhuc contrahens patitur injuriam.

Probatur pars secunda de matrimonio *ex cap. cum locum 14. & cap. veniens is de matrim. & sponsal.* De professione verò Religiosa expressum est in *Cap. 1. de his quæ vi.*

Objicies contra primam partem conclusionis cum Haunoldo, natura eam debilitatem indidit contractibus, quæ est necessaria, ut passus metum non cogatur invitus pati damnum, sed contractuum indissolubilium nullitas est necessaria ; nam si à principio valerent, cùm nequeant dissolvi, passus metum cogeretur pati damnum : nempe contractum, ergo.

Secundò ex injustitia nequit oriri justitia, sed si jure naturæ contractus ex metu injusto gravi initi forent firmi ex injustitia oriretur justitiæ v.g. Matrimonium ex justitia obligaret.

Respondèo ad primum contractibus celebratis à simpliciter invito natura indidit debilitatem necessariam nempe nullitatem, ut invitè eos celebrans non patiatur damnum, in nostro autem casu non celebrantur à non simpliciter, sed secundum quid, ac in efficaciter invito.

Ad secundum Ex injustitia formaliter, & immediatè nequit generari justitia, potest tamen injustitia præsupponi ex parte metum incutientis, metu concepto ex parte contrahentis consequitur ex parte ejusdem patientis metum consensus simpliciter liber per *n. 252.* Ex consensu libero oritur valor contractus obligantis ex justitia. Instantia est, quam etiam Adversarij communiter concedunt in Juramento injuriosè extorto à latrone de danda pecunia, quod ajunt valere per *cap. si verò, de jure jurando.*

256. Dico quartò metus injustè incussus à tertio ex alio fine quam ad extorquendum contractum, hunc non irritat, nec reddit obnoxium rescissioni, unde contractus etiam naturâ suâ indissolubiles, ut Matrimonnium & professio validi sunt, ita Sanch. *Disp. 12. à n. 11.* Haunold. *n. 117.* contra Lugo *à n. 175.* Wiestner *n. 35.* Volunt hi, quod E. g. Petrus deprehensus à Patre Fornicari cum filia, Pater vult eum occidere, ut evadat mortem, sponte se offert ad Matrimonium cum filia non oblatum à Patre ut medium evadendi mortem, volunt inquam, quod hoc Matrimonium sit irritum, reliqui verò contractus ex edicto Prætoris rescindi possint. Contra hos ergo probatur conclusio, quod in hoc casu nullo jure, sive naturali sive posito Matrimonium sit invalidum, ergo etiam alij contractus ex simili metu facti sunt irrevocabiliter validi. Antecedens probatur : non positivo : nam *Cap. 1. de his, quæ vi metûsque causa fiunt*, adductum à P. Wiestner expressè dicit, quod milites mortem sint minati fœminæ, nisi profiteatur in Monasterio, ergo

go metus injustus fuit incussus ex fine extorquendi professionem, proinde non est mirum, quod Pontifex declaret non esse Professam, si constiterit de metu: non etiam dictum Matrimonium est invalidum jure naturali, quia natura potiùs in similibus circumstantijs vult valere, quàm non valere Matrimonium, aliàs non esset possibile aliud medium evadendi malum gravius, nempe mortem. Confirmatur: si Matrimonium foret nullum jure naturali, hæc nullitas fundaretur vel in defectu libertatis contrahentium, vel in injuria, quam innocens patitur; non Primum: quia non tollit plenum usum rationis; non secundum, quia nullus contrahentium est alteri injuriosus, sed Tertius, qui tenetur ad reparandum damnum, proinde procurare, si potest, ut metum non passus consentiat rescissioni optatæ à passo metum, quando contractus potest annullari.

257. Dico quintò nullus contractus, sive is sit naturâ suâ rescindibilis, sive irrescindibilis initus ex metu gravi ab intrinseco, aut ab extrinseco justè incusso ad extorquendum contractum, irritat hunc, nec reddit obnoxium rescissioni, Lugo *n. 156.* & plerique alijs contra paucos quoad rescindibiles, contra multos verò Juristas quoad irrescindibiles contractus ex metu ab intrinseco incusso.

Probatur quod eligitur absque injuria ab ullo illata, illud nullâ lege est irritum, aut rescindibile, ut per se patet & ex *L. si mulier 21. ff. de eo quod metûs causa*, ubi donario ex justo servitutis metu facta à liberta valet, sed in casu conclusionis homo propriâ voluntate liberâ eligit contractum ad declinandum malum imminens sine injuria ab illo illata, ergo.

Hinc valet Matrimonium cum puella, ad quod ob ejus defloration inundam quis cogitur à judice Ecclesiastico, aut à puellæ parente minanti defloratori accusationem, secùs si minaretur mortem: quia hanc nullus privatus justè minari potest Sanch. *L. 4 de matrim. Disp. 9. n. 9.* juste accipis pecuniam à fure extortam minando accusationem, nisi dederit: quia justè potes eum accusare, Gobat *Theol. Experiment. tract. 10. n. 180.*

An autem minans accusationem ex causa justa animo simulato, id est, sine intentione accusandi ineat contractum firmum vel rescindendum cum onere restituendi? sunt qui affirmant rescindendum non nomine metûs, utpote justi, sed ratione injusti doli siti in ficto animo accusandi, Ita Haunold. *tract. 1. n. 122.* Lugo, *n. 167.* Molin. *D. 514.* sed negativa Sententia probabilis est: quia falsum est dolum hunc esse injuriosum, eo quod malum simulate intentatum minitari ac inferri jure potuerit, ergo contractus est firmus Wiest. *n. 39.* ex Less. *lib. 2. c. 17. n. 42.* cit. Sanch. Palao.

§. XIX.

## §. XIX.

## *An contractus solennitate juris destituti sint in utròque Foro irriti?*

258. NEgant plurimi de foro conscientiæ apud Lugo *Disp. 22. n. 249.* non pauciores affirmant invaliditatem, etiam in dicto foro apud eundem, quibus subscribunt Vasq. *de testam, c. 3. dub. 1. n. 4. & 1. 2. D. 164. n. 36.* Less. Molin. *D. 81.* &c. ex communi Canonistarum, Julio Claro, & Jasone excipientes testamentum etiam ad causas profanas, quod, dum certo constat de voluntate testatoris, testamentum sine juris positivi solennitate factum pariat obligationem naturalem, sed nequit hanc parere, nisi valeat, ergo valet; de cæteris sentiunt cum affirmativa,

Dico primò probabiliorem esse sententiam affirmativam, estque conformior nostris principijs ex quibus sic probatur, quando potestas agendi est adstricta ad certum modum, & formam præscriptam, sine ea actus celebratus est invalidus etiam in foro conscientiæ per *n. 42.* idque firmatur ex utroque jure: Primò Canonico irritante etiam in foro interno Matrimonia clandestina, id est, carentia præsentiâ Parochi, & testibus à Tridentino præscriptis. Secundò ex civili invalidante ipso facto contractus pupillorum de rebus immobilibus non solennes, sed dum jura requirunt solennitatem ad contractus; potestatem contrahendi restringunt ad solennitatem, ergo contractus sine ea etiam in foro conscientiæ sunt invalidi, nisi constet aliunde, quod jura solùm intendant actûs illiceitatem, secùs nullitatem: ex hoc capite Matrimonium sine proclamationibus est solùm illicitum, quia hæ non spectant ad substantialem sed accidentalem solennitatem.

Infero primò probabilius esse quod Testamentum non privilegiatum minus solenne in foro conscientiæ sit nullum, ita Doctores sententiæ relatæ affirmativæ contra Molinam, Lessium, Wadingum &c. Confirmatur: *ex L. hac consultissima 21. Cod. de testamentis*, quæ post præscriptas solennitates pro testamento perfecto sic concludit: *Ex imperfecto autem testamento voluntatem tenere defuncti (nisi inter liberos suos utriusque sexûs habeatur) non volumus, si verò hujusmodi voluntate liberis sit admixta alia persona extranea, certum est eam voluntatem defuncti quantum ad illam duntaxat admixtam personam pro nullo haberi, sed liberis accrescere.*

Infero secundò hæredem ab intestato succedere in hæreditatem bonorum, in quibus aliquis institutus est hæres ex causa non pia in testamento minus solenni

ni non privilegiato, quia perinde se habet, ac si decessisset intestatus.

Infero tertiò hæredem distinctum à causa pia, institutum minus solenniter teneri in conscientia hæreditatem extradere succedenti ab intestato, uti & Legatarius legatum. Unde etiam sic institutus non potest vi talis testamenti uti occultâ compensatione ex relictis à defuncto bonis. His ut probabilioribus non obstantibus.

259. Dico secundò contractus naturâ suâ rescindibiles bonâ fide initos sine solennitate à jure positivo præscripta in foro conscientiæ valere, proinde res sic abalienatas E. g. res Emptas Ecclesiasticas sine forma à jure canonico præscripta retineri posse, donec declaretur nullitas, ita P. Wiestner *in tertium decretalium ad titulum 13. de rebus Ecclesiæ alienandis vel non, num. 92.* Citans Panormitanum, Sylvestrum, Navarrum. Et idem in *primum Decretal. ad Tit. 6. de electione & electi potestate à num. 191.* Sustinet in foro conscientiæ Prælaturam, ad quam quis fide bonâ electus est, non teneri dimittere, etsi laboret electio defectu solennitatis, donec declaretur invaliditas, & præter allegatos adjicit Laym. *quæstionum Canonicarum q. 81.* cum alijs. Probatur: spectato jure naturali, & divino ejusmodi contractus pariunt obligationem naturalem, proinde valent, ergo licet careant solennitate juris positivi habendi sunt pro validis in foro interno, nisi aliunde etiam constet in hoc foro esse irritatos ex Canonum verbis, aut circumstantijs, uti constat de electione Simoniaca. *Cap. Matthæus 23. de Simonia*, quamdiu autem est dubia pro foro interno irritatio, interpretatio benignior est præferenda, consequenter quæ minus onus, & obligationem subditis imponit, juxta Regulam *in obscuris minimum est sequendum*: item contra *eum, qui legem dicere potuit apertius, interpretatio est facienda*, apertè autem exprimeretur nullitas aliqua ex sequentibus clausulis, ut si actus pronuntietur irritus *absque alia declaratione* vel *nulla declaratione secuta*, vel ut *jus jus nullum acquiratur*, vel ut *quod obtentum est, non valeat retineri*, vel ut *etiam in foro animæ non suffragetur*, cit. postremo loco Wiestner *num. 193.*

Confirmatur primò solutione argumentorum oppositæ sententiæ numero priori relatæ. Primò non valet argumentum à matrimonio clandestino, quia jus Trident. contrahentes inhabilitat ad sic contrahendum. Secundò quod hic contractus semel validus irritari non possit, ergo necesse est esse in foro interno nullum, dum caret formâ præscriptâ; ex hoc capite Religiosa Professio destituta solennitate non obligat in conscientia.

Arguunt secundò, quod actibus solennitate juris destitutis jus resistat; sed actus quibus jus resistit non obligant naturaliter, seu in conscientia. *Resp.* Ut actus naturaliter non obliget, cui jus resistit, debet esse aut talis, qui semel gestus nequeat natura sua irritari, vel jus debeat exprimere, quod resistat etiam pro foro interno.

Arguunt tertiò, quod actus pro foro interno etiam sit nullus ob defectum potestatis agendi, sed nisi fiat cum forma à jure præscripta deficit potestas agendi, cum restricta sit, quod est fundamentum potissimum nostræ sententiæ in conclusione prima.

Re-

Respondeo cum Wadingo *num. 2.* hæc duo esse separabilia actus sine solennitate debita gestus est nullus, potestas agendi est nulla: nego quod forma præscripta afficiat potestatem agendi, eámque reddat nullam, sed afficit actum ab ea gestum, reddítque nullum, non pro utroque foro, sed pro externo.

Arguunt quartò, quod solennitates à jure requisitæ ad valorem contractuum E. g. electionis, alienationis fundentur in periculo multarum fraudum, & incommodorum, quæ ratio, quia semper manet genericè vera, idcirco etsi in casu particulari absit fraus & nullum damnum immineat, adhuc actus censendus est in foro interno nullus.

*Resp.* Admitto manere periculum, & ad hoc evitandum solennitates constitutas, sed nego necessario eas concernere etiam forum internum, nisi jus apertiùs exprimat. Præterea si fuerit detectus defectus, sufficienter occurri potest periculo ex officio, & ad instantiam declarando nullitatem contractûs, &c. & cum ut Prælatus habeat jurisdictionem spiritualem ordinariam jure naturali plus non requiritur, quàm ut adsint substantialia actûs, qualia hic adsunt, ei reipsa attribuitur, sicut tribuitur, dum communi errore habetur pro Prælato, argument. *L. Barbarius 3. §. de Officio Prætoris.* Ex his.

Infero primò testamenta, & legata etiam non pia carentia solennitate esse valida, seclusâ fraude in foro conscientiæ, quam sententiam esse practicè tutam passim indicant Doctores, ac inter cæteros Haunoldus.

Infero secundò hæredem sic institutum & legatarium non teneri hæreditatem, & legatum reddere, donec repetatur civili condictione indebiti, hoc est, tanquam res civiliter indebita, Wadingus *num. 6.* qui ulterius infert ex communiore Theologorum hæredem ab intestato peccare mortaliter petentem sibi per Judicem restitui hæreditatem, quando ei certo constat voluntas testatoris scripta in testamento minus solenni. Unde negatur ab his, quod jura quæ invalidant testamenta minus solennia agant de casu, in quo hæredi ab intestato est certa voluntas testatoris, nec posse judicem adjudicare hæredi ab intestato hæreditatem, saltem quando ex confessione partis est Judex certus, & si hæredi scripto auferret, posset hic uti occulta compensatione.

Illatio hæc quatenus damnat peccati mortalis hæredem ab intestato petentem sibi adjudicari hæreditatem, ac Judicem adjudicantem, merito reprobatur à Cardenas Crysis Theologicæ *Disput. 16. num. 184.* quando scripto hæredi, ac Judici proponitur, ut mere probabilis sententia stans pro valore testamenti, quia probabilitas debiti nequit prævalere contra jus certum possessionis hæredis ab intestato, quando huic prius fuit adjudicata possessio. Unde subdit, quod Doctores approbantes occultam compensationem factam ab hærede non solenniter scripto judicent suam sententiam ex principijs intrinsecis esse moraliter certam, ubi constat de voluntate testatoris: sic ait Lessius, eo casu clarè patere mentem Legislatorum non fuisse in foro conscientiæ irritare testamenta, & Molin. *Disput. 31.* dicit apertè constare, quod solennitas solùm exigatur in ultimis voluntatibus ut testamentum sumptum pro instrumento non faciat fidem in foro externo, non verò ut in se non habeat vim contractus transferendi

rendi Dominium. Ly *clarè*, & ly *apertè* certitudinem indicant.

Infero tertiò si defunctus hæredis fidei commisit, ut aliquid restituat, vel solvat, licet tale fidei commissum non sit factum solenniter, debet solvi, si modo hæres fateatur id fidei suæ commissum esse, in dubio autem potest ei deferri juramentum, quod si acceptare nolit, pro confesso habetur *L. quæstionem fin. cod. de fideicommissis* Lugo *Disp. 22. num. 57.* contra Sanch. *lib. 4. Consil. cap. 1. dub. 14. num. 15.* existimantem non obligari in conscientia solvere commissum nisi defuncto promiserit. Ratio autem Lugo est: quod hæres repræsentet personam defuncti, ergo perinde est, sive ipse, sive defunctus fateatur, unde citatum jus, eum, qui recusat implere voluntatem defuncti perditum vocat.

Infero quartò testamenta ad pias causas, ac privilegiata, ut inter liberos, &c. valeat secundum omnes, etsi careant solennitate. Item ex recepta sententia apud Doctores primæ conclusionis Legata pia relicta in testamento pio minus solenni ad causas profanas valent, unde cum testamentum pium etiam non solenne valeat, sequitur, quod hoc revocet testamentum anterius solenne, etiam ad causas pias factum. Lugo *n. 270.*

Denique omnis dispositio ad causas pias valet, quæ valeret, si jus civile non obstaret, unde valet dispositio captatoria in pias causas (per eam intelligitur talis, quâ testator se in alterius voluntatem remitteret dicendo, lego ei, cui Petrus volet, vel instituo eum hæredem, quem Petrus volet) clarus §. *testamentum q. 6. num. 5.*

## §. XX.

## *De requisitis à jure ad alienandas res Ecclesiarum?*

261. NOmine Ecclesiæ in jure Canonico *Titulo de rebus Ecclesiæ alienandis vel non*, in hac ipsi favorabili materia veniunt omnia pia loca Ecclesiasticâ authoritate deputata ad pietatis, & misericordiæ opera exercenda, proinde non solæ Ecclesiæ, Capellæ, sed etiam Monasteria, & Hospitalia Episcopali authoritate constituta, Pirhing. ad dictam Rubricam secùs Hospitalia authoritate Episcopi non constituta. Idem est de bonis sodalitatum in Collegijs Societatis JESU, ac Seminariorum in Universitatibus, Wadingus *Disput. 2. dub. 8. §. 4. num. 5. 6. & 7.* proinde opus non est juris solennitatibus in abdicatione bonorum eorum.

Nomine autem alienationis non venit sola significatio in stricto sensu, nempe translativa perfecti Dominij, ut sunt donatio, venditio, permutatio, &c. sed latissime, & in sensu *legis fin. cod. de rebus alienis non alienandis* pro omni dispositione, quâ Dominium, sive directum, sive utile, vel aliud jus, sive in re, sive ad rem transfertur, proinde prohibita

hibita est etiam dispositio hypothecæ specialis, elocatio, & conductio ultra triennium, transactio, quâ hæc, aut illa res in alium transfertur, &c.

Per res sine solennitatibus à jure requisitis inalienabiles veniunt non tantum res immobiles, sed etiam mobiles pretiosæ, quæ servando servari possunt (quo nomine intelliguntur res, quæ ultra triennium durare consueverunt, Wiestner *ad dictum titulum num. 30.*) ut vasa aurea, torques, tapetes, ornatus auro, vel gemmis intermixti, & cætera magnæ æstimationis supellex, quæ propter materiæ pretium, vel artem, vel antiquitatem singularem confert splendorem, Bibliotheca copiosa (non singuli ejus libri præsertim cum alijs utilioribus commutandi) mancipia rustica, seu servi fundo excolendo adscripti, quia censentur pars quædam fundi, greges ovium, & armenta boum: hæc enim mobilia sunt pretiosa immobilibus æquiparata.

Jura autem ut ususfructus, census annui ex re immobili provenientes, aliáque ejusmodi jura incorporalia rebus immobilibus accensentur. Jura, & actiones rerum immobilium, & mobilium pretiosarum immobilibus æquiparantur; talis enim judicatur actio, qualis est rerum, ad quam actio datur. Unde an Prælatus nomine Ecclesiæ queat actione cedere, spectanda est res, ad quam illa datur, & si immobilis est, aut huic æquivalens, intervenire debet solennitas cit. Wiestner *à num. 23. ad 31.*

262. Dubitatur autem quanti oporteat esse valoris rem, ut pretiosa censeatur, & an pecunia jis adnumeranda? Palao ad primum requirit valorem 100. aureorum; Donatus 30. cum Diana *pag. 4. tract. 4. Miscell. Resol. 227.* Ubi refert pro hoc declarationem Congregat. Cardin. monet tamen valdè notandam esse mentem cit. Palao; Wiestner *num. 32.* vult attendendam esse consuetudinem, quæ plus indulget in una Provincia v. g. Germania, quam in alijs; plus Episcopis, quam alijs Prælatis; his autem permittit calicum, aliorúmque variorum aureorum, & aliorum veterum ornamentorum, etsi notabilis pretij commutationem pro novis æque bonis, ac pretiosis, utpote ferè non obnoxiam damnificationis periculo Engl *in 3. Decretal. ad Titulum 13. n. 5.*

Non refert quod Prælati sint quasi Ecclesiæ Tutores, quibus est alienatio interdicta, nam Respondet uterque citatus Canonista, Prælatorum munus esse perpetuum, adeóque non strictè, sed largiùs dici Tutores, consequenter majorem illis, quàm his convenire potestatem & his *L. Tutor. 13. §. 2. ff. de administratione Tutorum*, non facilè permittitur modica gratuita donatio ex rebus Ecclesiæ, secùs Prælatis *cap. cæterum 3. de donationibus*, imò ab his, inquit, Pirhing. ad *cit. Tit. 13.* pecunia aliquando comparari posse etiam annulos, torques, vasa argentea, atque aurea vel etiam prædium, ut benemeritis dentur.

Ad secundam partem dubitationis de pecunia triplicem refert sententiam Wiestner *à num. 33.* prima eam mobilibus non pretiosis accenset etiam comparatam ex venditione immobilium, aut deputatam Emptioni prædiorum, Wadingus §. 1. citans plures Jurisconsultos, quia non datur, aut accipitur, ut conservetur, sed ut in usus quotidianos expendatur. Secunda cum Azor id ipsum affirmat de pecuniis

cunia collecta ex locationibus, alijsque venditis redditibus, secùs pro immobilibus, aut pretiosis mobilibus comparandis, aut pro futuris necessitatibus in arca reposita. Tertia eáque verior cum Vasquez, Palao distinguit reputans inter immobilia, aut pretiosa mobilia legatam, aut donatam ex fine dicta bona comparandi, aut acceptam ex re vendita immobili (debet enim emi ea aliud bonum immobile, cum pecunia succedat in locum rei) aut ut ex ejus censu sustentetur v. g. monialis, secùs pecunia jacens in cista, licet esset destinata fine voro ad comparanda immobilia.

Imò quandóque res immobilis etsi pretiosa censetur pro mobili non pretiosa, atque adeo ut alienetur non egere solennitate, nempe dum bonum immobile v. g. arx datur pro debito pecuniario, eáque à Prælato non sit incorporata, seu applicata Monasterij bonis stabiliter Wadingus *num. 6.* monens multùm referre, in quem finem res immobilis sit donata, aut comparata, si enim fuit intentio eam perpetuo servandi, est in sua specie rei immobilis si solum ad certum tempus propter necessitatem, aut utilitatem Monasterij, manet intra naturam mobilium. Hinc res Emphyteutica ad Ecclesiam rediens potest iterum dari in Emphyteusim, nisi incorporetur Ecclesiæ; sola itáque applicatio facit inalienabilem, non applicatio verò alienabilem.

263. Dubitatur secundò, cum non omnes res sint sine solennitate inalienabiles, quales jus permittat alienari posse?

Respondeo primò alienari posse res mobiles non pretiosas, ut frumentum, cæteráque usu absumptibilia, vel brevi veterascentia.

Respondeo secundò res immobiles exigui valoris ex causa justa *Can. Terrulas. caus. 12. q. 2.* quæ autem censendæ sint tales multùm dissentiunt Doctores; Palao conformiter dictis *num. 262.* putat illas, quæ non attingunt valorem centum aureorum, & non ferunt censum quinque aureis majorem, & ita Salernitana Curia Archi-Episcopalis practicat, Zetola *in praxi Episcopali V. alienatio §. ad sextum*; Franciscus Leo non excedentes valorem 25. ducatorum auri de Camera; Glos. *in cit. Can. Terrulas V. exiguas* ait vocari, quæ non valent ultra 20. solidos, id est, nummos aureos. Hæc sententia est recepta in Curia Romana, proinde ab omnibus observandam tradit Corradus Pirrchus *dispensationum Apostolicarum Lib. 9. c. 1. n. 45.* sed Wiestn. *num. 41.* ex Barbosa & alijs putat id definiendum arbitrio prudentis Judicis, quam sententiam satis indicat citata Glos. non dicens absolutè, sed *forte pro exigua habendam*, quæ non superat 25. aureos, ea autem, quæ lege non sunt definita Judicis arbitrio relinquuntur *L. 1. §. fin. ff. de jure deliberandi*, unde cum ex Provincijs septentrionalibus non soleat à Prælatis recurri ad curiam Romanam in rebus 25. aureos non excedentibus, in his arbitrio Judicis definiendum juxta facultates Ecclesiæ, locorum, temporum, & consuetudinem: nam res, quæ alicubi 20. alibi 80. vel 50. alibi centum aureis æstimata modica censeri potest, Barbosa *de Officio Episcopi alleg. 95. num. 51.* Wadingus § 3. dicens, quod respectu unius Ecclesiæ aut Monasterij divitis est exiguum respectu pauperioris est multum.

Respondeo tertiò etiam res damnosas E. g. domos, quarum conservatio plus constat,

constat, quam valeat census, item possessiones, etsi non damnosæ, minus tamen utiles possunt alienari sine consensu Apostolico ( non obstante juramento de consensu Apostolico requirendo in alienationibus *Cap. cum super 8. V. possessiones de rebus Ecclesiæ alienandis* ) non tamen sine Consilio, & consensu Capituli, ita ex *cit. cap. 8.* Wiest. *num. 42.* Wading. §. *3. num. 2.*

Respondeo quartò alienari posse in casu urgentis, & celeritatem exigentis necessitatem, morámque impatientis, ut Pontificis consensus petatur, etsi enim secundum multos necessitas non efficiat contractus validos omissâ substantiali formâ, Ecclesiæ tamen prohibitio in alienandis ejus bonis noluit includi casum necessitatis, ne favor in ejusdem detrimentum verteretur, hic casus in locis, ubi ob bellicos tumultus bona destructa sunt ita, ut nullum adferant fructum, Monasteria sint incensa, Religiosi aliter nequeant ali, nisi pecuniâ in census acceptâ oppignorando bonorum partem, usum habere potest magnum, Wadingus *n. 4.* §. *3.* addens sub hoc casu juxta Doctores passim comprehendi redemptionem captivorum, & gravem pauperum necessitatem, *cap. sicut omnino cap. aurum cap. gloria, causa 12. q. 2.*

Respondeo quintò in permutatione bonorum inter duas Ecclesias ei Prælato plenè subjectas, sufficit ad actum perficiendum vocatio eorum, qui ex usu, & statuto advocandi ſsunt, sic sustinentur permutationes beneficiorum cum Episcopi consensu. Pariter cum Collegiorum perfecta administratio in Societate sit penes generalem, potest cum hujus consensu Collegium unum bona sua permutare cum bonis alterius Collegij, Wadingus *n 5.* notans non esse id contra mentem fundatorum, quia intendunt dare Societati, ut huic res sit commoda, secùs incommoda; hoc Privilegium non habet locum apud Regulares non habentes rerum omnium caput, cui perfectè subsint personæ omnes, & bona hujusmodi domiciliorum, inter quorum bona fieret permutatio: idque procedit etiam de Regularibus participantibus in Privilegijs, quia Societas potest id non ex vi privilegiorum sed ex vi suarum constitutionum, quæ non sunt alijs communes. Unde non obstat, quod multa privilegia, quæ in hac materia habuit societas per Constit. Urbani VIII. videantur sublata, non tamen concessa Generali ex vi nostri instituti, & Constitutionum nostri S. Parentis. Unde cum ex Constitutionibus habeat Generalis potestatem destruendi totum Collegium quando expedit, à fortiori potest concedere, ut bona unius Collegij vendantur alteri, aut transferantur in alterum Wadingus de contract. *D. 2. dub. 8. §. 3. n. 5.* Suarez *to. 4. de Relig. Lib. 2. c. 28.* per totum.

Ex his colligitur quod Juramentum de non alienando simpliciter præstitum sit intelligendum de jure illicita, & non permissâ alienatione, juramentum enim prestitum in materia juris est ad hujus terminos restringendum & secundum juris dispositionem interpretandum, ut colligitur *ex cap. ad nostram 21. & Cap. Clericus 25. de jurejurando.* Ratio est, quod jurans aliud non exprimens præsumatur se dispositioni juris conformâsse, Wiest. *à n. 47.*

Posse beneficiatos licitè, & validè ultra triennium elocare sine solennitate,

& consensu superiorisis fructus nomine beneficij, ist est, jus percipiendi fructus nomine beneficiatorum (secùs ipsum Dominium utile) quia talis elocatio non est alienatio rei immobilis, & mobilis pretiosæ, Laym. *lib. 3 tract. 4. c. 10. n. 5.* negans id fas esse Prælatis Regularibus; dat disparitatem, quod ibi morte elocantis beneficiati exspiret elocatio, secùs morte Prælati Regularis. Et Paulus secundus in sua constitutione *Abitiosæ*, statuit invalidum esse ultra triennium elocationem à Regularibus factam.

264. Dubitatur tertiò an præter solennitates à jure præscriptas justa, & qualis causa requiratur ad immobilium, ac pretiosorum mobilium alienationem? Respondeo affirmativè ita plerique cum Gloss. *in cap. Summam causæ 12. q. 2.* quatuor autem referuntur causæ. Prima est urgens necessitas, ut si ære alieno gravata Ecclesia nequeat aliter liberari. Secunda est evidens utilitas, *can. sine exceptione 12. q. 2.* hoc est, evidenter debet apparere ac ex indubitatis prudentum judicio conjecturis esse manifestè tempore alienationis non per solam contrahentium assertionem, sed per testes aliàsque legitimas probationes. Corradus Pirrhus *tit. L. 9. c. 5. à n. 49.* Unde requiritur, ut evadat melior conditio Ecclesiæ per alienationem prout probat Wiestner *n. 53.* ex utróque jure, *Novella 120. c. 9 Verb. Hoc autem*; *c. cum Apostolica 7. Verb. ne quis & c. tua 8. de ijs quæ à Prælatis: c. ad aures 7. de rebus Ecclesiæ alien.* ibi; *ad majorem Ecclesiæ utilitatem.*

Tertia est pietas, ut pro redemptione captivorum (non malefactorum in triremibus, aut incarceratis) necessitatibus Pauperum, pro ædificando templo, pro laxandis Cæmeterii spatiis ad sepulturam fidelium, pro defensione Ecclesiæ contra Paganos, & Hæreticos, aut propagatione fidei. Quarta est rei incommoditas sive inutilitas per Responsum tertium *n. 263.*

265. Dubitatur quartò an alienatio rei immobilis, aut mobilis pretiosæ citra solennitatem celebrata sit ipso jure nulla etiam in foro conscientiæ, & in quibus sita sit solennitas, seu forma alienationis?

Respondeo ad primum probabilius esse nullam etiam in foro conscientiæ, probabile tamen esse oppositum. Pars secunda stabilita est *n. 259.* prior verò *n. 258.* contra Sylvestrum, Navar. &c. sustinentes etiam in foro externo valorem, quando alienatio fit ob evidentem utilitatem, quit inquiunt nullum damnum aut præjudicium tunc patitur Ecclesia, quod est causa unica sanctionis annullantis. Verum constat ex dictis causam finalem non fuisse damnum particularis Ecclesiæ, ob quod solennitates sunt introductæ, sed universale periculum, quæ ratio cum nunquam deficiat, ideo ultra evidentem utilitatem adhuc exiguntur solennitates, sine quibus alienatio est ipso jure nulla, *cap. sine exceptione causa 12. q. 2.* ubi Leo Papa inquit: *irrita est Episcoporum venditio & commutatio rerum Ecclesiæ absque conniventia & subscriptione Clericorum* Wiest. *n. 86. junctò n. 91*, ubi tradit Emptorem ad restitutionem rei bonâ fide emptæ non teneri, donec declaretur alienationis nullitas, nisi facta sit à superiore Societatis consensu Generalis ob mox dicenda.

266. Re-

266. Respondeo ad secundum eam consistere in sequentibus. Primò ut præcedat cum Capitulo aut ijs, ad quos pertinet tractatus, seu consultatio, an alienatio expediat *cap. 1. de rebus Ecclesiæ non alienandis.* Secundò consensus majoris partis conventûs, aut eorum, quorum interest. In Religionibus proceditur diversimodè juxta varia indulta quæ consulenda: in Societate JEsu tota alienandi potestas est penes Præpositum Generalem, aut Congregationem generalem juxta Bullas Gregorii XIII. *Apostolicæ Sedis* &c. & alteram: *Ex debito* &c. Ex quibus constat superiores locales sine consensu generalis carere omni potentiâ alienandi, unde in eorum patentibus excipitur elienatio, proinde hujus nullitas citra consensum generalis est omnium maxima, atque omnino insanabilis, proinde major, quam sit facta à minore sine decreto judicis, quia minor habet saltem potestatem, sed ligatam. Tertiò subscriptio Capituli in alienatione stricta, ut in venditione, donatione, permutatione &c. vel Notarij] pro locorum consuetudine. Quattò consensus superioris, nempe ordinarij, aut quasi ordinarij in Ecclesijs Sæcularibus & Monastarijs non exemptis (secùs Vicarij Generalis, quia interpositio authoritatis in Ecclesiasticis alienationibus exigit mandatum speciale. Wiest. *n. 72.* oppositum sentiens de Vicario Capitulari, quia ex Commissione generali solet etiam expedire ea, quæ speciali mandato egent in Episcopi-Vicario) in Exemptis autem quorum immediatus superior est Papa, requiritur hujus consensus, in alijs autem quorum superior est Prælatus, aut Abbas Generalis sufficiebat consensus Generalis Papa inconsulto, cujus consensum requirit famosa Pauli secundi Extravagans, Ambitiosæ in qua etiam Pontifex exigit à Prælatis, quos ipse confirmat Juramentum de rebus non alienandis inconsulto Papa.

Sufficiebat, inquam ob concessa privilegia: at nunc ex decreto Congregationis Cardinalium interpretum Concilij Trident. Jussu Urbani VIII. 7. Septembris 1624. edito est dicta potestas adempta omnibus Ordinum Generalibus, & Capitulis etiam Generalibus, ut jam non valeant bona immobilia, nec pretiosa mobilia alienare, hypothecis subjicere, ultra triennium locare, in feudum, vel Emphyteusim concedere extra casus jure permissos sine dictæ Congregationis expressa licentia in scriptis, & gratis concedenda sub pæna privationis officiorum omnium, vocis activæ, & passivæ, atque inhabilitatis perpetuæ ad illa ipso facto incurrenda.

Advertit Wadingus *D. 2. dub. 8. §. 2. n. 2.* Decretum Urbani VIII. dirigi ad solos Prælatos Regulares, & Religionum Capitula. Unde pœnæ hujus Decreti non incurruntur à Prælato sæculari. E contra Cit. Extravagans etiam ad hos dirigitur, hæc non ipso facto privat beneficijs, secùs Urbani Decretum Postea *§. 3. n. 1.* ait quod Extravagans Pauli non requirat consensum Papæ ex sententia plurimorum DD. nisi in casibus, in quibus jura requirunt solennitates; quando autem jus permittit alienari res sine solennitate, tam constitutio Pauli quam Urbani eandem alienationem permittit, casus autem relati sunt *n. 263.*

An extravagans ambitiosæ sit usu recepta, Doctores variant. Affirmativæ de toto orbe, etiam quoad pœnas adhæret quaranta *in summa Bullarij V. alienatio n. 48.*

*n. 48.* Extra Italiam nullibi præsertim quoad locationes Zipæus *Analysis Juris Pontificij ad Rubricam de rebus Ecclesiæ alienandis*: quoad easdem, & privationem beneficiorum, & absolutè ex toto nullibi; & licèt quoad principalem, & intrinsecam dispositionem nullitatis in multis, in paucis tamen locis quoad extrinsecas videlicet excommunicationis, suspensionis &c. pœnas receptam esse asserit Navarrus de censuris Ecclesiasticis *Cap. 27. Excommunicatione vigesima-quinta n. 150.*

Ob hæc Gutirez vult consulendum esse locorum consuetudinem; hanc præcipue spectans Henricus Wagneregg *in Extravagante citata V. inconsulto* putat validas in multis locis videri alienationes sine consensu Papæ factas præsertim à Principibus Germanis non solitis saltem in alienationibus non magni præjudicij recurrere Romam. Ludovic. Engl. *ad hanc Rubricam n. 15.* dicit, in Germania & alijs ab Italia Remotis Provincijs ex consuetudine alicubi Prælatos non Exemptos pro alienandi licentia non ad Papam, sed ad suos Episcopos recurrere & eam Causâ cognitâ ab Istis in Belgio, teste Zippæo concedi, Abbates verò Exempti jurisdictionem quasi Episcopalem in Monasterijs suis exercentes in alienandis minoris æstimationis prædijs alterius superioris consensum non requirunt Cit. Engl. *n. 24.*

## §. XXI.

## *De extinctione Dominij per solutiones, & de litteris harum Moratorijs.*

267. SOlutio strictè talis est numeratio realis pecuniæ debitæ *L. solutam ff. de solutionibus.*

Quæres primò an debitores Urbis ab injusto hoste occupatæ liberentur à censibus debitis legitimis creditoribus inde fugitivis? aut à tributis Principi solvendis, si hæc tributa, & illos census cogantur persolvere hosti danti de persolutis quietantiam, & si cogantur cives ad emenda bona absentium confiscata à Tyrano debeantne veris Dominis postea redeuntibus restitui sine refusione pretij?

Respondeo ad primum primò debitores spoliatos in tali eventu omnibus suis non liberari à solutione debitorum, nisi hæc extiterint in depositio, depositum enim, cum non sit in Dominio depositarij, sed depositoris, huic perit, dum conservari non potest à depositario sine gravi suo incommodo, è contra hic rerum suarum est Dominus, ergo huic illæ ablatæ pereunt non creditoribus, his proinde remanet totum jus exigendi debitum pinguiore tempore Wadingus *de contract. Disput. 8. dub. 2. §. 1.*

Re-

Respondeo secundò ad primum probabilius tam debitores tributum Principi debitum, quam mutuatarios obligatos mutuatoribus solvere mutuum coactos à milite hoste, aut Tyranno ad id sibi persolvendum deobligari postea legitimo Principi, aut creditoribus resarcire cit. Wadingus ex Panor. *lib. 1. Consil. 60.* quia est quædam species solutionis, siquidem miles Authoritate ducis exigens, aut Tyrannus licet non sit verus Dominus, est tamen fictus, foretque nimis durum coactè solventes rursus cogere ad solutionem, nisi debitores fuerint in solutionis faciendæ ante hostis adventum, quia periculum post moram commissam ad debitorem pertinet *L. 5. §. de rebus creditor. & L. 82. ff. de Verb. obligatione.* Dixi *miles authoritate ducis* exigens: quia de milite prædante, cui Dux belli non cessit jus aliter sentiendum ut mox patebit.

Dices: ergo in expugnatione Urbis armatâ manu si miles inter spolia reperit Chyrographum debitoris alicujus, & vigore hujus exigit ab hoc solutionem, eamque recipit, debitor deobligatur solvere creditori vero, si huic debitor exhibeat Chyrographum. *Resp.* Primò illatum procedere, si debitorem Tyrannus cogit intuitu veri creditoris exsolvere militi. Ita Joachimus Bürgers *observationum juridico - Politicarum Cent. 1. observ. 26. in fin.*

Respondeo secundò etiam verum esse, si creditor captus pro sui eliberatione, aut ad vexam redimendum dederit militi Chyrographum, cit. Bürgers.

Respondeo tertiò quod sic si similes probet se esse cessionarium Chyrographi, vel delegatum Principalis, probare autem debet non solius Chyrographi debitoris exhibitione, sed etiam Instrumenti cessionem, aut de titulo doceat. Bortholus *in L. per diversos Codices mandati*, Bürgers. *Vers. Ad 2. Argumentũ & Vers. fin.*

Respondeo quartò negativè extra hos casus, cum cit. Bürgers Vers. Nihil itaque de privato milite, de Principe verò Victore affirmative: quia hic occupando locum succedit jure in universa devictorum bona, secus miles privatus, hic enim nullius rei jus acquirit, quam quod manu capit, aufert & in custodiam deportat *L. 5. ff. de acquirendo rerum Dominio*, jusque confiscandi non ad privatos, sed ad Principes Victores spectat ergo miles occupando Chyrographum nullum jus acquirit in debitum, nec Instrumentum ullum adjuvat in eo non expressum, *L. 21. Cod. de probationibus*, nec jus in tabulis versatur, sed ex ijs probatio petitur, nec debitor præsumitur liberatus, quod habet penes se Instrumentum, nisi probet illud sibi per creditorem redditum, Mascardus *Volum. 1. de probationibus Conclus. 477.* nec facit plenam probationem solutionis, sed præsumptionem *L. 4. & L. indultum ff. de solutionibus*, & ut Doctores ajunt restitutio Chyrographi non liberat debitorem ipso jure, sed ope exceptionis, Gaillius *L. 2. observat 37.* quapropter admittit præsumptiones contrarias & probationes. Responsio tota est cit. Bürgers juncto vers. *Ad 1. & vers. fin.*

Responsum hoc quartum citatus Bürgers in fine ampliat etiam ad debita passiva, ut si miles debitor expugnato loco extorqueat ex creditore obligatorias debiti sui, vel liberationem, quo casu contra militem potest intentare actionem, quod me-

tus causa. Ratio ampliationis est eadem, quæ data est in Responso quarto.

Respondeo ad secundum quæstionis primæ, si agatur de confiscatis mobilibus constat *ex n. 242.* emi posse, at de immobilibus emendis ab hoste injusto videtur emi non posse, quia, cum ab hoste, nequeant transferri aliò, Emptio, eorum est inexcusabilis, proinde verus Dominus non tenetur postea pretium refundere, sicut tenetur, dum extat res Empta mobilis, & hanc vult rehabere, quod etiam dicendum de immobilibus venditis, quando Princeps Victor justum gerit bellum: tunc enim est justa etiam horum bonorum confiscatio authoritate Principis, quia hic est tunc Judex horum potens eorum injuriam punire.

Limita hoc postremum dictum, dummodo non sint bona innocentium exceptorum, uti excipiuntur ab Innocentio III. *Cap. innovamus extra de treugna, & pace* bona Ecclesiæ & innocentium Ecclesiasticorum (nisi hi simul cum laicis bellent, & hostibus faveant, aut Ecclesia sit incastellata id est more castri unita contra *Capitulum SS. Patrum caus. 30. q. 1.*) quia non sunt pars politicæ Reipublicæ (prout sunt innocentes Laici, consequenter cum in bello justo Victor justè spoliet bonis Provinciam victam, etiam juste spoliantur membra ejus pollitica, etsi innocentia. Molin. *Disput. 121.*) Unde quando Dux militi permittit urbis expugnatæ deprædationem, cavere debet, ne res Ecclesiasticorum, Advenarum, seu peregrinorum hospitum diripiantur, quia non sunt Reipublicæ membra Anton. Th. *schiera tom 2. Theolog. bellicæ Lib. 8. difficultate 3. n. 16.* Subdens *à n. 21.* litteras represalias à Principe suis civibus concessas ad spoliandum cives quosvis alterius Principis pro compensatione rerum ab ejus Republica ablatarum non extendi ad personas Ecclesiasticas *c. unic. de injurijs in 6.*

267. Quæritur secundò an Reus criminis læsæ Majestatis Divinæ, ut hæreticus, aut humanæ, ut perduellis in Rempublicam aut Principem non recognoscentem se majorem à die commissi criminis validè solvat suos creditores, & vicissim validè solvatur à suis debitoribus? Olim confiscabantur bona criminosi propter omne Capitale crimen, *L. 3 ff. ad L. Cornel. de siccarijs*, at nunc jure novo seu Codicis *in Authentica bona damnatorum Cod. de bonis proscriptorum* statuitur bonorum publicatio ob solum crimen læsæ Majestatis.

Controversia in eo est, an ante sententiam criminis declaratoriam Reus amittat Dominium omnium suorum bonorum à die commissi criminis, vel post declarationem? affirmativa est communior inter Jurisconsultos volentes amitti etiam administrationem bonorum ac ad retineri nudam possessionem; negant autem communiter Theologi, quod Reus à die delicti validè alienet bona non tamen irrevocabiliter.

Probabilius sentiunt Theologi ob clarum textum *L. quæsitum est ff. qui & à quibus*, ubi expressum est reos læsæ Majestatis manere bonorum Dominos ante sententiam declaratoriam criminis, econtra nullus textus clare decernit oppositum, Ita Wadingus *Disput. 8. dub. 2. §. 3.* His præmissis.

Respondeo primò Reum talem validè solvere suos creditores Wadingus §. 2. ex Bartholo, quia fiscus ipse deberet ea debi-

debita solvere, cum ad eum transeant bona cum onere suo.

Respondeo secundò, etsi, ut dictum, maneat Dominus usque ad criminis declarationem, debitores tamen ei jure solvere non posse, quia solutiones has contra Regulam communis juris *L. 41. ff. de solution.* specialiter irritat Antoninus *L. fin Cod. ad L. Juliam Majestatis.* Wadingus §. 5. dans disparitatem cur contractus initi cum Reo læsæ Majestatis sint validi revocabiliter, solutiones verò eidem factæ sint nullæ: quod solutio sit extinctio obligationis solvendi, extinctio autem sit perpetua: è contra in alijs contractibus non destruitur obligatio, sed oritur ex contractu valido, cujus valor potest ope legis, aut Judicis rescindi. Ex eodem Wadingo §. 3. & 4. addo sequentia. Primò talem Reum ante declarationem criminis retinere bonorum Dominium, proinde licitè, ac validè bona alienare per contractus v. g. vendendo, Emptores validè, ac sine peccato emere; ijsque pretium pro bonis datum formaliter, aut æquivalenter exrans à fisco rescindente contractus esse refundendum. Si nec æquivalenter extet, etsi plerique negent esse refundendum, ipse tamen post Vasq. de Legib. *D.* 172. censet refundendum esse à fisco, sicut enim iste debet ex confiscatis solvere alios creditores, ita Emptores, nisi, presumatur collusio, & fides mala.

268. Quæres tertiò an solvens pupillo sine Authoritate tutoris liberetur à solutione?

Quartò an unum pro alio invito creditore solutum (ut si debeas centum medias tritici, solvas in vino, pecunia &c.) liberet debitorem?

Quintò an tempus solutioni præfixum possit anticipari. Respondeo ad tertium negative ex §. *ut ex contrario. Instit. quibus alienare licet*, si tamen extet pecunia debitori est reddenda, sin verò consumpta, quin pupillus sit factus ditior, debitor integrè de novo solvat tutori pupilli, aut Curatori minoris: sic enim liberatur, licèt solvat sine interposita judicis authoritate Wadingus §. 6. *ex L. quod si forte ff. de solut.*

Respondeo ad quartum Negativè ex certa, & ab omnibus recepta regula *in L. 2. ff. de rebus creditis. unum*, inquit, *pro alio invito creditore solvi non potest*, sensus est, quod nec debitor invito creditore possit dare unum pro altero creditori, nec hic ab illo unum pro alio exigere. Hinc diximus de jure Emphyteutico Dominum non posse pro servitijs exigere pecuniam Wadingus *Disp. 8. dub. 3. §. 1.* nisi debitorem excuset necessitas *per authent. de fide jussoribus & mandatoribus §. quod autem.* in qua conceditur debitori, ut det æstimationem, si facilè non possit reperire speciem, verum Wadingus negat tantam libertatem debitori, sed requirit, ut sit moralis impossibilitas habendi E. g. frumentum, aut vinum, aut pecuniam, de qua est conventum, aut non sine magno debitoris damno. Unde plures limitationes apud eundem *n. 2.*

Respondeo ad quintum vel tempus est præfixum in favorem creditoris, ne patiatur damnum, vel in favorem debitoris, ut fit plerumque; si primum creditor non tenetur accipere solutionem, si secundum, debitor potest favori renuntiare, ac creditori offerre solutionem, hic autem tenetur acceptare *L. eum qui ca-*

*lendis §. inter certum ff. de verb. obligat* idque procedit esi in favorem creditoris, minus tamem principaliter tempus sit præfixum, sic hæredes defuncti mariti mobilia dotalia non tenentur reddere ante evolutum annum, ac interea debent Viduam alere, licèt jus faveat Viduæ, quia tamen principaliter favet hæredibus, hi intra annum possunt reddere mobilia, ac liberare se ab alenda Vidua, Wading. §. *2. n. 3.*

269. Quæres sextò an solutio facienda sit secundum valorem rei, quem habet tempore solutionis, aut tempore contractus? valor rerum est intrinsecus aut extrinsecus. Intrinsecus desumitur à bonitate intrinseca, aut in pecunia ex puritate auri vel argenti ob modicam admixturam E. g. æris; in vino, & frumento, ut si hoc sit purum, vinum verò excoctum. Extrinsecus valor desumitur, quando materia immutata augetur in pretio.

Quæstio modo est: dedi tibi mutuos centum aureos post annum reddendos: singuli tempore mutui valebant florenos 3. at valor eorum extrinsecus tempore solutionis crevit floreno uno, proinde nunc conficiunt florenos 400., aut decrevit floreno uno, consequenter valent solùm 200. florenos, debeone nunc numerare 100. in specie aureos, licèt valor extrinsecus creverit, vel si decrevit, an satisfacio dando centum? dedi tibi mutuo centum imperiales puri argenti, nunc ob publicam necessitatem sunt adulterati, & vitiati E. g. ex argento unius probæ monetæ fiunt duo, an mihi satisfiat restituendo centum modernæ monetæ, vel sunt restituendi centum probæ? mutuavi tibi dolium vini boni æstimati 50. florenis, crevit pretium in duplum tempore restitutionis, debesne mihi reddere dolium integrum non obstante extrinseco accremento? de qua quæstione vide fuse scribentes Laym. *L. 3. tract. 3. p. 1. c. 5.* Wadingum *Disput. 8. dub. 4.* Dicast. *hic Lib. 2. tract. 10. Disput. 2.* Lugo *Disput. 25. à n. 112.*

Incipiamus à rebus mutuatis à nummis distinctis: non enim est par de utriq; que ratio: quia secundum Wadingum in vino, frumento, & similibusin eorum solutione attenditur solum ad valorem intrinsecum, proinde accipiens mutuo 20. dolia vini, debet totidem ejusdem bonitatis reddere, quin attendatur, an plutis aut minoris valeat vinum *L. cum quod ff. si certum petatur.* In pecunia suppositа hujus bonitate spectatur extrinsecus valor.

Verum ut clarius procedamus, prius quæ certa sunt præmittamus, eáque ab incertis separemus cum cit. Lugo.

Certum igitur est primò, mutuantem 10. mensuras tritici paciscì posse de reddendis totidem tritici æque boni, dum æque dubium est accrementum, & decrementum pretij, quia æqualiter utrique favet.

Certum secundò si mutuans prævideat majus fore tritici pretium, & id servâsset in illud tempus, potest pacisci ut restituatur eo tempore in pari mensura, & bonitate, secùs si non servaret.

Certum est tertiò, dum mutuans prævidet, quod decrescet pretium mensuræ uno v. g. floreno, potest à mutuante exigere restitutionem mensuræ duplicatæ, quia potest nunc triticum vendere duobus ut supponimus florenis sibi solvendis tempore decrementi, ergo potest etiam

exige-

exigere loco hujus pretium mensuram duplicatam.

Certum quartò, quando triticum vetus tantum valet, quantum valebit novum, etsi hoc facilius postea conservabitur, mutuans licitè paciscitur, ut loco veteris mutuati det novum dicta commoditas cum careat injuria, non est usuraria.

Difficultas restat duplex. Prima an fas sit paciscì de reddenda eadem mensura & bonitate, quando prævidetur augmentum pretij? Secunda quando tempore mutui non est conventum de eadem mensura, nec de hujus valore, ad quid mutuatarius obligetur?

Ad primùm affirmat Sotus quia in mutuo spectatur proportio, seu æqualitas corporum non pretiorum: Consentit Molin. *Disp. 311.* si solutioni tempus non præfigitur, quia sibi imputet non reddendo mutuum tempore vilioris pretij; Negat, si tempus est præfixum: Lugo *à num. 118.* cum alijs probabilius existimat non posse exigere eandem mensuram, quando probabile est tempore solutionis fore pretij augmentum, licet non sit terminus præfixus, aliàs daretur facilis modus lucrandi ex mutuo, nempe quoties mutuans prævideret mutuatarium non soluturum ante annum, mutuaret in mercibus in eadem mensura, & bonitate reddendis, quorum pretium nunc vile est, at postea est majus futurum. Verum sentio cum cit. Molin. & Dicast. *L. 2. tract. 10. Disp. 2. num. 50.* pactum tale non esse injustum, dummodo mutuatarius non obligetur non solvere ante tempus aucti pretij, quia tunc non cogitur solvere cum aucto pretio, cum si vellet, posset prius cum minori reddere.

Ad secundum Respondeo cum Lugo *num. 122.* si tempore mutui nihil cogitabatur de augmento, aut decremento rei mutuatæ præsumenda est intentio mutuantis de reddenda re simili in substantia, & qualitate, sive pretium rei postea crescat, sive decrescat, quia hoc fert secum natura puri mutui: hoc enim commensurat quantitatem & qualitatem rei ad rem, ècontra emptio proportionem pretij ad rem. Si mutuans prævidit augmentum futurum pretij tempore solutionis, regulariter nequit mutuatarium obligare ad eandem mensuram reddendam, quia cum hac prævisione non potuit onerare mutuatarium (nisi ut præmissum est, servâsset in id tempus) paciscendo cum illo, ergo nec potest præsumi, quod intenderit, delictum enim non est præsumendum. Si mutuans sciebat pretium fore minus, mutuatarius probabiliter satisfacit restituendo æqualem mensuram cum æquali bonitate, quia cum natura mutui potius ferat æqualitatem mensuræ quam valoris, dum mutuans aliud non expressit, præsumitur non hanc, sed illam intendisse.

Nunc transeamus ad mutuatam pecuniam (de qua fusissimè citatus Laym. brevius Lugo *à num. 124.*) Wadingus *Disp. 8. dub. 4. n. 3.* asserens quando valor solum extrinsecus monetæ variatur esse refundendam secundum valorem, quem habuit tempore contractûs secùs solutionis, ut si mille aurei mutuati valuerint tria millia florenorum, ac tempore solutionis singuli valent quatuor florenos, seu 4000. mutuatarius non tenetur reddere mille, sed 750. ècontra si valor decrevit tempore solutionis, ita ut singuli valeant florenos tantum duos, debet restituere

tuere 1500. Ratio: quia sic servatur æqualitas damni, & lucri inter debitorem, & creditorem.

Si mutuans paciscatur cum mutuatario de reddenda in eadem specie, & numero moneta, qualecúnque sit postea pretium futurum, est pactum licitum, & justum æque utrique favens, Lugo *n.125.* præmittens, quod licet mutuum afferat obligationem solvendi in eadem specie, attamen potissima species monetæ non desumatur ex materia, sed ex valore, quo formaliter constituitur in ratione monetæ, ergo solvitur mutuum in eadem specie, solvendo id in moneta ejusdem valoris, etsi non sit ejusdem materiæ, nisi ut dictum hæc etiam sit deducta ad pactum. Verum melius loquitur Layman. *num. 12. ex cap. cum Canonicis de censibus* & communi Doctorum quando moneta mutata est secundum valorem intrinsecum, & extrinsecum, ut si multùm adulterata sit, non satisfacit creditori mutuanti probam monetam, nisi solvendo veteres nummos aut novos secundum æstimationem veterum.

270. Quæres septimò quid sint litteræ moratoriæ vulgò ferreæ litteræ seu Eysene Brieff? à quo, quibus dandæ, & contra quos?

Respondeo ad primum esse rescriptum dilatorium mandans judicibus, ne permittant debitorem à creditoribus ad certum tempus in eo præfixum conveniri, quin illud tollatur ullum jus creditoris, aut interesse, aut pœna conventionalis, nec extenditur ad debita post id obtentum contracta, ita Wadingus *dub. 5.*

Respondeo ad secundum eas concedi à solo Principe supponitur *in L. quoties cod. de precibus Imperatori offerendis* (Judex inferior potest solum concedere dilationem modicam, nempe paucorum mensium Gloss. *in Lege si debitori ff. de judicijs*) & quidem non sine gravi causa, nec ad longum tempus, nempe non excedens, quinquennium, *L. fin. cod. qui bonis cedere possunt.* Accipiens moratorias debet dare idoneam causationem de solvendo post tempus privilegij elapsum, quando creditor illam exigit.

Respondeo ad tertium eas non dandas quibusvis debitoribus, sed solis adverso casu absque dolo, & culpa ad inopiam redactis, unde non sunt concedendæ debitoribus ex delicto, sed luant in pelle, dum non possunt in ære, uti sunt Decoctores rerum suarum, comparantur enim furibus.

Respondeo ad quartum non esse concedendas adversus quosvis creditores; videlicet primò, quando pecunia numerata est deposita, quia hæc sine omni mora, & remotis exceptionibus depositori est restituenda, *L. 1. cod. depositi.* Secundò si debitum sit ex contractu locationis, seu conductionis. Tertiò si debitum sit pupillare, alimentorum, opificum, mercenariorum, famulorum, aut Ecclesiasticum (sæcularis enim potestas non potest præjudicare Ecclesiæ) aut fiscale aut contractum cum externo, & transeunte, aut dotale. Quartò litteræ moratoriæ generales non extenduntur (nisi expressè oppositum sit expressum) ad debita jurata, & privilegiata pupillaria, aut viduæ.

Ex his facilè patet æquitati conformes esse resolutiones, quas circa moratorias interrogatus P. Petrus Wadingus dedit, dum maxima Europæ pars bellis arderet. Primò eas non esse dandas generaliter,

liter, & contra omnes personas, nempe contra miserabiles, & pias causas. Secundò cum multi citra culpam premantur egestate, illis esse ad aliquod tempus concedendum privilegium militum *L. miles ff. de re judicata*, ut scilicet non conveniantur plus quam commodè possunt. Tertiò ut in publica patriæ vastatione, dum non est præsumptio moræ peccaminosæ, Princeps mitiget rigidas executiones per pignorationes, & missiones in bona. Quartò ex quorundam Doctorum judicio posse Principem supremâ suâ Authoritate condonare debitoribus census annuos, in quibus propter militares rapinas non poterant solvere, aliàs census cum Capitali adeo excresceret, ut non possent solvere, nisi exuerentur omnibus bonis, ipsíque creditores debent aliquid illis remittere. Quintò ipse Princeps exemplo Tyberij Cæsaris remittat ad tempus pendenda publico ærario. Sextò constituantur Commissarij prudentes, & Docti, qui habitâ ratione debentium, & creditorum natura, & origine debitorum attentâ potentiâ vel impotentia solvendi ita rem componant, ut nec creditores in totum priventur, nec debitores ad summam inopiam redigantur.

# ARTICVLVS QVARTVS.

## *De Dominio bonorum vacantium, inventorum, incertorum commixtorum cum alieno. Item de Venatione, piscatione, pastione & lignatione.*

271. QUæres primò quis fiat Dominus bonorum vacantium, seu eorum quæ quis moriens ab intestato, & absque hæredibus reliquit? Item inventorum?

Respondeo ad primum cum Domino careant, secundum jus gentium essent primò occupantis; ad secundum jus commune devolvuntur ad fiscum *L. 1. ff. de jure fisci* (non tamen ante sententiam judicis tenetur eorum Possessor tradere fisco secundum Amicum *Disp. 16. num. 6.*) nisi fuerint peregrinorum, quia hæc non fisco, sed per loci Episcopum in pias causas sunt distribuenda, *Auth. omnes peregrini cod. communia de successionibus.*

Respondeo ad secundum cum S. Thoma hic *q. 66. Art. 5.* & tria assero: Primò res inventas hactenus sub nullius Dominio existentes, ut gemmas repertas in littore maris esse primo occupantis, seu corporaliter apprehendentis. Secundò deperditarum rerum inventor, pro earum qualitate obligatur adhibere Majorem, aut Minorem diligentiam, ut resciat Dominum etiam per publicationem ex pulpitis,

pitis, & quidem si res sit magni momenti v. g. 100. aurei non sufficit publicare semel, ac iterum in loco inventionis, sed etiam jis in locis, in quibus prudenter suspicatur posse reperiri Dominum. Hæc inquirendi obligatio est ex justitia, Haunold. *tract. 5. num. 24.* quia rem inventam detinendo accipit in suam Custodiam. Post adhibitam sufficientem diligentiam non reperto Domino non obligatur de jure naturæ expendere in usus pios, sed ipse fit Dominus cum obligatione eam reddendi Domino fortè comparituro, si ea in se, vel æquivalenti extiterit comparitionis tempore Haunold. *n. 26.* cum multis contra Molin. *Disp. 746.* Lugo, Less. quia nullum jus oppositum statuit. Jus si esset naturale in nullo alio fundaretur, quam in præsumpta voluntate defuncti, atqui hæc voluntas nequit communiter præsumi, sed oppositum: quia major spes est rem rehabendi, si sit penes inventorem. Juxta oppositam sententiam, si inventor est pauper, potest sibi totam applicare; Post legitimam applicationem cessat obligatio restituendi Domino, quia per pauperes censentur Successores in his bonis post applicationem, ita Salmaticenses.

Sed potestne inventor petere pro inventione pretium? Respondeo negativè cum Lugo *Disput. 6. n. 149.* aliàs non teneretur ex justitia totam rem reddere Domino, si tamen in custodienda re, aut indagando Domino, quid expendit, potest refusionem exigere.

Tertiò assero jure naturæ, ac gentium thesaurus in fundo proprio inventus est totus inventoris, repertus casualiter in fundo alieno ex dispositione juris est dividendus æqualiter inter inventorem & fundi Dominum §. *39. Instit. de rerum divisione.*

272. Quæres secundò ad quem spectent bona incerta. Dicuntur autem bona incerta, quorum habetur Dominus sed invincibiliter ignoratur, aut ob locorum distantiam est moralis impossibilitas, ut ad ipsum, vel ad ejus hæredes perveniant. Hinc secundum ferè omnes non sunt bona incerta, dum scitur ea spectare ad unum ex duobus, vel tribus cum ignorantia ad quem determinatè, nec si spectent ad certam communitatem, aut hujus majorem partem, quia in his casibus potest moraliter aliquo modo res redire ad Dominum, in primo pro ratione dubij dividendo, aut si ipsi sortem mittant: in altero per Magistratum, aut Parochum dividendo secundum majus, aut minus dubium.

Unde Mercator potest communitati tali à se deceptæ restituere vendendo ejus membris pretio minore: idem est, si quis defraudavit communitatem determinatam in pondere, & mensura, ut hospites, laniones, dum nesciuntur qui determinatè passi sint injuriam Dicast. *Lib. 2. tract. 2. Disput. 14. n. 366.*

Bona incerta sunt duplicia, nempe aut debita ex delicto v. g. ex furtis, usuris, &c. aut ex contractu justo, ut depositio, commodato, mutuo, &c. oportet autem omnem moralem diligentiam adhibere inquirendo verum Dominum, aut si constiterit mortuum, ejus hæredes, eámque Majorem, vel Minorem, secundum quod res debita est magis, aut minus pretiosa, aliàs Dominus ejus non censeretur moraliter ignotus, proinde nec debitor excusaretur à restitutione ob culpabilem

bilem ignorantiam, Salmaticenſes *hic tract. 13. c. 1. n. 208.*

Reſpondeo primò Poſſeſſor naturalis bonorum incertorum ex non delicto fit Dominus, quia nulla eſt differentia inter hæc, & bona inventa, quæ numero priori diximus ſpectare ad inventorem.

Reſpondeo ſecundò bonorum incertorum ex delicto proprietas devolvitur jure non merè poſitivo, ſed naturali ad pauperes, aut ad alios pios uſus, Haunold. *num. 38.* cum S. Thom. *q. 62. Art. 5. ad 3.* & communiore contra Leſſium *L. 2. c. 14. num. 36.* putantem id procedere ſolo jure poſitivo, & contra Vasq. volentem devolvi ad communitatem Reipublicæ ſecluſo jure poſitivo.

Probatur: quod diſtribuendum eſt in pias cauſas, ut evitetur non ſola pœna, ſed etiam culpa, id jure naturali Juſtitiæ debetur cauſis pijs, ſi enim jure poſitivo ſolum diſtributio hæc præciperetur, poſſet Poſſeſſor liberari à culpa ſine tali diſtributione per legis poſitivæ abrogationem, aut præſcriptionem contra eandem, ſed bona incerta ex delicto ſunt in pias cauſas diſtribuenda, ut evitetur non ſola pœna, ſed etiam culpa juxta Concilium Lateran. Sub Alexand. III. *C. cum tu de uſuris*, in quo licet ſtatuatur expreſsè de incertis acquiſitis per uſuras, omnes tamen Doctores contra Roſmer in opuſculo de jure *fol. 455. q. 2.* extendunt ad incerta ex alio delicto propter rationem univerſalem, quam 1. Canon adfert inquiens, poſſeſſiones uſuris comparatæ vendi debent, & earum pretia reſtitui, *ut ſic non ſolum à pœna, ſed etiam à peccato poſſint liberari*, cum ut ibi præmittit, juxta Verbum B. Auguſtini, *non remittatur peccatum, niſi reſtituatur ablatum.*

Dices: ſi jus naturale obliget hæc largiri in pias cauſas, Papa non poſſet per Bullæ compoſitionem majorem partem remittere perſoluta parte exiguâ, ſic ſuper 14. aut 15. ſcutis dat Bullam Cruciatam pro duobus julijs applicandis bello contra infideles. Reſpondeo negando ſequelam, quia Papa ut ſupremus Adminiſtrator rerum ſpectantium ad pias cauſas habet poteſtatem diſponendi cum jisdem bonis modo, quem communi bono aptiorem judicaverit, huic autem eſt utilius, ſi multum remittat humanæ fragilitati contentus modico applicando ad finem tam excellentem, nempe pro bello contra infideles.

273. Quæres tertiò an efficiamur Domini venando, piſcando ſive in proprio ſive in alieno fundo contra prohibitionem Principis? & utrum hæc prohibitio obliget ex juſtitia, vel ſola obedientia?

Reſpondeo prius ad ſecundum cum Haunold. *n. 78.* ſi Princeps ex ſolo Dominio alto prohibet, violatio eſt ſolum contra obedientiam, contra juſtitiam verò ſi ante prohibitionem habet jus proprietatis venandi in fundo etiam alieno, utrumque per ſe patet.

Reſpondeo ad primum multipliciter primò nemo efficitur Dominus animalium domeſticorum, ut ovium, gallinarum, anſerum, &c. etſi longè domo abſunt, ita omnes *ex §. gallinarum Inſtit. de rerum diviſione*, quia carent naturali libertate. Idem eſt de feris cicuratis, quamdiu habent redeundi conſuetudinem, unde peccant alienas columbas ad ſua columbaria fraudibus allicientes, aut jaculantes, &c. niſi vigeat alicubi reciproca conſuetudo; non cenſetur fraude allicere,

si melius pabulum spargit per suum columbarium, Lugo *Disput. 6. num. 43.* nisi sit extraordinariè illecebrosum, seu allectivum, sic enim id spargens directe intenderet, ut columbæ alienæ sedem figant in suo columbario, consequenter, ut alter amittat earum Dominium, quod est contra justitiam, Haunold, *num. 82.* contra Vasq.

Respondeo secundo pisces concluſi in piscinis, & feræ intra septa, ut facilè possint capi à loci Domino, hic solum captura efficitur eorum Dominus, secùs alij capientes; qui tamen fiunt Domini, si capiant in stagnis pisces, aut feras in sylvis integris, quia ob difficultatem capiendi retinent naturalem libertatem.

Respondeo tertiò Venans prohibitas feras, &c. non peccat mortaliter, nisi venando graviter noceat, nec tenetur feras restituere, etsi venatio prohiberetur jure proprietatis, quia Princeps prohibens nunquam fuit ferarum Dominus.

Respondeo quartò fera ab uno vulnerata, ita ut moraliter nequiverit evadere potestatem vulnerantis, non est eam occupantis, sed illius; quia perinde se habet ac si eam laqueo teneret, si autem posset moraliter se subducere oculis venatoris spectat ad ejus occupatorem §. *13. Instit. de rerum divisione.*

De fera laqueo capta, an sit ea, ponentis laqueum, aut eam eximentis, distinguit Haunoldus. Si adhuc poterat se laqueo eximere, nondum fuit perfectè capta, ergo spectat ad eximentem; si non potuit, fuit capta perfectè, transivitque in jus positoris laquei in publico loco, aut in alieno cum Domini consensu, si autem hic fuit invitus, potest sibi appropriare feram, & laqueum: quia jure potest prohibere ingressum, consequenter etiam regressum Venatoris ad laqueum, *L. 55. ff. de quærendo rerum Dominio.*

De piscibus nassa à te posita captis proportionaliter discurendum est, sicut de fera laqueo capta.

274. Quæres quartò an ligniatione seu lignorum cæsione, pastione animalium in pascuis alienis acquiratur Dominium sine onere restituendi, uti & confusione, seu commixtione materiarum ejusdem, aut diversæ speciei.

Respondeo primò cædens ligna in sylva communitatis, cujus ipse pars, non peccat contra justitiam, quia non occupat alienum, nisi notabilem faciat stragem v. g. novas plantas copiosas exscindendo in præjudicium cæterorum, est communis cum Lugo *n. 89.*

Dicastillo *Disp. 9. à num. 355.* docet: quod graviter egens cædendo etiam in sylva privati non peccet, neque jurati sylvæ Custodes obligentur talem deferre, quia, inquit, sponte gigni solita non censentur cessisse in proprietatem in prima rerum divisione in extrema, aut gravi eorum necessitate.

Dixi *sponte gigni solita*: quia oppositum esset dicendum, si sylva esset plantata humana industriâ, qualis non præsumitur, nisi expressè constet; quia ligna (idem dic proportionaliter de pastu animalium in prato alterius) & herbæ sunt valdè necessariæ usui humano, & sponte eas gignit natura, ergo non expedit tanto rigore uni appropriari, ut non liceat ulli frui citra notabile damnum, unde etiam peciti

riti Confessarij non imperant compensationem, quod probabile etiam censet Sanch. *Lib. 1. Consil. c. 5. dub. 6. n. 35.* nec reprobat Lugo *num. 92.* oppositum sane foret dicendum, si notabilis jactura inferretur vicino, sive in pratis, sive in sylvis.

Respondeo secundò quando confusio sive ejusdem sive diversæ speciei materiarum fit ex utriusque Domini consensu, aut casu, nempe neutro conscio, mixtum fit utrique commune §. *27. Inst. de rerum divisione:* si ex intentione unius altero inscio, distinguit Haunold. *num. 113.* asserens corpus mixtum fieri commune, quando nulla nova forma, seu speciei formatio resultat, ut dum meum vinum ac tuum confunduntur, si autem nova resultet specificatio, ut fit, dum materiæ sunt specie distinctæ, ut si mel confundatur cum vino, ut nullâ arte fit separabilis, credit fieri Dominum ipsum commiscentem animo acquirendi Dominium; quia præter materiam præstitit operam, nisi materia alterius esset notabiliter major, tunc enim fit Dominus ille, cujus materia prævalet, Tamb. *Lib. 8. Decal. tr. 3. c 3. §. 4. n. 11.* Si autem arte possint materiæ separari, nulla fit communis, sed quisque materiæ suæ manet Dominus.

Circa pecuniam *L. 78. ff. de solutionibus & liberationibus* sic statuitur: nempe quando pecunia aliena tuæ est commixta, quin ea discerni possit, tota fit commiscentis, idque simpliciter, & si summa commiscentis non fit major, Haunold. *num. 118.* contra Lugo *num. 166.* propter commercia humana, quæ fluctuarent, præsertim mutuum, & emptio ob nummorum incertitudinem; nisi adeo modica pecunia fit commiscentis, ut quasi pro nihilo reputetur respectu summæ alienæ.

Hinc sequitur: accipientem bonâ fide à fure pecuniam furtivam in mercedem, aut pretium rei venditæ, eámque suæ commiscentem, quin discerni valeat ad nullam teneri restitutionem detecto furto; non titulo injustæ acceptionis ob fidem bonam; non titulo rei acceptæ, quia per commixtionem effectus est ejus Dominus; aliunde non existit ditior, quia titulo oneroso accepit.

Sequitur secundò alienum cum suo commiscens, ita ut nequeat discerni, fit Dominus totius, quia alienum tunc censetur moraliter absumptum cum onere restituendi in æquivalenti, & quidem solum in eo, in quo est ditior, quando bonâ fide commiscuit, si autem malâ, est restituendum, etsi non fit ditior.

Sequitur tertio, etsi sic commiscens fiat Dominus totius, alter tamen habet actionem non tantum personalem, nempe in commiscentem velut furem, si malâ fide egit, sed etiam jus in re, seu in totum cumulum, ita ut illi præ omnibus ex illo satisfiat, possitque ex eo sibi vindicare, quantum de suo inest, hoc enim consonat juri naturali Less. *Lib. 2. c. 2. num. 156.*

Sequitur quartò dum quis per commixtionem fit Dominus E. g. pecuniæ eum qui ex illo cumulo accipit aliquid titulo oneroso, aut dono etiam malâ fide, fit Dominus accepti sine onere restituendi

Domino, ad quem ante commixtionem res spectabat, saltem dum fur potens est restituere, quia fur fuit effectus Dominus rei, ergo hujus Dominium transfert in accipientem ab eo sine onere restituendi, fur enim tenetur priore loco Sanch. *Lib. 2. Dec. c. 23. num. 34. in fin.* citans Molin. *Disp. 719.* Si fur vi tuæ acceptionis evadat impotens restituendi, opinio communis te damnat restitutionis, tibi enim imputatur impotentia ob cooperationem dum malâ fide accipis, si bonâ, probabiliter deobligaris ex sententia Tambur. *Lib. 8. Dec. tract. 3. c. 3. §. 4. num. 25.*

# DISSERTATIO IV.

## *De Justitia & injustitia.*

# ARTICVLVS PRIMVS.

## *De Justitia.*

### §. I.

### *Quid? & quotuplex sit Justitia?*

275. JUstitia hìc strictè sumitur pro virtute speciali morali, una ex quatuor Cardinalibus, cujus essentia est quod sit ad alterum, proinde hominem unum ordinat ad alterum ab operante, sive realiter, sive fictione juris distinctum tradendo illi jus ad rem, vel jus in re, proinde dando illi, quod suum est, seu id ipsum, ad quod jus adfert.

Porrò tripliciter homo potest unus ordinari ad alterum, nempe ut pars ad partem; in hac consideratione unus habet jus ordinatum directè in bonum suæ libertatis, & alter sustinet debitum adimplendi jus illud, in hoc sensu etiam privatus cum Principe, particularis cum communitate, privatus cum privato consideratur tanquam pars cum parte. Secundò ut pars, seu membrum ad communitatem habens jus ad bona communia quà talia. Tertiò ut communitas habens jus ad bona cujusvis membri ut talis.

Hinc

Hinc triplex resultat suitas ex totidem juribus, si enim id, ad quod affert Justitia jus, est proprium alicujus principaliter ad ejus bonum ordinatum, dicitur suum suitate proprietatis: si id, ad quod affert jus, est commune distribuendum, seu ordinatum ad bonum & libertatem membrorum illius communitatis, vocatur suum hujus membri suitate communitatis, etsi quandóque id, quod distribuitur per distributionem approprietur membris, consequenter ex suo suitate communitatis evadat suum suitate proprietatis, ut si bona communia redundantia distribuantur inter membra, aut tempore indigentiæ frumentum, pecunia, &c. dividatur. Si demum id, ad quod Justitia affert jus, est bonum respectu communitatis allatum à membro ut tali, dicitur suum suitate membri, quatenus membrum debet consulere bono communi quod fit ordinando actiones suas ad bonum commune, uti enim bona totius sunt quasi bona partis, ita bona partis sunt quasi bona totius.

Ex his infertur triplex Justitiæ species, videlicet commutativa, distributiva & legalis, ex S. Thom. *q. 58. Art. 5. juncta q. 61. Art. 1.* Commutativa enim respicit jus partis ad partem seu proprietatis communiter, & per se intendentis æqualitatem arithmeticam inter partes, seu inter debitum unius, & jus alterius. Distributiva respicit dignitatem, seu meritum majus, aut minus partium, dum his distribuit bona communia, quapropter attendit æqualitatem proportionum inter communitatis partes, ita ut si digno ut duo dentur quatuor, digno ut quatuor dentur octo, & ideo dicitur proportio proportionum, seu æqualitas geometrica consistens inter quatuor ad minimum terminos, videlicet inter meritum majus unius, & minus meritum alterius, ac inter bonum commune majus collatum uni, atque minus collatum alteri. Legalis respicit bonum commune, propter hoc enim in Principe imperat, ac in membris exequitur omnium omnino legum observantiam, id est, actus virtutum omnium: finis hic illius proprius est, & intrinsecus.

Infertur secundo tria præfata jura, & suitates esse specie formali diversas, atque ideo tres præfatas virtutes esse invicem specie diversas, quia virtutes specificantur intrinsece per ordinem ad suum objectum proprium, & principale.

276. Dico Justitiam ut sic bene definiri à Theologis cum S. Thom. *q. 58. Art. 1. ex Ulpiano L. 10. ff de just. & jure quod sit constans & perpetua voluntas jus suum unicuique tribuens*, probatur explicatione: per ly *voluntas* intelligitur habitus acquisitus naturalis facilitans voluntatem ad actus alteri tribuentes jus suum, nempe vel suitate proprietatis, ut tribuit justitia commutativa: vel suitate communitatis, ut distributiva, vel suitate membri, ut legalis: & sic definitio est communis omni justitiæ propriotali, unde ly *suum* in definitione præscindit à jure rigoroso seu proprietatis, & à minus rigoroso, ut complectatur etiam jus justitiæ distributivæ & legalis. *Ly constans & perpetua* Significat, quod immobiliter, & omni tempore, ac in quavis materia inclinet ad præfatos actus. *Ly jus suum cuique tribuens* est differentia à virtutibus, quæ non sunt ad alterum.

Duplices sunt partes justitiæ, aliæ subjectivæ, aliæ potentiales, potestativæ. Subjectivæ sunt, quæ perfectè participant definitionem justitiæ, quales sunt solæ tres expositæ species, reddunt namque æquale jure suo. Potentiales sunt, quæ in aliquo participant universalem rationem definitionis justitiæ, in alio autem ab eadem deficiunt; ut Religio erga DEUM, pietas erga parentes, observantia erga viros virtute præditos, virtus enim ab homine nequit compensari æquali præmio, minus pietas honorem parentibus debitum, aut Religio cultum æqualem excellentiæ DEI præstare. Aliæ virtutes ad alium debentur huic titulo honestatis citra obligationem, & titulum suitatis, ut gratitudo, liberalitas, amicitia, affabilitatis.

Infero licèt æqualitas tributorum sit proportionalis, & geometrica, eorum tamen distributio, ac impositio non est actus justitiæ distributivæ, quia hæc virtus directè, & immediatè attendit ad merita, seu dignitatem membrorum, tributa autem non respiciunt jus membrorum sed potius jus altum Principis, qui tamen prohibetur à justitia commutativa, ne ullus subditorum oneretur ultra vires, ad hoc enim quisque habet jus strictum Haunold. *tract. 2. n. 109.* vicissim etiam Princeps habet jus strictum supposito alto Dominio exigendi tributum necessarium per *n. 195.* Et ideo exactio justa tributorum eorumque persolutio est actus justitiæ commutativæ.

Pto solvendis contra definitionem justitiæ Nota primo: quod etsi natura justitiæ nunquam inclinet ad defectum sed semper ad justum, voluntas tamen per alium actum contra naturam justitiæ injuste agere potest. Secundò sicut non datur justitia erga se ipsum, ita nec injustitia, unde se ipsum occidens non est injustus sibi, sed Reipublicæ, & DEO.

## §. II.

## *De objecto formali Justitiæ.*

277. Dico primò objectum formale justitiæ commutativæ relate ad personam *cui*, est ipsum jus activum proprietatis: relate verò ad objectum, quod debetur, est ipsum jus passivum, hoc est, ratio debiti. E. g. vendidisti Petro equum centum aureis, jus activum est potestas tibi competens ad centum aureos nondum persolutos, jus passivum est ratio debiti denominans centum aureos tibi debitos. Justitia respicit duplex objectum, unum *cui*, nempe personam, cui quid debetur ex justitia; alterum est objectum *quod*, nempe id, quod à debitore est creditori præstandum.

Probatur nunc cum Lessio *L. 2. c. 2. n. 5. & 7.* illud est objectum formale virtutis, quod est ratio amandi finem adæ-

qua-

quatum, sed hæc ratio est dictum utrumque *jus*, quia finis adæquatus justitiæ commutativè coalescit ex fine *cui*, qui est persona, erga quam actus justitiæ exercetur, & fine *qui*, seu ex eo quod debetur fini *cui*, atqui ratio amandi dictum finem *cui*, *& qui*, est jus activum, & passivum: nam quod actus justitiæ exerceatur erga hanc personam præ alia, ratio est ipsum jus activum residens in hac persona præ alia, quod autem exerceatur in hac materia præ alia, est ipsum jus passivum, seu ratio debiti, hoc est, quod hæc res præ alia debeatur.

Infero primò objectum formale justitiæ commutativæ non esse specialem honestatem relucentem in actu externo justitiæ, seu restitutionis bonorum fortunæ, & famæ. Est contra plurimos, quia objectum formale justitiæ debet debitorem ordinare ad alterum, quod non præstat dicta honestas, hæc enim ordinat debitorem ad proprium subjectum, quia ad illud solum ordinat, cui est honesta restitutio, hæc autem est honesta soli reddenti, igitur actum ordinatum ad alterum amat ut ad se vi honestatis ordinatum, ergo ut amet ut ordinatum ad alterum, movere debet jus alterius, & ratio mei debiti.

Infero secundò duplex dari odium juris activi alterius, & juris passivi, seu debiti rei debitæ inexistentis, unum tendens in destructionem, seu negationem existentiæ utriusque; alterum læsivum juris activi, & non satisfactivum debiti. Primum odium non repugnat cum actu justitiæ secùs secundum: etsi enim quis nollet existere jus in altero, aut hanc rem optaret non esse debitam, potest tamen cum hoc effectu stare voluntas non lædendi jus alterius, & voluntas satisfaciendi debito, nempe supposito quod existat jus, & debitum: Justitia enim non obligat ad amorem existentiæ juris, & debiti, sed ut his non contraveniat ex hypothesi, quod existant. Velle itaque existentiam præcisè juris alterius non est velle objectum formale justitiæ, secùs velle jus alterius intactum, seu inviolatum,

Infero tertiò Exercens actum justitiæ vult à seu amoliri debitum quoad rationem existentiæ non quoad rationem illi satisfaciendi.

Infero quartò justitiam commutativam non esse speciem atomam, sed subalternam, hoc est plures sub se species habentem, quia pro diversitate juris proprietatis, & debiti est specie diversa, habet autem plures specie diversas proprietates *juris*, specifica enim ratio proprietatis desumitur à bono, quod juri subest, hoc est autem plurificatum specie, bonum enim vitæ specie morali differt à bonis fortunæ, & utrumque hoc genus à bono famæ, Amicus *Disput. 11. n. 141. de jure & just.*

278. Dico secundò objectum formale justitiæ distributivæ non est jus strictum in bona communitatis principaliter respiciens utilitatem communitatis, secundario verò utilitatem privati contra Esparzam *q. 18.*, sed jus minus strictum fundatum in majore, vel minore dignitate, seu merito partium comunitatis, ad participanda bona comunitatis Lugo *D. 1. n. 47.*

Ratio primi: quod membrum communitatis (cui comunitas, aut hanc repræsentans conferret officium) ante hujus collationem haberet jus strictum ad rem, quod post collatum officium transiret in strictum jus in re: quia autem officium tenetur

netur administrare principaliter in commodum communitatis, sequitur quod communitas loco juris in re per collationem officii amissi acquireret jus strictum ad rem respectu ejusdem officii: proinde E. g. Capitulum conferendo alicui Canonico beneficium sibi metipsi conferret jus ad rem respectu beneficij, quod repugnat, cum nemo valeat sibi ipsi conferre jus, & justitiam strictam erga se exercere.

Ratio secundi est: quod objectum formale justitiæ sit jus, ut constat ex definitione justitiæ, ergo una justitia ab alia diversificatur penes jus diversum, sed justitiæ commutativæ formale est jus rigorosum, quale nequit esse justitiæ distributivæ, ut modo probatum est, ergo est minus rigorosum, hoc nequit esse aliud, quam dignitas major, minorve civium ad bona communitatis, quæ viciſſim est obstricta debito minus stricto plus dare digniori quàm minus digno.

Dices differentia justitiæ distributivæ, & commutativæ sita est in eo, quod hæc intendat æqualitatem Arithmeticam, illa geometricam explicatam *n.* 275. Respondeo etsi id regulariter contingat, non tamen universaliter, quia aliquando etiam Justitia commutativa intendit æqualitatem geometricam. Primò in relicto legato communitati pauperum inter eos distribuendo juxta singulorum inopiam. Secundò in debitore inæqualiter pluribus obligato, ut si debes Petro 300, Cajo 200, Titio 100, si nequis totaliter solvere, debes proportionaliter nempe si Petro das 200, debes Cajo dare centum & Titio 50.

279. Dico tertiò objectum formale justitiæ legalis est bonum commune, ita receptus S. Thomas *q.* 58. *Art.* 6. Probatur: datur aliqua virtus, cujus munus sit observantiam totius legis, seu actus virtutum omnium ordinare ad bonum commune, velut finem suum intrinsecum, seu formale objectum, sed talis virtus non est alia à legali, E. g. pietas ergaPatriam ob beneficium ortûs promovet quidem bonum commune &c. nulla tamen ordinat partes communitatis, ut partes ejus sunt ad promovendum bonum commune propter idem bonum commune præter legalem, quæ in Principe ordinat partes imperando illis ut leges observent propter bonum commune, in subditis verò imperata exequendo. Hinc quoad prædicata intrinseca est eadem in Principe, & subditis quia ex eodem formali objecto tam hi, quam ille operantur.

Infero primò etsi per *n.* 276. tum justitia distributiva tum legalis, tum commutativa perfectè participent rationem justitiæ ut sic, sola tamen commutativa est in omni rigore justitia, quia hæc sola habet pro objecto formali jus rigorosum seu proprietatis, & est perfectè ad alterum, neutrum habet distributiva, & legalis.

Infero secundò justitia vindicativa non est pars subjectiva, seu species justitiæ relatè ad reum puniendum, quia hic nullum habet jus ad sui punitionem, nec fit illi injuria, sic non puniatur, relate autem ad rempublicam est justitia commutativa respiciens jus strictum in Republica & strictum debitum in judice de pœnam delicto proportionatam infligendo. Porrò dictum jus resultat ex contractu sive explicito sive implicito, vi cujus judex acceptando officium se obligat, quod velit proportionaliter punire

Hinc

Hinc Judex inferior nequit pœnam remittere, quia secundum leges à Principe latas tenetur bonum commune procurare, potest autem Princeps: quia remissio, aut mitigatio pœnæ est declaratio clementiæ Judicis multùm conducens ad bonum commune, cui etiam Princeps vi contractûs saltem impliciti ex Justitia commutativa debet prospicere.

Verum quia tam supremus, quam inferior Judex est pars communitatis, uterque hoc titulo tenetur ob bonum commune delicta vindicare? quapropter uterque duplici ex Justitia nempe commutativa & legali punit delicta: legalis enim ex suo motivo imperat executionem, quam exequitur commutativa.

Ex his concluditur, quod Judex ex commutativa Justitia debeat resarcire damna, quæ defectu vindicationis patitur communitas aut privatus offensus.

## §. III.

## *An sola Justitia commutativa obliget ad restitutionem?*

280 REspondeo affirmative cum ferè omnibus Theologis apud Gormaz *Disput. 1. n. 18. Ex S. Th. hic q. 62. Art. 1. in restitutione, inquit, attenditur æqualitas justitiæ secundum compensationem rei ad rem, quod pertinet ad Justitiam commutativam.*

Probatur ea sola Justitia obligat ad restitutionem, quâ læsâ tollitur alicujus proprium, aut impeditur, ne fiat proprium, quod debebat fieri proprium, sed sola commutativa est talis, secùs legalis, & distributiva, nam Petrus omittens elicere actum virtutis, aut eliciens eum, quin illum ordinet ad bonitatem Reipublicæ nihil ex hoc tenetur huic restituere, hinc Princeps, vel Respublica negligens bona communia conferre membris juxta meritorum proportionem ad nullam tenetur restitutionem, quia Petrus ibi nullum jus strictum in communitate, nec Princeps in membris ullum jus rigorosum violat, violaret autem si pacisceretur cum membris, quod juxta merita velit præmiare victoriosos contra hostem, quia tunc intervenit Justitia commutativa ex pacto resultans.

281. Objicies primò distributor bonorum communium non distribuens V. g. officia fideliter, id est, non servatâ proportione geometricâ juxta particularium merita, peccat etiam contra Justitiam commutativam, ergo etiam commutativa distribuit bona communia secundum jus ad ea particularibus inhærens. Secundò iniqua distributio est contra jus proprietatis in casu, quo ex Testamento aliquo deberet communitas distribuere in particulares juxta cujusvis dignitatem, ergo etiam Justitia distributiva respicit jus strictum in membris, & obligat ad restitutionem.

Respondeo ad primum Distinguo antecedens peccat contra Justitiam commutativam titulo juris particularium nego antecedens, titulo juris proprietatis, quod habet Respublica adversus distributorem concedo antecedens; hic enim vi pacti se obligat Reipublicæ, quod velit officia distribuere secundum dignitatem particularium, unde non fit stricta injuria his præteritis etsi dignioribus, sed Reipublicæ, & huic ex Justitia commutativa tenetur resarcire damna ex indignè collatis officiis secuta, aut bona impedita, sic distincto antecedente nego consequentiam. Ad secundum Respondeo cum Lugo ex S. Thom. quod eo casu non nisi apparenter esset distributio, reipsa autem foret solutio ex Justitia commutativa ob jus ad rem vi Testamenti acquisitum in particularibus.

# ARTICVLVS SECVNDVS.

## *De Injustitia in distributione sæcularium officiorum & Ecclesiasticorum beneficiorum.*

### §. I.

### *De vitio Justitiæ distributivæ circa officia sæcularia.*

LEge hoc infra *à num. 554.*

### §. II.

### *De vitio opposito justitiæ distributivæ circa beneficia Ecclesiastica.*

DE hoc vide *num. 557.*

### §. III.

### *Continuatur materia de vitio circa beneficia Ecclesiastica.*

QUam lege infra *à num. 566.*

AR-

# ARTICVLVS TERTIVS.

## *De Injustitia in bonis fortunæ, seu furto.*

### §. I.

### *Quid, & quotuplex sit furtum? quæ ejus differentia à rapina? & an volenti fiat injuria?*

282. Dico primò furtum non est *occulta rei alienæ acceptio invito Domino*, sed est, *occulta acceptio rei ab alio justè detentæ invito rationabiliter detentore*, Haunold. *tract. 2. num. 252.* contra plerósque primæ parti faventes.

Probatur: debitor accipiens occultè pignus à creditore, locator rem locatam, deponens depositum à depositario committit furtum, quin accipiat rem alienam, aut invito hujus Domino, sed suam, ipséque est ejus Dominus, quia tamen alter est justus ejus detentor, fit ut hoc invito usurpans rem furtum committat.

Differt furtum à rapina, quod hæc illi superaddat violentam acceptionem, quæ secundum juridicam considerationem requirit, ut vel facto impetu res rapiatur, vel alter cogatur dare, Haunold. *n. 263.* concedens Molina sufficere ad Rapinam Theologicè, quod quis metu injusto compulsus det, eo quod injuria per metum, & violentiam facta non differat specie Theologicâ secùs juridicâ, quia diversas pariunt actiones.

Rapina igitur duplicem continet injuriam unam realem contra jus proprietatis in rem, alteram personalem, seu contra proprietarium; hinc differt specie à furto.

Dixi in conclusione *invito rationabiliter detentore*, sive rei Domino, id est, ad furtum requiritur, ut Dominus ex causa justa positivè repugnet repugnantiâ saltem habituali, seu in animi dispositione, quod fit, etsi actu non contradicat, contradiceret tamen si sciret. Quando est simpliciter invitus, quod sit res accepta, dicitur invitus quoad substantiam, quoad modum verò, quando est præcisè invitus, quod sit res accepta taliter nempe occultè, seu non petitâ veniâ.

Ut sit furtum necesse est Dominum esse invitum quoad substantiam. Hinc sæpe à furto excusantur filiorum, uxorum, Religiosorum, & famulorum acceptiones rerum spectantium ad parentes, ma-

maritos, &c. præterea debet esse invitus rationabiliter, quia si non est causa justa in Domino contradicendi, etiam non est furtum, ut fit in occulta liquidi debiti compensatione non facilè aliàs acquisibilis.

Infero furtum hominis, sive plagium (hoc crimine tenentur non tantum illi, qui dolosè homines intercipiunt, ac supprimunt; sed etiam qui scienter dolo malo liberum hominem invitum emunt, vendunt, celant, vinctum habent, Haunold. *num. 262. ex legibus ff. & codicis*) furtum rei ad fiscum spectantis, sive peculatus; furtum alieni pecoris, sive abjegatus; furtum nocturnum & diurnum; manifestum, & non manifestum (manifestus fur in jure dicitur, qui deprehenditur cum re furtiva, non tamen ex abscondito, *L. 2. & sequent. ff. de furtis*) etsi multum differant juridice propter pœnas diversas jis statutas, non tamen differunt Theologicè, uti nec damnificatio, seu destructio rei differt moraliter à furto (etsi non veniat sub ratione furti, unde hoc reservato, ea non reservatur, Lugo *Disp. 16. num 9.*) quia Dominus æque est invitus sive res destruatur sive non.

Prima tria furti genera, uti etiam furtum Sacrilegum, seu rei sacræ, aut profanæ pertinenti ad Ecclesiam ac hujus custodiam deputatæ, dicuntur furta qualificata, quæ secundum jus digna sunt majore pœnâ. Furtum Sacrilegum est etiam specie diversum, utpote oppositum Religioni, ac Justitiæ, cætera furta dicuntur simplicia.

Quæres primò an sit fur auferens moroso debitori, quantum sibi debetur? Secundo an detentor rei inventæ sciens Dominum, aut debitè non inquirens eum, sit civiliter habendus pro fure? Tertiò an præsumatur fur, in cujus domo res furtiva reperitur. Respondeo ad primum contra quosdam negativè quia non auffert animo lucrandi, sed se indemnem servandi Haunold. *tract. 2. n. 273.* Respondeo ad secundum cum eodem *n. 274* affirmativè ex claro textu *L. 43. §. 4. ff. de furtis.* Respondeo ad tertium cum eodem *num. 278.* ex Anton. Perez negativè, nisi aut sit homo improbus, aut clam, aut vili pretio, aut sæpius à fure emerit; in his enim casibus est præsumptio contra eum, nisi, aut furem, aut Authorem suum, à quo emerit, ostendat, *L. 5. C. cod.*

283. Dico secundò volenti volitione efficaciter cessiva juris non potest fieri injuria, secùs si cessio sit inefficax, qualis est toties, quoties jus naturale, aut positivum divinum, aut humanum facit voluntatem inhabilem, ad cedendum juri. Est communis cum Lugo *Disput. 8. Sect. 1.* Probatur injuria formalis Theologica est actio, aut omissio contra jus alterius, sed dum voluntas efficaciter cedit juri, nequit esse contra jus alterius, est verò talis, dum efficaciter non cedit, ergo.

Infero primò occiso etiam consentienti in necem fieri injuriam, quia occisus non est vitæ suæ Dominus per *n. 22.*

Infero secundò Pupillus, & minorennis consentiens in ablationem rerum suarum non impedit injuriam, quia jus illum inhabilitat ad cessionem Dominij. Hinc etiam percussio Clerici est injuriosa, licet consentiat, quia privilegio Canonis, & fori residenti in toto Clero nequit validè cedere.

Infe-

Infero tertiò marito fieri veram injuriam, licet det consensum in uxoris adulterium; quia uxor independenter à viri consensu obligatur vi contractûs matrimonialis adhærere soli marito. Gen. 2. *adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una*, atqui obligatio vi contractûs est obligatio ex Justitia Cardenas *ad propos. Innocent. XI. Dissert. 30. n. 24.*

Infero quartò solutio usuræ respectu fœneratoris, & pecuniæ promissæ latroni, aut cujusvis promissionis gravi metu injustè extortæ non cessat continere injuriam, quia nullo titulo transfertur jus in fœneratorem aut latronem; non in fœneratorem titulo mutui, aliàs transiret in illum jus ex debito, repugnat autem ut titulo mutui sit debitum dandi usuras: Pariter in latronem nequit transferri, nisi mero titulo promissionis gratuitæ quæ, ut transferat, debet esse libera ab omni coactione.

## §. II.

## *An furtum sit peccatum ex genere suo mortale, & unde ejus materiæ gravitas desumatur.*

284. DIco primò furtum est peccatum ex genere suo mortale cum S. Thom. *quæst. 66. Art. 6.* est de fide ex *1. Cor. 6. Neque fures, neque rapaces Regnum DEI possidebunt*, & ex præcepto septimo Decalogi, *non furtum facies*: prohibita autem in Decalogo esse ex genere suo mortalia docet Christus Matthæi 19. requirens Decalogi observantiam ut necessariam ad salutem. Ratio etiam est: quod illud sit mortale, quod ex proprio suo objecto gravitatem continet, sive ut loquitur Haunoldus cujus levis prohibitio non sufficit ad præcavenda damna ex peccato secutura, si hoc non esset graviter prohibitum; tale autem est furtum.

Difficultas modo est, quanta debeat esse materia, ut ex genere suo furti objectum contineat gravitatem? concordant omnes, requiri quantitatem, quæ ablata proximo inferat notabile damnum, at hoc ipsum non constat, quantum esse oporteat illud; ut notabile censeatur. Hac in re quot capita, tot ferè sententiæ.

Duo sunt extremè oppositæ, ad quarum unam referuntur cœteræ: Prima negans dari quantitatem absolutam in persona extranea, quæ respectu omnium statuum hominum sit notabilis, sed duntaxat respectiva, id est, per ordinem ad personæ furto damnificatæ fortunas magnas, vel mediocres aut pauperes, item ad tempus, scilicet, an sit rerum Caristia, aut abundantia; ad locum, ubi magna, aut exigua reperitur pecunia, dum hæc aufertur. Ratio, quia gravitas furti provenit ex damno proximo injustè illato, atqui non omnes patiuntur æqua-

le damnum ſemper, nec ubique ex eadem re ablata, ergo rei ejusdem ablatio nec reſpectu omnium, nec reſpectu ejusdem omni tempore, & loco eſt æquale damnum, ergo ut ſit grave damnum major requiritur materia reſpectu unius, quam alterius. Hanc ſententiam docent plurimi diſtinguentes quatuor horum claſſes.

Prima comprehendit Reges, & magnos divites (ſecundum Haunoldum ille ſolum dicitur formaliter dives, qui abundat rebus ultra quam ſit neceſſarium ad conſervationem ſui ſtatûs, quem profitetur) ſive illos omnes, qui ſecundum ſtatum ſuum ſplendide alunt familiam.

Secunda communes ſeu mediocriter divites. Tertia mechanicos, ſeu ex arte, & opere viventes. Quarta pauperes ſeu mendicato viventes.

Reſpectu primæ claſſis aſſerunt eſſe gravem materiam unum aureum, alij ſcutum, ſeu coronatum. Reſpectu ſecundæ quatuor regales, ſive argenteos, italicè Julios, valet autem Julius apud Buſenbaum noſtrates undecim crucigeros, ſecundum Laym. *L. 3. tract. 3, p. 1, c. 1. num.* 2. quatuor, aut quinque pazios Reſpectu tertiæ duos regales & reſpectu quartæ unum, à qua ſententia non multum diſcrepat Laym. *num. 3.*

Coincidit Gormaz *Diſput. 13. n. 693. docens* ut penſetur gravitas injuriæ in bonis fortunæ attendendam eſſe qualitatem perſonæ, poſtea *num. 699.* ſtatuit, quod ſufficit ad materiam gravem unius diei victus perſonæ, cui fit furtum, proportionatus, hanc autem victûs proportionem exponit *à n. 712.* advertens victûs nomine hic intelligi ſolum eſum, & potum (ſecùs veſtitum) neceſſarium ad vitam alendam excluſis delicijs, & delicatis cibis, proinde ſe extendentem ad parvas alimonias unicuique neceſſarias, & proportionatas perſonæ, cui fit furtum; earum valorem reſpectu pauperum aſſerit eſſe unum julium, reſpectu Regis valorem unius ſcuti, tandem *num. 718.* concludit, victum præfatum unius diei ita eſſe materiam gravem furti, ut omnis ea minor cenſenda ſit levis, ne autem lector legens apud Doctores quatuor allatas claſſes patiatur æquivocationem, Notat ad materiam gravem non requiri in quavis claſſe integram quantitatem relatè ad quodvis individuum ſub illa contentum, cum inter individua ſcujusvis aliqua diverſitas inveniri poſſit prudentum judicio ſolum metienda: unde per illam claſſium diſtinctionem ſignificatur, quod E. g. in prima aureus aut ſcutum relatè ad omnes ſit materia gravis, & ſic de reliquis.

Secunda ſententia contendit pro quantitate abſoluta aſſignanda (non habita ratione perſonarum, quibus fit furtum) ſufficientem ad mortale ex objecto, ſeu ex genere ſuo etiam reſpectu ditiſſimi Principis. In hac autem aſſignanda mire variant Doctores. Navarrus enim determinat dimidium julium; Salas unum; Leſſius cum Medina duos, Valentia cum Rebello tres, Sanchez cum communiore quatuor, Vega quinque. Giatinus quantitatem congruæ ſuſtentationis hominis plebæi unico die pro cibis ordinarijs, veſtitu & habitatione ſufficiente ad bonam ſui conſervationem absque luxu, qualem cibum, & potum communiter habent cives & opifices. Hanc ſententiam approbat Haunol. *tract. 2. n. 329.* eam brevius comprehendens, nempe mercede diurnâ, quam Plebeius opifex mere-

meretur, opifex inquam, qui non sit merus operarius (qualis est fossor, cui merces diurna est gravis materia respectu eorum, qui non habent pingues facultates secundum Molin. *Disput. 585. n. 2.* aureus autem respectu cujusvis etiam Regis) quam mercedem in Bavaria vicinisque partibus putat communiter esse medium florenum.

285. Dico secundò esse nimis laxam, & improbabilem Sententiam asserentem apud Petrum Navar. *L. 3. de restit. c. 1. n. 31.* nec centum aureos sufficere ex natura rei ad mortale furtum, uti etiam Bannez *2. 2. q. 66. Art. 6.* excusantem à mortali filium furantem prædiviti Patri quinquaginta aureos, & officialem Regium dispensatorem multorum millium aureorum, usurpantem 100. aut 200. Ratio: quia prudens ferè omnium judicium tantæ summæ jacturam ex se consideratæ censet gravem, & quia etiam plerique prudentes viri existimant, unum aureum esse gravem materiam, sententia postulans plus duobus aureis videtur esse evidenter falsam. Ex oppositio opinio Navarri de dimidio Julio, & Salas de uno ex oppositio prudentum consensu etiam est falsa; Lessij, Valentiæ, & Rebelli accedit ad nostram mox asserendam.

Sententia stans pro quantitate respectiva est practicè probabilis, utpote graviſſimorum Doctorum, uti sunt Lugo, Laym. Bonnacin. aliique plures: probabilior tamen mihi videtur assignans quantitatem absolutam sufficientem ad vitam nostram diurnam commodè transigendam in sensu Haunoldi & Giatini expositam, qualis vita est media inter pauperiores, & ditiores, horum enim vita est nimis splendida, pauperum verò nimis misera, ergo media est commoda (hæc sententia etiam respectu Principis plus non requirit, uti requirit Gormaz cum alijs victum proportionatum personæ, cui aufertur) unde cum non ubiquè eadem summa pecuniæ sufficiat, quo commodo diurno victu, quanta tali tempore, & loco est necessaria, tanta requiritur ubi pro mortali furto, ita, ut infra eam quantitas censenda sit levis.

Pars prima de probabilitate practica respectivæ quantitatis suadetur tum authoritate Doctorum tum praxi confessariorum, ac solutione Argumentorum contra eam objectorum ab Esparza, quæ solvit Haunold, *à n. 292.*

Pars secunda, de probabilioritate quantitatis absolutæ probatur: Ea quantitas sufficit pro furto mortali, cujus ablatio in Substantia nocet cuivis graviter; sed ablatio quantitatis sufficientis ad commodam diurnam sustentationem cuivis graviter nocet, ergo. Major est omnium minor probatur, ejus quantitatis ablatio cuivis graviter nocet, quæ impedit finem in bonis fortunæ à natura intentum: finis enim in his bonis principaliter intentus non potest non esse magnum naturæ commodum; econtra ejusdem impeditio & jactura necessario graviter cuivis nocet, hunc finem impedit ablatio quantitatis sufficientis pro commoda diurna sustentatione: vita enim est primum hominis bonum, fortunæ bona natura destinavit primario ad vitam alendam, ergo naturæ finis in fortunæ bonis principaliter intentus est commoda diurna sustentatio, nempe ne sentiamus molestias famis, & sitis, & similium, ergo, ejusmodi medium à natura principaliter intentum est valde vi-

tæ

tæ commodum; utpote depulsivum tanti diurni incommodi; ergo etiam à contrario ablatio aut impeditio talis medij depulsivi tanti mali, quale est fames & sitis urgens diurna est graviter vitæ incommoda, seu graviter nocet.

Pars tertia sequitur ex secunda: quia quantitas insufficiens ad congruam sustentationem à natura principaliter intentam ex nullo capite censenda est materia gravis, unde dato quod florenus medius sit valor commodæ congruæ sustentationis accipiens unico obulo minus non peccat mortaliter mortalitate furti. Haunold. *n. 330.* post Tannerum, nam etiam in naturalibus sæpe minimæ qualitatis aut quantitatis adjectione tota natura mutatur: sic lignum de non igne transit in ignem adjecto solo gradu octavo caloris, gutta unica adjecta cæteris mergit navim, ictus de se levis additus prævijs, occidit aliàs non moriturum, unde nego quod ægre prudenter ferre possit is (qui bene ponderat diminutionem unius obuli) si in hac suppositione quis furetur illi minus obulo, quam sit medius florenus: unde obulus est ultimum indivisibile constitutivum medij floreni.

Nagandum pariter est juxta hanc Sententiam, quod commoda sustentatio in eadem Regione sit inæqualis: verum est plus insumere Principem, quam divitem, plus hunc, quam communem Opificem &c. ast nego illum excessum spectare ad commodum, seu ad frugalem, sed ad splendidam sustentationem.

Verum est, quod ditior defectum quantitatis sufficientis pro commoda sustentatione faciliùs reparet, quam communis civis, aut pauper, dum ex hoc adversarij inferunt sic: ergo non æquè sentiunt damnum, sed ubi non est æquale damnum, non est æquale peccatum furti, juxta nos autem foret æquale. Respondeo Distinguo consequens non æque sentiunt damnum substantiale Nego consequentiam, quod unus præ alio difficilius possit reparare damnum non provenit ex Substantia rei ablatæ, sed ex circumstantia extrinsea, quæ accenseri debet damno emergenti, gravitas autem furti nequit desumi ex hac secundi generis difficultate, aliàs furtum 200. aureorum factum habenti annua 4000. aureorum non foret mortale, utpote faciliùs reparabile ob præsentiam alterius pecuniæ, quam damnum unius aurei in communi opifice: igitur solùm probat Argumentum, quod respectu Principis aut divitis &c. non sit mortale quoad circumstantiam damni emergentis ex reparabilitate, secùs quoad substantiam. Per hæc facilè soluta manent argumenta adversariorum.

§. III.

## §. III.

## *De quantitate furti mortalis in filijs, uxoribus & maritis.*

286. SEcundum omnes apud Lugo *Disput. 16. n. 76.* quantitas sufficiens ad mortale ex genere suo in persona extranea non sufficit in filijs, & uxoribus, quia Pater respectu filij, & Maritus respectu uxoris nequit esse æquè rationabiliter invitus quoad eandem quantitatem ac est respectu extranei: filius enim est aliquid Patris, & bona hujus aliqualiter spectant ad filium, proinde naturalis amor magis conjungit Patrem cum filio, quam cum extraneo, hoc ipso autem nequit rationbiliter esse æquè invitus respectu utriusque quoad eandem quantitatem; similis etiam ratio procedit in Marito respectu uxoris.

Quæ autem quantitas in furtis filiorum requiratur ad mortale furtum secundum omnes certa regula definiri non potest, sed prudentis arbitrio est determinanda ex varijs circumstantiis parentum, nempe statûs, facultatum, seu divitiarum, paucitate, aut multitudine prolium, usûs, ad quem furtiva pecunia impensa, ætatis filij, genij paterni, nempe tenacitatis, aut liberalitatis, majoris, vel minoris affectus erga filium Summæ acceptæ, videlicet an excedat Summam, de qua possit Pater disponere sine præjudicio legitimæ portionis aliorum, ex quibus patet, quod non eadem quantitas in filijs sufficiat pro mortali furto, sed diversa pro diversitate circumstantiarum

Unde negat Bannez filium perditis Patris arguendum mortalis furantem infra quinquaginta aureos, quàm Sententiam merito damnat Lugo nimiæ lenitatis extra filium Principis; cautius loquitur Lessius *L. 2. c. 12. n. 66.* credens non sufficere duos vel tres aureos. Secundum Salas filius unicus Patris habentis annuos 1500. aureos potest absque mortali accipere 20, vel 30 per annum, quod Lugo restringit ad filium non puerum, sed adolescentem, cujus Pater non esset tenax, præsertim si ea Summa non exponeretur in usus turpes.

Tamburinus *lib. 8. Decal. tract. 2. C. 3. n. 3* pro filio parentis mediocriter divitis credit non sufficere duos florenos, unum verò sufficere in filio Patris Mechanici. Platel. *cursus Theol. p. 3. n. 779.* asserit videri facilè in filijs requiri materiam duplo majorem, quàm in extraneis; liberalior est Tanner. *2. 2. Disp. 4. q. 8.* putans secluso speciali damno filium non peccaturum mortaliter, si novies tantum acciperet, quantum in extraneo constituit mortale, dicit enim *n. 100.* unum florenum accipere esse mortale respectu extranei, at *n. 118.* respectu filij nec tres aureos.

Has Sententias adduxi, ut appareat, quod nulla regula certa hic sit assignabilis, sed decisio in particulari dependet à circumstantijs recensitis, juxta quas determinan-

dum, quæ ex relatis ſententijs locum habere poſſit.

287. De uxoribus, ut peccent mortali furto uſurpando ex proprijs Mariti, aut fructibus dotis, eſt neceſſaria ſaltem tanta quantitas, quanta in filijs ſecundum omnes. Dixi *ſaltem*: quia Fagundez *in 7. Decalogi c. 8. n. 2.* ait fortaſsè requiri quantitatē duplo majorem, quia plus videtur ei deberi quam filijs, cum ſit Socia adminiſtrationis; unde *c. 10. n. 4.* exiſtimat Hiſpaniæ Reginam non peccatricem mortaliter, bis mille aureorum inſcio Rege quot annis donantem, aut ſi alia minor Regina donet mille.

Ex his ſequitur tam filios, quam uxores obligari ad reſtitutionem ablatorum faciendam, dum ſunt rationabiliter inviti parentes, & Mariti quoad ſubſtantiam: filij reſtituent vivo Patri aut hoc mortuo in diviſione fratribus tantum cedent, quantum acceperunt, niſi prudenter credant eos tantundem accepiſſe, ut putent Patrem facilè donaturum rogatum, & præſumptio colligi poteſt ex amore, & liberalitate erga filium, qualis conſenſus non eſt præſumendus, dum Summa notabilis in uſus turpes, nempe mererrices, comeſſationes, & compotationes expenditur, niſi hæc Summa ſit ſubtracta parcius vivendo, dum filius poterat lautius vivere ex pecunia data pro victu, veſtitu &c. Fagundez *c. 3. n. 7.*

Uxores autem reſtituent, vel ex ſuis bonis, vel ſubtrahendo ſumptibus, quos juxta conditionem ſuam licitè poſſunt facere ex bonis Mariti, vel ſi aliter non poſſunt hæredibus Mariti defuncti relinquendo tantum ex dotalibus.

Eas eædem cauſæ excuſant à reſtitutione, quæ filios, & ſicut quantitas reſpectu filiorum, ita reſpectu uxoris eſt taxanda ex annuo Mariti proventu, ſtatu, affectu, liberalitate &c. Reliquæ quæ uxoribus licent aut non, lege *à n. 92.*

Dicta de furtis uxorum applicanda ſunt furtis Maritorum ex bonis uxorum quoad quantitatem requiſitam, alia vide *à n. 90.*

## §. IV.

## *De furtis Religioſorum.*

288. CErtum eſt primò Religioſi furtum non ſemper eſſe mortale contra Juſtitiam Lugo *Diſput. 3. n. 170.* contra Gerſonem & Antoninum.

Certum eſt ſecundò quod omne furtum mortale ex objecto ſive ex gravitate materiæ (ſecùs mortale contra Juſtitiam ex circumſtantijs) Sit etiam mortale contra votum paupertatis, ſed non è contra: ſic enim eſt contra Juſtitiam, eſt tamen mortale contra votum, Religioſo abſque Prælati licentia det ſæcularis rem notabilem eâ Conditione, ut non ſit Monaſterij.

Quæſtio prima eſt an in re pecuniaria Monaſterij de quantitate ſufficiente ad mortale furtum (dixi *Monaſterij*, quia ſi

si pecunia non sit Monasterij, quantitas sufficiens respectu sæcularis furis etiam sufficit respectu Religiosi) sufficiat minor, quam in extraneo, vel necessaria sit saltem æqualis aut major?

Secunda in esculentis & poculentis.

Ad primam videntur esse contenti minore quantitate illi Doctores, qui apud Lugo cit. tres argenteos in ditissimis Monasterijs, duos in mediocribus, in egenis unum pro quantitate sufficienti statuunt. Secunda opinio cum Sanch. *L. 7. mor. c. 20. n. 3. & 5.* Religiosos parificat extraneis, ad quorum furtum mortale sufficiunt quatuor argentei secundum Sanch. pro hac Sententia etiam stat Laym. *lib. 3. tract. 3. p. 1. c. 1. n 5.*

Tertia multorum opinio apud & cum Pellizario *tract. 4. c. 1. n. 354.* Tambur. *Lib. 8. Decal. tract. 2. c. 4.* Religiosos in hoc pares facit filijs. Quartò cum Lugo *à n. 172.* concedit illis plus quam extraneis, minus tamen quam filijs.

Dico primo ut Religiosus peccet mortaliter contra Justitiam in pecunia rebusque distinctis à cibo, & potu spectantibus ad Monasterium, minor quantitas sufficit, quam in filijs, major autem quam in extraneis.

Probatur prius secunda pars, extraneus non est pars communitatis Religiosa, sicut est Religiosus, sed hoc ipso major quantitas requiritur in Religioso, quia respectu hujus in pari quantitate nequit Prælatus æquè esse invitus, sicut est invitus respectu extranei.

Probatur etiam pars prima: tunc minor quantitas sufficit ad furtum mortale Religiosi, quam in filio, quando minor quantitas magis, vel saltem æquè nocet Monasterio, ac nocet Patri major quantitas furtivè ablata à filio, sed ita est: nam in furto filij solùm attenditur ad damnum temporale Patri illatum, in furto autem Religiosi superior est rationabiliter invitus non solùm propter damnum temporale illatum communitati, sed multò magis propter damnum spirituale, quod patitur status Religiosus in voto paupertatis, ad quod damnum avertendum Religio habet jus non minus, quam ad avertenda damna temporalia, igitur ex furto Religiosi sequitur majus damnum intrinsecum partim temporale partim spirituale, consequentet est majus furtum.

Confirmatur primò Religiosi non sunt filij, nisi fictione juris ad certos effectus in favorem Religionis, sed sunt membra communitatis: nam filij sunt quasi Domini in spe bonorum paternorum, atque adeo furando accipiunt quasi de suo, hoc est; ex illis, quæ proximè futura sunt sua, Religiosus autem non succedit in bonis Monasterij, & nunquam est futurus eorum Dominus.

Confirmatur secundò Jactura minoris quantitatis juncta cum damno annexo spirituali, quod patitur disciplina Religiosa æquat damnum, si non superat à filio Patri illatum per majorem quantitatem.

289. Observat præterea cit. Lugo utrumque damnum nempe tam temporale, quam spirituale esse majus aut minus pro diversitate actionis furtivæ, quia hæc eo amplius inficitur vitio proprietatis, quo magis res extrahitur â communi usu, minus verò habet de proprietate, quo minus est extra communem usum. Hinc non eadem quantitas respectu unius actionis furtivæ gravis, est etiam gravis respectu

spectu alterius in eodem Religioso, quam Regulam illustrat exemplis.

Primò si Religiosus ex rebus communitatis det furtivè externis, hoc furtum maximè nocet communitati: quia res penitus extrahitur à communitate, secùs si eâ ipse utatur unde putat quod sex argentei furtivè dati externo ex bonis mediocris conventûs sit materia furti mortalis, secùs si eum in usum suum præsertim in vestitum moderatum, aut libros converteret: quia non extrahuntur à communitate ex parte termini ad quem, & adhuc multo major requiritur, quando Religiosus ex rebus sibi applicatis dat alteri Religioso in usum, quin Religio amplius expendat ad subveniendum danti: tunc enim nec viginti, ad quos talis usus ascendit, constituent materiam gravem; imò Sanch. *c. 19. n. 66.* non credit esse mortale quando unus Religiosus dat alteri Religioso librum valoris quinque aureorum, quia liber manet in communitate tali, consequenter parum extrahitur ex communi usu, idcirco in simili donatione multum culpæ iminuitur, inquit Suar. *Tom. 3. de Rel. L. 8. tract. 15. n. 6.* proinde major requiritur materia ad gravitatem culpæ.

Præterea quando externus mihi donat vestem, vel librum, si ejus Dominium applico communitati, usum verò mihi, plus requiritur, ut peccem mortaliter, quia nihil extraho à communitate præter usum unde credunt aliqui non esse mortale, si res donata non æquat duodecim aut 14. argenteos Ita Lugo.

290. Objicies pro sententia Religiosos parificante filijs primò. Parentes proprio sudore comparant bona, secùs superiores, neque hi sunt Domini, sed administratores bonorum, Monachus semper acquirit Monasterio, non autem filius parentibus, ergo superiores non possùt saltem quoad substantiam esse tam inviti quoad furta Religiosorum ex bonis conventûs quam parentes quoad filios. Secundò superior non minus debet diligere suos, quam parentes Filios, ergo spectatis omnibus superior nequit esse plus rationabiliter invitus, quam parentes, etsi enim Religiosi obligentur tendere ad perfectionem majorem, neque sint futuri Domini communium, quorum neutrum habet locum in filijs, consequenter ex his capitibus par quantitas furtiva Religiosi est gravior furto filij, ex altera tamen parte cum superior non sit Dominus, neque ea comparet proprio sudore, neque deceat esse minus liberalem de patrimonio Christi, videtur pari quantitate furtum Religiosi censendum esse minus furto filij; Si autem est minus, obligatio tendendi ad majorem perfectionem paupertatis, & quod Religiosus nunquam erit Dominus bonorum communitatis, solum efficit, ut in pari quantitate æquet gravitatem furti cum furto filij. Ex his sequitur facilis solutio argumentorum sententiæ Lugo.

Respondeo primò hæc probare esse practicè tutam hanc Sententiam seu tertiam relatam *n. 288.*

Respondeo secundò ad primum negando superiores non sudare in comparandis bonis: debent enim expendere ad culturam fundorum, collecturam fructuum, sollicitè conservare, & dispensare, singulis providere, sæpe mutuo accipere &c. nego igitur etiam consequentiam.

Ad secundum nego consequentiam, cujus probationis nullitatem ostendit obligatio tendendi ad perfectionem, atque adeo

adeo ad vitandum damnum præsertim spirituale, quod liberalitas superiorum nequit iminuere, cum dependeat à voto paupertatis, & natura status Religiosi. Ad summum enim liberalitas impedire potest, ne ablatio sit vitium proprietatis, quod contrahitur in usu rerum sine licentia, secùs ne sit contra votum paupertatis, seu contra statum pauperum, quem ex voto profitetur per *n. 43. & 48.*

Pro praxi addo primò quis utitur re alienâ invito Domino salvâ rei substantiâ animo eam reddendi Domino, ut judicetur, an peccet mortaliter contra præceptum non Furandi, aut contra votum paupertatis non est attendendus valor rei, sed valor jus usus Molin. *Disp. 687. n. 2.*

Addo secundò plus requiri ad furtum mortale Religiosi furantis ex Monasterio ditissimo, quam ex mediocriter divite, salmaticenses hic *tract. 13. c. 6. à n. 43.*

Addo tertiò in ordine strictioris observantiæ paupertatis minor quantitas sufficit ad furtum mortale & contra votum paupertatis, quam in ordine, in quo minus viget paupertas. Pelliz assignans 7. aut 8. argenteos in observantioribus. Sanch. verò *c. 20.* & Palao *tr. 16. D. 3. p. 20. n. 3.* determinat regulariter quatuor licèt major quantitas requiratur pro ditioribus, & adhuc major, si res accepta sit ex vestibus, libris &c. quam ex pecunijs

Addo quartò pro Ordine Capucinorum Generale Capitulum 1662. declaravit esse notabilem materiam furti, & proprietatis tres argenteos, aut Julios, hi autem conficiunt monetæ imperialis 30. crucigeros. Item anno 1643. est decisum, quod recipiens materiam notabilem sine licentia, eámque authoritate suâ restituens duplex committat mortale reservatum; si res sit talis, cujus Religio est capax. De comestibilibus definitum est 1633. quod subreptio in magna quantitate danda extra conventum videatur casus reservatus: si vero id faciunt tempore recreationis ad comedendum standum erit judicio prudentis. Additio tota est Gervasij Brisac. *tom. 3. Curs. Theolog. tract 5. Disput. 1. quæst. 3. Articul. 5. num. 86. & seq.*

291. Dico secundò ut Religiosus peccet mortaliter furto contra justitiam & votum paupertatis in esculentis, & poculentis exigitur major quantitas, quam in rebus alijs. Lugo *num. 178.* secundum mendo *in Epitom. V. Reserv. casus n. 23.* est necessaria duplicata ferè quantitas seclusâ circumstantiâ gravis necessitatis conventûs; monet tamen rectè Lugo, attendendum esse an esculenta sint pretiosa, sive extraordinaria, ut conservæ, & Saccharo condita, horum enim minor quantitas sufficit ad peccatum mortale quam ex communibus, & horum rursus major: quo major est eorum abundantia, & dum ex fundis proprijs colligantur, quam dum emuntur, éstque eorum inopia.

Regulariter non est mortalis similium actualis usus, & quasi transitorius, éstque superior multo minus invitus, si ea dentur ab externis, quia id cedit in utilitatem conventûs ex cujus rebus tunc minus absumitur, grave verò peccatum, si in magna quantitate accepta occultè retinerentur paulatim consumenda. Lugo *cit.*

Si Religiosus etiam esculenta, &c. dat externis, cum tunc integrè extrahantur

tur ab usu communi, servanda est Regula data *num. 289.* de quantitate rerum non comestibilium ex bonis communitatis extraneo datis, Salmatic. *num. 57.*

In concursu plurium Religiosorum ad furtum grave, ita tamen ut singuli solum quid leve surriperent, id peccatum grave non reservaretur, quia respectu nullius esset ex se grave cit. Mendo.

## §. V.

## *Certiores notationes de furtis minutis allegantur.*

292. NOta primò nomine furti minuti intelligitur acceptio, aut retentio rei alienæ secundum se insufficientis ad mortale contra justitiam. Tripliciter potissimum accidit. Primò si quis plura successivè minutim furetur ab eodem. Secundò si à diversis. Tertiò, si plures ab eodem singuli modicum tollant.

Nota secundò minutim furans potest se multipliciter habere. Primò cum advertentia, aut sine advertentia, quod posteriora furta augeant materiam priorem, & damnũ. Secundò singula patrando cum, vel absque animo perveniendi ad magnam quantitatem. Tertiò ut furta priora, vel in se, vel in æquivalenti defacto existant, vel non existant. Quartò quando plures damnificant eundem singuli in modico, possunt id facere cum, aut sine omni invito consilio.

Nota tertiò ut furta modica coalescant in unum, necesse est ea continuari, id est, fieri tempore moraliter continuato, proinde sine magnis interpositis intervallis; quia homines minus ægre ferunt longo temporis intervallo sibi quædam modica auferri præsertim casu, etsi ad notabilem quantitatem pertingentia, quam si simul, aut modico temporis spatio, aut de industria tota quantitas tollatur.

Hæc moralis unio tollitur secundum Rebellum per interpositos inter unum, & alterum furtum quatuor annos; Secundum Sanch. per annum; secundum Caspensem per medium annum, secundum aliquos per mensem, secundum aliquos per medium; secundum Dianam *P. 1. de paupertate Religiosa Res. 34.* per mensem cum dimidio.

Item fit discontinuatio per pœnitentiam de præteritis furtis, vel per propositum restituendi præterita, vel si ante furtum complectivum gravis materiæ sublatæ per præterita fiat impotens restituendi priora, Less. *Leg. 2. c. 12. n. 43.* contra Lugo *Disput. 16. num. 40.* quia jus respiciens materiam sublatam furtis prioribus perinde se habet pro tunc, dum fit ultimum furtum, ac si nunquam fuisset læsum: nam in fure pro tunc jus nullam ponit obligationem, sed hanc impedit pœnitentia, vel propositum, vel impotentia restituendi non minus; quam impediret impotentia perpetua restituendi,

Unde

Unde negatur quod jus in materiam ultimi furti moraliter sit conjungibile cum jure ad materias priorum furtorum, consequenter nec graviter resistit furto ultimo.

Nota quartò in singulis peccari mortaliter contra justitiam, dum fiunt animo continuandi usque ad quantitatem sufficientem pro mortali, quia singula fiunt ex animo graviter opposito justitiæ, ècontra furans successivè sine animo continuandi, etsi pertingant ad notabile quantum, excusatur à mortali in casu inadvertentiæ ad tantum damnum, esto autem tunc acceptio non sit mortalis, est tamen mortalis retentio, quando advertitur ad damnum illatum per furtum ultimo complens, & priora in se vel æquivalenter existunt.

Nota quintò ut per minuta perveniatur ad furtum mortale, necessaria est secundum omnes major materiæ quantitas, quam si tota materia simul tollatur (nisi sit levis mora inter unum & alterum quia tunc moraliter idem damnum infertur Carden. *Dissert. 23. n. 13.* ad Innoc. propos.) quia simultanea summa est commodior sustentationi, quam minutim subtracta, hinc eo major requiritur quantitas, quo majus intervallum ponitur inter unum, & alterum eidem ab eodem factum, & adhuc major, si sit eidem à diversis, quam si ab eodem: item amplior si ab amico, vel domestico, quam ab extraneo sit: rursus adhuc amplior, si sit Patri à filio, & hujus furto major, si marito ab uxore vel ècontra, ita passim Doctores.

Quanto autem major esse debeat, ut attingat mortale. Respondet Tamburinus id decerni non posse nisi prudentis judicis spectato proximi damno ejúsque involuntario. Less. & Lugo requirunt duplum, aut saltem tertiam hujus partem, ut si materia furti simultanea sit florenus, in successivis sint floreni duo, vel Imperialis: Laym. *L. 3. tract. 3. p. 1. c. 1. n. 6.* excusat à mortali primò eum, qui hodie à Titio non valdè divite furatus est duos Pazios ábsque animo amplius furandi, jisque absumptis nactus occasionem post tres circiter dies iterum alios duos clepsit, ac absumpsit, ac sic deinceps pertingendo ad florenum Germanicum. Secundò illum, qui inter quatuor annos furtis minutis surripuit unum aureum. Tertiò eum, qui duos vel tres aureos à diversis per intervalla furatus est unum post alterum absumendo sine animo continuandi furta.

Nota sexto certum esse per furta minuta, sive eidem ab eodem, sive à diversis communi Consilio, sive ab eodem diversis facta peccari mortaliter cum onere restitutionis, etsi non fiant animo continuandi, dummodo cum advertentia fiat, dum pervenitur ad quantitatem notabilem, ita plerique Theologi apud Lugo *num. 37. & 48.* aliàs non peccarent contra justitiam mortaliter defraudantes minutim ponderibus, mensuris, &c. contra proverbium C. 11. *Statera dolosa abominatio est apud DEUM*, & Deut. 25. *non habebis in sacculo diversa pondera majus & minus.* Unde Innocent. XI. damnat hanc propositionem 38. *non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere, quod ablatum est per parva furta, quantumcúnque sit magna summa totalis.* His prænotatis.

Ad quædam particularia descendamus.

§. VI.

## §. VI.

## *De furtis levibus ab uno eidem factis.*

293. PLurima minuta furta absque animo continuandi patrata pertingentia ad quantitatem notabilem, si adhuc apud furem extent in se, aut æquivalenter, ut si exinde ditior evaserit, hunc sub mortali ad restitutionem teneri, est evidens. Quia jus in ea Dominus non amisit, & sequitur ex damnata propositione proximè relata *num. 292. in fin.*

Dubium est: an dum furtum ultimo completivum quantitatis notabilis fit cum advertentia, quod compleat, peccet mortaliter acceptione vel verò solâ detentione.

Secundò an dum res ablata non extet etiam æquivalenter, adhuc tamen fur habeat grave debitum restituendi, etsi etiam in ultimo furto non peccet mortaliter?

Dico primò probabilius peccari mortaliter etiam per ipsam acceptionem, Lugo *Disp. 16. num. 38.* contra Less. *Lib. 2. c. 12. n. 42.* Navar. Toletum. Probatur: tunc acceptio furtiva ultimo complectiva cum advertentia ad complementum est mortalis, quando fur advertit, quod hæc acceptio graviter proximo noceat, sed in casu proposito, etsi priora furta nec in se, nec æquivalenter extent, fur advertit quod acceptio complectiva quantitatis notabilis proximo graviter noceat; sicut die jejunij in ultima comestione modica cum advertentia, quod hæc cum pluribus præcedentibus modicis compleat materiam gravem peccatur mortaliter contra præceptum jejunandi.

294. Dico secundò etsi fur advertat, quod per præterita furta minute graviter nocuerit proximo, si nullum eorum factum sit cum advertentia ad materiæ gravitatem, seu ad grave illatum damnum, probabilius est cessare obligationem mortalem restituendi, ita Granado *1. 2. Controv. 6. tract. 2. Disput. 2. n. 49.* cum multis, quibus favet apertè Lessius *C. 7. n. 27.* contra Sanch. *L. 1. moral. c. 4. n. 16.* Laym. *Lib. 3. tract. 3. p. 1. c. 6. n. 4.* Haunold. *tract. 2. n. 198.* Lugo *n. 68.* Garden. ad propositionem Innocentij *Dissert. 23. à n. 88.* existimantem nostram sententiam damnari per relatam propositionem 38. in fin. *num. 292.*

Probatur: si esset obligatio gravis restituendi, ea oriretur vel ex re accepta, vel ex injusta acceptione, vel ex gravi illato damno; non primum: quia res accepta nec in se, nec in æquivalenti existit, sed perijt sine extante lucro furis; non secundum: quia nulla acceptio est mortalis, sed singulæ sunt veniales, ergo collectis omnium non potest fundare obligationem mortalem restituendi, hæc enim nequit radicari in ipsa culpa totius collectionis acceptionum venialium, ut-

pote

pote veniali, obligatio autem mortalis restituendi nequit radicari in culpa levi, aliàs foret major sua radice: non etiam in damno illato gravi: quia hoc secundum se non fundat obligationem ullam restituendi, ergo nec fundare potest gravem, quando intervenit culpa solum levis, nisi res ablata formaliter vel æquivalenter exter.

Ex his apparet immerito sensisse Cardenas suam sententiam ex principijs intrinsecis esse certam, nostram verò certò falsam, & damnatam: non enim est formaliter damnata, quia nostra propositio est particularis, & restricta ad furem immemorem inferri grave damnum, damnata verò est universalis: hæc enim propositio, *non tenetur quis sub pœna peccati mortalis, &c.* æquivalet huic; *nullus tenetur, &c.* non etiam damnatur virtualiter: quia tunc etiam per Cardenas propositio aliqua damnatur virtualiter in alia formaliter damnata, quando illa est antecedens, ex quo formaliter damnata legitimè inferatur, sed ex nostra assertione restricta nequit legitimè inferri universalis damnata, uti est evidens. Quare ut universalis damnata censeatur, satis est, quod illa aliquando falsificetur, falsificatur autem sufficienter, si contradictoria verificetur, prout verificatur etiam stante nostrâ sententiâ, nam etiam secundum nos est verissima hæc propositio: *aliquis, seu aliquando quis sub mortali peccato tenetur restituere, tenetur ablatum per parva furta*: Et quidem id verificatur primo, quando furta fiunt animo continuandi ad magnam quantitatem. Secundò quando advertitur in ultimo furto compleri grave damnum. Tertio quando res ablatæ leves extant in se, vel æquivalenter.

295. Dices quævis culpa venialis obligat ad restitutionem, ergo etiam ultima ex præcedentibus obligat ad totam materiam & quidem sub mortali post advertentiam ad grave illatum damnum: plures enim leves obligationes ejusdem Ordinis fundant obligationem gravem: sic qui credito accipit panem unius Pazij per dies 20. singulis acceptionibus contrahit levem obligationem, & tamen ex illis omnibus oritur obligatio gravis restituendi, dato quod 20. Pazij sint materia gravis. Idem patet in pluribus levibus promissionibus factis in favorem tertij ab eodem acceptatis, supposito quod promissio simplex acceptata obliget ex justitia. Tertiò id ipsum suadent vota indies orandi orationem Angelicam per quinquaginta dies repetita, quando dies non est terminus obligationis, sed executionis, quo casu vovens incurrit quinquaginta obligationes leves, ex quibus resultat obligatio gravis orandi 50. orationes Angelicas si diebus 50. transactis vota hæc non implevit, quia materia secundum se levis singularum promissionum reiteratione succrescit, atqui etiam in casu nostro damnum singulorum furtorum leve succrescit reiteratione, & fit tandem grave.

Respondeo concedo antecedens distinguo consequens ultima cum præcedentibus obligat ad totam materiam, si sensus sit quod ex ultima, & præcedentibus fiat collectio continens omnes veniales acceptiones, quarum singulæ obligent ad restitutionem suæ materiæ concedo consequentiam, si sensus sit, quod detur aliqua singularis acceptio obligans ad to-

tam materiam restituendam nego consequentiam nulla siquidem obligat ad restituendam ablatam per alia furta materiam; Nego autem secundam partem consequentis, quam non probat gravitas illati damni, ut ostendo à pari, dum grave damnum illatum est cum culpa veniali ex imperfectione actûs talis, quo casu etiam per adversarios non est obligatio gravis restituendi, ergo nec dum culpa venialis est deliberata. Ad probationem hujus secundæ partis nego quod plures leves obligationes fundent gravem obligationem restitutionis (quia hæc obligatio gravis supponit aut gravem formaliter injustam juris læsionem, aut extantiam materiæ notabilis) sed alterius rationis, nempe fundatam in contractu, & hoc ad summum evincunt tres instantiæ, quarum prima loquitur de contractu emptionis, secunda & tertia de contractu promissionis, unde in his gravitas obligationis non oritur ex pluribus levibus ut talibus, sed ex contrahentis & promittentis intentione, in qua res plures leves debitæ in casu primo aut res leves promissæ, ut in secundo, & tertio casu extent de præsenti moraliter unitæ: solutio enim debiti in primo in reliquis solutio promissi retinetur; è contra res furtivæ leves nullatenus existunt in se, aut in æquivalenti, aut in contractu, vigore cujus fur intenderit se graviter obligare ex hypothesi gravis illati damni etiam materialiter sumpti, contra plures Adversarios, de quibus mox patebit quid sentiant.

Ex Adversarijs Lugo *Disput. 16. num. 69.* Haunold. *tract. 2. num. 208.* Esparza *quæst. 32. ab Art. 8.* fingunt, quod suppositâ voluntate furandi sit essentialiter annexa tacitè voluntas restituendi damnum illud voluntarium, & supposito secundo furto adsit obligatio reparandi damnum non modo illatum per hoc secundum furtum, sed etiam per primum, & sic deinceps, idcirco semper pro gravitate damni crescit gravitas obligationis. Hanc autem tacitam restituendi conventionem probant ex universali voluntate propriæ felicitatis, hæc autem exigit omnia ad vitam socialem necessaria, inter quæ est pax mutua, & offensionem ablatio præsertim ex injurijs provenientium.

Contra est primo, vel supposito furto voluntas illa est libera vel non, si libera, ergo fur potest omittere talem reparandi animum, & sic ruit totum argumentum: si est necessaria hujus tam infallibilis obligationis nullum est fundamentum.

Contra est secundo ad summum probatur voluntas annexa generalis exequendi graviter necessaria ad vitam socialem, & salutem æternam, reparatio autem illati damni gravis per furta minuta, nec in se, nec æquivalenter extantia sive advertentia ad gravitatem damni non est graviter necessaria nec est aliqua conventio inter furem & Dominum, ut damnum reparetur.

Infertur probabilius esse quod furtum minutum factum novum post aliud antecedens cum advertentia, quod completat materiam gravem non sit mortale, Molin. *Disput 668.* contra Lugo *à n. 43.* quia non complet in esse materiæ gravis, sed prius completam leviter auget perinde, ac furtum leve supponens furtum simultaneum materiæ gravis, hoc non complet, sed auget leviter, aliàs omnia sequentia furta levia forent mortalia.

§. VII.

## §. VII.

## *De furtis parvis, quæ ab uno fiunt diversis, aut ècontra.*

296. COnstat ex Not. 6. *n. 292.* per furta minuta ab uno diversis illata, & ècontra mortaliter contra justitiam peccari posse cum debito restituendi. Porrò ratio efficax hujus gravitatis, dum furatur quis singulis nocendo leviter est difficilis, probabilior est hæc, quod personæ per furta minuta læsæ constent specialem communitatem, quæ graviter læditur læsis leviter singulis, ergo jus naturale justitiæ graviter resistit, sed nequit graviter resistere prout inest singulis, ergo prout inest collectivè acceptis, ergo ipsa natura rationalis suppositâ læsione singulos ordinat ad faciendam unam communitatem independenter à libera eorum conventione, cum aliter vix sit explicabilis gravitas injustitiæ spectato præcisè jure naturali. Econtra cum plures per furta parva nocent eidem, quisque E. g. furando grossum, aut unum vini vitrum ebibendo, aut botrum ex vinea decerpendo, est distinguendum, si ex communi inito Consilio, seu ut complices concurrant, est facilis ratio mortalis peccati, quia quisque est causa totius damni, & in solidum tenetur; ècontra nullus peccat mortaliter, dum quisque furatur modicum ignarus damni ab alijs illati, aut proximè inferendi; nullus enim moraliter influit in furta cæterorum.

Gravis dubitatio est: an singuli peccent mortaliter, quando singuli furantur non ut complices, seu non ex communi consilio, sed scientes aliorum furta parva facta, aut facienda? affirmant multi cum Vasquez *1. 2. Disp. 146. c. 2.* & Molina *Disp. 689.* Respondeo negativè cum Lugo *Disp. 16. num. 52.* ex communiore quia nullus tunc graviter nocet: ideo enim quisque graviter noceret, quod damnum suo furto illatum & conjunctum damnis per furta cætera illatis sit grave, sed exinde non graviter nocet: ad hoc enim non sufficit gravitas damni ex conjunctione, sed insuper necesse est, quod sit causa moralis damni per alios illati, seu ut coöperetur aliorum furtis, quod non accidit.

297. Objicies primò quisque eorum advertenter complet materiam gravem, etsi non desideret grave damnum, ergo sicut hoc desiderando peccat mortaliter secundum omnes, licet ipse furetur modicum, ita peccat mortaliter etiam secluso desiderio intentio enim actum de se levem non transfert de veniali in mortale.

Secundò à paritate leviter ultimo vulnerantis, quando præcesserunt plura ab alijs inflicta vulnera citra mortem.

Tertiò quisque eorum coöperatur gravi damno proximi: is enim coöperatur gravi damno, sine quo non existeret grave damnum, sed nisi ponatur furtum ulti-

ultimum de se leve non existit grave damnum, ergo.

Respondeo ad primum, objectum dicti desiderij non esse damnum illatum per leve furtum, hoc enim præcisè intendens non transfert veniale in mortale, sed objectum ejus est totum damnum grave, & ideo est mortale; ècontra intendens leve furtum cum scientia cæterorum furtorum non intendit horum damnum, sed sui solum furti.

Ad secundum est disparitas, quod vulnus ultimum de se leve in illis circumstantijs sit adæquata causa mortis consistens in indivisibili: supponitur enim supervicturus ex cæteris vulneribus; ècontra in nostro casu damnum est divisibile, proinde nullus est causa ejus adæquata.

Dices: ergo is qui post plures in materijs diversis leviter detrahentes Religioso coram Prælato superaddit levem detractionem, quâ auditâ Prælatus deponit bonam de Religioso æstimationem judicando eum indisciplinatum est similis non furi, sed postremo vulneratori, sicut enim hic perimit vitam, ita ille famam: supponitur enim quod secluſa detractione postremâ Prælatus judicium sinistrum non formaret.

Respondeo concedo illatum cum Lugo *n. 60.* Ad tertium assumptum est verum de coöperatione levi, ut autem peccetur mortaliter, requiritur coöperatio gravis, seu talis cui moraliter imputetur totum damnum; hic autem imputari nequit: sicut si alij Petro minurim darent 99. florenos tu superaddendo unum, quo compleas centuriam, non censeris moraliter dedisse centum, sed complementum centuriæ.

Quæres an saltem is, qui furto levi fuit occasio prævisa, seu dedit exemplum cum prævisione gravis damni inferendi ab alijs peccat graviter non solum contra charitatem, quod certum est, sed etiam contra justitiam cum obligatione restituendi, etsi damnum non intenderit?

Respondeo etsi probabilis sit affirmativa cum Dicastillo *de pœnit. Disp. 9. n. 336.* eo quod probabiliter quævis virtus obliget, ne etiam indirectè nempe positivo pravo exemplo, procuretur ejus violatio, non est tamen obligatio restituendi gravis ex tali indirecta coöperatione, eo quod illa fundetur solum in actione perfectè læsiva, & directè influente in damnum. Sanch. *L. 1. moral. c. 6. n. 5.* Dicastill: *n. 343.* Soarez *de charit. D. 16. §. 2. n. 10.*

§. VIII.

## §. VIII.

## *De furtis minutis Domesticorum, Opificum & eorum Confessario.*

298. Hic sub Domesticis comprehendimus non solas proles, uxores, ac Religiosos respectu Monasterij sed etiam famulos, & ancillas.

De quantitate requisita ad mortale in prolibus, uxoribus, & Religiosis diximus *à num. 286.* nihil adhuc statuimus de quantitate ad mortale in furtis famulorum, de quibus est verior opinio, quod ut furtum eorum ex rebus pecuniarijs, aut alijs distinctis à comestibilibus sit mortale opus sit majore quantitate quam in extraneis, Lugo *Disput. 16. n. 63. & 68.* quia Domini quoad Domesticos non videntur æque esse rationabiliter inviti, quam respectu externorum, nam attentâ fragilitate humanâ vix possunt res ab jis Administrari tantâ fidelitate, ut nihil subinde adhæreat eorum manibus sicut conducens in vindemiam operarius scit pro certo comesturos botros.

Quanto autem major requiratur in famulis, quam in extraneo ad mortale furtum nullâ regulâ potest definiri, sed est dijudicandum ex circumstantijs Domini divitiarum, vel paupertate, liberalitate, vel tenacitate, qualitate rei acceptæ, utilitate personæ accipientis, &c.

Dixi *ex rebus pecuniarijs* &c. nam in comestibilibus, ut peccent mortaliter, longe major quantitas postulatur: raro enim peccant mortaliter in horum usu, præsertim suæ curæ commissorum ob rationem proximè allatam, maximè quando ordinaria tractatio est exigua: unde scribit Sanch. *Lib. 7. Moral. c. 21. n. 31.* de furtis minutis domesticorum, & à fortiori Religiosorum eos excusans à mortali, etsi in usu comestibilium paulatim pertingant ad notabilem quantitatem, quod approbat Laym. *Lib. 3. tract. 3. p. 1. c. 1. n. 5.* quando Dominus est invitus solum quoad modum secùs quoad rem, putat autem esse invitum quoad rem, seu substantiam, quando furta parva sunt de eo genere quæ non communiter, aut non in magna quantitate dari solent, ut si famulus vel etiam Religiosus in loco, ubi est vinum caro pretio per unum mensem singulis diebus ebibat binas vini mensuras, tunc enim peccat mortaliter uterque contra Justitiam, & Religiosus insuper contra votum paupertatis.

Limita Doctrinam regulariter excusantem in cibarijs Domesticos à mortali in furtis minutis, ut non procedat, si ea dent externis: tunc enim Domini, & Monasterium sunt non minus inviti quoad substantiam, quam si dantur externis res aliæ non comestibiles, proinde damnum illatum est reparandum à furibus, si non restituant illi externi, qui res furtivas absum-

absumpserunt ita supponit citatus Layman. Advertit tamen Bassæus *V. Eleemosyna n. 12.* D. Thom. Tol. & Filli, permitti famulis, si dent modicam Eleemosynam, & ratò aut quando adest consensus saltem interpretativus Domini, aut probabiliter speretur ratihabiturus, aut si quid suæ portioni detrahunt citra Domini præjudicium.

299. De furtis opificum, ut sartorum servantium residua fragmenta scribit Sanch. *L. 1. conf. c. 7. dub. 3. à n. 3.* si ea sint adeo modica, ut habentur à Dominis pro relictis non est obligatio ea restituendi etiam à sartoribus, officialibus, fragmenta autem magna, & magni valoris posse retineri à magistris (secùs à Socijs, quia hi habent justum stipendium à Magistris) quando si sunt timoratæ conscientiæ asserentes sibi non solvi laborem justo pretio, proinde fragmenta in partem solutionis computant, dummodo non excedant debitum laboris pretium justum liquidum, seu certum.

Hæc Doctrina non est extendenda contra aliquos ad molitores modicum quid accipientes ex frumento, quod solent molere, quia illis nihil detrahitur in mensura consueta frumenti eisdem taxata, aut in pretio loco frumenti ex conventione dando.

Textores retinentes materiæ datæ reliquias parificari possunt Sartoribus, nisi etiam taxatum sit pretium de singulis ulnis.

Argentarij, & Aurifices æs, aut aliud Metallum admiscentes Argento, vel Auro, quantum præcisè necesse est ad connectendum, consolidandum argentum, & aurum licitè tale æs admixtum vendunt pro argento, & auro secundum Dicast. *L. 2. tract. 9. Disput. 4. dub. 4. num. 71.*

Cæterum præfatorum omnium opificum furta minora posse coalescere in materiam gravem cum obligatione mortali restitutionis evidens est ex jactis superius Principijs.

Concludo hunc §. verbis Lessij *L. 2. c. 12. n. 50.* monendi, inquit, sunt hoc loco pro his, & similibus casibus confessarij, ut non facilè in furtis minutis, & quæ ad peccatum mortale non pertingunt, dissimulent, sed pro Conditione & capacitate personarum semper aliquam restitutionem injungant, quæ fiat vel reddendo rem eandem, si extat, vel ejusdem speciei, vel pretium rei, vel compensando majore obsequio, quam ex contractu teneantur, vel si creditoribus non possunt, conferendo tantum in pauperes: hâc enim ratione, cum impune non transeant, magis de ejusmodi peccatis absterrentur, quam alijs pœnitentiolis, aliàs fiunt ad hujusmodi furta faciliores, & ad majora gradum faciunt. Ita ille approbatus à Cardena. *Dissert 23. num. 111.* Tanner. *2. 2. D. 4. q. 6. n. 279.*

AR-

# ARTICVLVS QVARTVS.

## *De causis à furto excusantibus.*

### §. I.

### *An occulta compensatio careat vitio furti, liceatque?*

300. OCculta compensatio est usurpatio rei alienæ privatâ authoritate creditoris facta ad suum debitum compensandum.

Pro decisione fundamentum præbet damnata ab Innocent. XI. propositio 37. *famuli & famulæ domesticæ possunt occultè heris suis surripere ad compensandam operam suam quam majorem judicant salario, quod recipiunt.*

Propositio extendenda est ad quosvis creditores occultam compensationem prætensi sui crediti attentantes: etsi enim propositio loquatur de domesticis solum, id non limitationis sed exempli gratia factum esse constabit ex ratione contra Domesticos adferenda, Ita Didacus Hurtadus *in Theologia reformata ad Innocentium XI. Disp. 23. n. 69.*

Stipendium ministerij alicujus est instar mercium pretij triplex; Summum, medium, infimum, unde minus infimo, & majus summo est evidenter injustum. Porrò justa stipendij mensura est duntaxat valor impensi ab Officiali laboris (secùs hujus familiæ, aut uxoris, vel prolium etiam sustentatio) ac salarium, quando pro eo servire alij parati sunt, solentque, esto famulo videatur tenue (nullus enim in propria causa est aptus Judex, quia amor proprius facilè indicat aliquod esse evidens in commodum suum, dum alijs vix est probabile. Quare de Justitia stipendij est necessarium judicium non interessati & in similibus versatissimi) præsertim quando ultroneè suum famulatum offert Domino: tunc conventio pro minori est justa, sicut merx ultro oblata vilescit.

Tres Sententias ad propositum refert cit. Hurtad. Prima non requirit debitum omnino liquidum, sed contenta est probabili, etsi pars negans debitum sit æque probabilis, vel forte probabilior, Ita Spinola *in tract. de elect. opinionum Disp. ultim. sect 7.* Secunda distinguit inter opiniones facti, & opiniones juris, has non illas sufficere secluso scandalo tuetur, ita Joannes Sanch. *in select. Disp. 33. à n. 32.* Tertia defendit in casu

pro

probabilis debiti fas esse compensare dimidium duntaxat debitum dimidio debitori relicto, sic enim utrique juri ex æquo sua portio defertur. Ita Julius Mercarus *in Th. moral. 3 p. Art. 12.* quam sententiam illustrat. Matth. Moya *p. 2. select. tr. 6. D. 4. q. 1. §. unic.*

301. Dicendum est, nunquam licitam esse occultam compensationem nisi debitum sit liquidum, seu moraliter certum id est, excludens probabile judicium negans debitum, nec viâ aliâ queat debitum certum obtineri, caveatque, ne exinde debitor exponatur periculo idem debitum iteratò solvendi, aut ne maneat in mala conscientia debiti nondum persoluti, aut ne inde innocens trahatur in suspicionem furti (charitas enim obligat ad hoc præcavendum, quanto commode potest) aut ne fiat compensatio ex re non spectante ad debitorem, sed ex proprijs cum minore ejus damno, est communis Doctorum.

Probatur stantibus his conditionibus occulta compensatio nulli est injuriosa, sed justa defensio contra injuriantem, qui nequit esse rationabiliter invitus, & ideo non est furtum, hujusquè vitium non contrahit, etsi via juris citra magnum incommodum posset obtineri solutio: nam inversio hujus ordinis non est mortalis teste Dian. apud Lugo *Disp. 16. num. 91.*

Econtra esse illicitam, injustam, atquè adeo furtum, dum debitum est dubium, aut solùm probabile. Probatur, tunc est illicita, atque injusta occulta compensatio, quando certæ, debitoris possessioni nequit prævalere jus dubium, aut etiam probabile, cum ex terminis pateat incertum jus possessioni, & certo Dominio præjudicare non posse, ipsumque forum externum spoliatum eo casu restitueret secundum utrumque jus.

Amplio, ut procedat, etsi major sit probabilitas pro debito idque non solùm, quando major probabilitas est incerta, sed etiam quando probabilioritas debiti est certa, quia etsi sit certa probabilioritas adhuc tamen jus ad debitum est incertum: econtra certum habet jus pecuniæ cum certitudine possessionis, ex quo jure nullus privatus potest debitorem dejicere, aliàs posset sibi jus certum attribuere.

Hinc est disparitas cur Judex debeat ferre sententiam pro eo, pro quo jus est probabilius, quia ei à republica data est potestas ad jus certum transferendum in eum per sententiam, pro quo stat probabilioritas juris.

Ratio data pro injusta occulta compensatione confutat etiam secundam & tertiam Sententiam, quia sive opinio sit de facto, sive de jure incerto nequit excludere certum possessorem, & Dominum non tantum in toto, sed nec in parte, cum etiam pars debiti sit illiquida, ita citat. Hurt. *n. 103.*

Ex disparitate data, cur Judex debeat ferre sententiam pro habente jus probabilius sequitur falsum esse contra adversarios, quod Judex nullum conferat jus illi, pro quo sententiam dicit, sed quod jus ab initio Victori, aut creditori competens declaret, si enim solum declaret jus præexistens, tunc Judex in casu probabilioritatis diceret solum jus Victoris esse probabilius servatâ imposterum probabilitate juris contrarij; & sententia esset inefficax ad transferendum jus indubitabile in Victorem, litesque hâc ratione nunquam finirentur, ut rectè arguit

Dida-

Didacus Hurtadus *in Theologia refor. ab Innocent. XI. Dissert. 23 n. 79. junctio 110.*

302. Quod dictum est ad licitam occultam compensationem debiti requiri hujus liquiditatem, seu moralem certitudinem, etsi teste Lugo *Disput. 16. n. 94.* omnes in ea conditione convenire debeant, quatenus pro debito incerto, sive dubio strictè tali nemo privari potest possessione certa rei, at loquendo de dubio positivo latè sumpto pro opinione probabili, non ita conspirant Doctores. Molin. *tom. 3. Disp. 691 n. 1.* negat sufficere opinionem probabilem, nec probabiliorem. Sanch. *lib. 6. Decal. c. 3. n. 6. & lib. 4. Consil. c. 1. dub. 14. n. 12.* Soarez *de legib. lib. 5. c. 18. n. 20.* Vasq. *in opus de Restit. c. 6. § 3. dub 5. n. 83.* ita explicat illam conditionem, ut in dubio juris, vel facti circa dominium non possit aliquis clam rem, aut hujus partem accipere, quamdiu non constat evidenter, aut per judicis sententiam. Requiritur ergo certitudo moralis de debito, certitudo autem excludit probabilitatem Less. *lib. 2. c. 12. n. 58*

Hæc Doctrina non caret gravi difficultate, nam plures jus Authores ad casus particulares descendentes concedunt creditori occultam compensationem, etsi creditoris jus non sit certum, seu liquidum, sed probabile ut Exemplificat Lugo *à n 95.* ac ex illo Dominicus Viva *ad propos. 37. Innoc. XI. n. 2.*

Primò in infamato, qui si infamans nolit, aut non possit satisfacere, potest compensare sibi ex pecunia, quam debet infamanti, etsi sit solum opinio probabilis de compensatione pecuniaria, quando in proprio genere nequit satisfieri pro fama, ita Less. *c. 11. n. 136.* contra alios negantes pecuniâ posse compensari. Secundò legata relicta in testamento minus solenni juxta sententiam satis comunem non sunt in conscientia solvenda (quod Barbosa extendit ad legata pia contra communiorem verius obligantem solvere) quia tamen opinio Less. *c. 19. n. 22. & 30.* Molin. *tom. 1. Disp. 81 vers. quod si fuit, est* probabilis, & alij probabiliter obligant hæredem ab intestato ad ea solvenda, potest legatarius uti occultâ compensatione. Tertiò Rex ex opinione probabiliore juris in Regnum ab alio possessum potest armis sibi vindicare secundum gravissimos Doctores cum Joan. Sanch. *in select. Disp. 44. n. 58* Maldero, Victoria, Covar. Fill. quos sequitur Granado *2. 2. controv 3. de charit. tract. 12. Disp. 4. sect. 3 n 29* Soarez, Valentia, in casu quo probabilior est opinio circa jus, ergo multò magis opinio probabilis faciet licitam occultam compensationem, utpote tot mala non secum trahens.

Quartò quando probabilius est famulo ex Justitia deberi majus salarium, Judex potest, & tenetur obligare Dominum ad illud solvendum, debet enim sequi opinionem probabiliorem, ergo etiam famulus potest occultè tunc sibi compensare, quod enim potest viâ juris, potest etiam viâ occultæ compensationis citra injustitiam obtinère.

Quintò quando probabiliter non teneor Petro centum, probabiliter deobligor solvere Petro centum, ergo si ex ignorantia solvi, possum illa occultè compensare. Antecedens est Salon. Malder. cum aliis apud Joan. Sanch. *Disput. 33. n. 35.* consequentia patet, quod causa excusans solutione debiti etiam permittit compensationem soluti.

Sextò Judex quando ſtat opinio utrinque æque probabilis de re ab una parte poſſeſſa non obſtante poſſeſſione debet rem inter partes dividere, cum debeant juxta merita cauſæ judicare, ne ſit acceptor perſonarum *per propoſit 2. ab Innoc. XI. damnatam*, ergo quando Dominus probabiliter judicat non deberi majus ſalarium, famulus verò etiam probabiliter cenſet deberi majus, poteſt famulus ſibi occultè compenſare illam partem, quam Judex adjudicaret, ſi enim dum eſt liquidum debitum, poteſt totum compenſare, ſi dubium, nihil, ergo ſi ſit probabile, poteſt partialiter compenſare pro merito probabilitatis. Et ita docet P. Matth. de Moya *p. 2. ſelect. tract. 6. Diſp. 4. q. 1. à n. 15.*

Lugo *n. 99.* etſi videatur inclinare in occultam compenſationem ut licitam, dum creditor circa jus habet opinionem æque probabilem: attamen *n. 106.* profitetur ſe abſtinere ab ultimo ſuo judicio addítque in praxi non facilè diſcedendum à communi ſententia. Huic ſententiæ inhærendo.

Reſpondeo ad primum cum Haunold. *tract. 2. à. n. 335.* hic non eſſe occultam, ſed apertam compenſationem omnino licitam: quia infamatus per infamationem acquirit probabile jus pretio æſtimabile. Hinc infamatori negat ſolutionem debiti, ſperans, quod ſi debitum exegerit in judicio, ad oppoſitionem exceptionis non audietur.

Dominicus Viva *num. 8.* aliter Reſpondet; ſentit enim probabiliùs videri compenſandam eſſe famam in pecunia ab impotente famam reſtituere, proinde cum Judex judicare debeat ſecundum probabiliorem juxta damnatam ab Innocent. XI. Propoſit. 2. eſt probabile, quod ſit licita occulta compenſatio, quando commodè Judex nequit adiri. At alij communius reſtringunt ad caſum, quo infamatus penes ſe habet pecuniam infamanti debitam æſtimatam tanti, quanti æſtimatur fama reſtituenda.

Ad ſecundum nego antecedens ex *num. 258.* Secundo Leſſius & Molin. *per num. 259 & ſeq.* putant jus certum competere ex teſtamento minus ſolenni, & licet hoc nihil probet, admittitur tamen ſufficiens probatio, ſi hæres ab inteſtato recognoſcat eam fuiſſe defuncti voluntatem, aut ſi delato juramento recuſet id præſtare *L. 2. & L. fin. cod. de fidei commiſſis.* Reſponſio utraque eſt etiam cit. Viva,

Ad tertium conceſſo antecedente nego conſequentiam cum cit. Viva Lugo *num. 98.* quia Rex agit auctoritate publicâ inſtar judicis adjudicando ſibi Regnum juxta jus probabilius in Regnum, cum autem nemo in cauſa propria debeat munus judicis obire ob periculum deceptionis, tenetur committere cauſam ſuam dejudicandam à viris peritis, doctis ac timoratis, qui liberè ſepoſito omni reſpectu pronuncient. Idem Rex nequeat bello impetere poſſeſſorem ex majore probabilitate circa factum, ut ſi lis ſit an ſit initus contractus, vi cujus debeatur Regnum, tunc enim Judex niſi factum ſit moraliter certum, ſeu plenè probatum, nequit ſpoliare Poſſeſſorem; ergo multò minùs privatus E. g. famulus poteſt occultè compenſare etſi opinio illi favens eſſet probabilior. Non obſtat, quod in hoc caſu poſſet Judex ſententiam ferre pro famulo, diſparitas eſt, quod famulus ob amorem lucri & inſcitiam facilè hallucinetur; quod

quod enim in propositione 37. præscribitur, est, posse famulos occultè compensare id, quod ipsi judicant sibi deberi in salarium, quod aperit viam furtis innumeris, & ideo est scandalosum.

Ad quartum nego consequentiam; Judex enim adstringitur probabilorem circa jus, ut in casu famuli circa ejus operam, quam hero præstat, unde posito tali contractu, & tali servitio præstito à famulo judicat probabilius competere huic jus ad mercedem majorem, consequenter potest ad majorem condemnare Dominum, famulóque adjudicare jus certum ad eandem, minimè autem ob hallucinationis periculum potestas judicandi, ac discernendi est famulis permissa, an servitia, quæ exhibent sint majora conventâ mercede. Vide tamen *Vers. Dominicum Viva in numero præsenti.*

Ad quintum nego consequentiam. Ratio Antecedentis est quod certa mea Possessio centum sumpta cum opinione probabili me ea non teneri prævaleat opinioni probabili, quod teneor illi centum; si tamen ductu hujus opinionis solvi Petro centum, nequeo ea repetere, aut clam compensare, quia Petrus evasit illorum Possessor bonæ fidei, quâ possessione nefas est illum spoliare ob meras rationes probabiles.

Ad sextum solutio colligitur ex probatione conclusionis *n. 301.*

303. Quæres primò an licita sit compensatio debiti verè probabilis, dum pro non debito nullæ, aut tenues solum adsunt rationes, ex quibus nequit prudens formari judicium de non debito.

Secundo an procurator alicujus ad negotia cum designato salario annuo inopinatos labores à se improvisos, quos si prævidisset majus salarium petijsset, queat occultè compensare, dum ei constat se nihil à Principali obtenturum, etsi augmentum poposcerit, idem est de famulo, quem Dominus occupat ultra conventionem: non enim tenetur ad peragenda, nisi ea, quæ alij communiter in tali ministerio, præstare solent.

Tertiò an qui vi, aut necessitate coactus pro pretio inæquali famulatur, possit defectum supplere occultè compensando.

Respondeo ad primum affirmativè cum Didaco Hurtado *n. 85.* Lugo *Disp. 17. sect. 4. in fin.* contra Cardenas *Crisis Theolog. Disput. 4. à n. 102. & p. 3. Disp. 64. n. 18.* quia debitum in tali statu est moraliter certum, etsi certitudo hæc non sit omnino infallibilis, sufficit tamen ad prudenter sic operandum, quoties pro una parte datur probabilitas, & nulla pro altera, nam ex hoc principio nequit iterari Baptismus, nec Sacerdotium prætextu improbabilis dubij, & suspicionis: quia nulla prudens ratio suadet fuisse irritum Sacramentum.

Confirmatur in casu præsenti non est necessaria major certitudo, quam in delictis ad reum condemnandum, in quibus etsi probationes luce meridianâ clariores exigantur, attamen justam faciunt condemnationem duo testes, quibus nulla probabilis exceptio opponi potest, etsi sæpe contingat eorum testimonium esse falsum. Certitudo igitur nostro captui accommodata non excludit omne dubium, aut omnem formidinem, aut suspicionem oppositi. Ex his.

Infero primò cum cit. Didaco Hurtado *à n. 89.* eum, qui bonâ fide possideret rem, sed dein opinatur esse alienam, quia

quin probabiliter judicare possit esse suam teneri restituere suo Domino Sanch. *lib. 2. de matrim. Disput. 44. num. 1. junctо. num. 5.* Lugo *num. 88. in fin.*

Infero secundò conjugem qui pro sui nullitate matrimonij probabilem habet opinionem, nullam verò probabilem pro valore post factum diligens examen, nec posse petere nec reddere debitum (quoad reddere est contrarius Lugo cit. *num. 88. in princ.* Quod ad reddendum sufficit bona fides, & possessio alterius conjugis, qui non est spoliandus sine manifesta probatione impedimenti: & ideo etsi careat judicio probabili de valore matrimonij, non tamen caret judicio quod liceat reddere, ne jure suo fraudetur Possessor bonæ fidei.) quia tunc est moralis certitudo nullitatis matrimonij, unde Sanchez *Disput. 41. num. 153.* tenet jus Canonicum *C. inquisitioni 44. de sent. Excom.* favens conjugi loquit in casu, quo nondum erat adhibita sufficiens diligentia ad veritatem certam eruendam, favet Lugo *num. 87.* Cæterum *cit. cap.* uti etiam *C. si Virgo 5. 34. quæst. 1.* apertè negat posse etiam reddi debitum à sciente impedimentum, sed habens probabilitatem pro nullitate sine probabilitate pro valore moraliter scit impedimentum, ut probatum est.

Respondeo ad secundum affirmativè cum Mendo in *Epitom. opin. V. compensatio num. 3.* Ubi id ipsum dicit famulo, allegans pro hoc Vasq. Navar. Less. quia omnes adsunt requisitæ conditiones.

Respondeo ad tertium affirmativè, ita cit. Hurtado *n. 26* cum Lugo *Disp. 16. n. 80.* Dicast. *tract. 2. Disp. 9. num 144.* testante esse omnium Authorum. In hac quæstione supponitur, quod operam famuli constet certo esse majorem salario (unde casus hic non comprehenditur in propositione damnata, & solum quæritur an famulus, qui vi, seu ab extrinseco, aut propria necessitate compulsus contrahit pro mercede injusta nempe minore, quam sit aliorum parem operam præstantium, debeat stare conventioni, aut possit sibi occultè compensare. Ad quod dicimus affirmativè, quia etiam hic sunt omnia requisita: ipse enim conductor debet, quod defuit stipendio justo, supplere ad æqualitatem: sicut Emptor cogens me ad venditionem tritici infra justum pretium, debet dare supplementum, ergo si alius modus facilis non est habendi, potest occultè compensari: & quidem ut cit. Hurtado observat *num. 28.* & sequent. ex Molin. Dicast. cum hac differentia inter compulsum ab extrinseco, seu vi, & compulsum ab intrinseco, seu à propria necessitate, quod prior possit compensare ad mercedem mediam; sicut enim ei erat liberum non servire, ita habet jus non serviendi, nisi pro pretio medio, aut summo, at qui à propria necessitate compellitur, is non potest compensare, nisi usque ad infimum pretium, quia plus non debetur ex conventione, nec plus requiritur ad tollendam injustitiam, cum nec infimum justum habere potuerit.

Dices: ergo militiæ Capitaneus stipendium debitum male persolutum, aut dimidiatum poterit occultè compensare v.g. in militum lustratione tot ficta nomina exhibendo, quod sufficiunt ad supplendum stipendium certo debitum. Respondeo nego illatum cum Arsdekin; quia licet ejus jus sit certum, nequit tamen pro eo satisfactionem procurare cum falla-

fallacia & majori Reipublicæ detrimento, uti hic fieret: nam inter reliquas conditiones requiritur etiam hæc: ut faciat cum damno minori debitoris; oppositum autem hic accideret: nam Princeps supponit sufficientem militem pro justa defensione esse sub signis, quæ suppositio falleret cum periculo communis damni.

## §. II.

## *An & qualis necessitas excuset à furto?*

304. VOx furtum propriè semper significat injustam rei alienæ usurpationem *per num. 282.* unde S. Thom. *hic q. 66. Art. 5. Manifestum est*, inquit, *quod omne furtum est peccatum*: unde quando *q. 32. Art. 8. ad 1.* & alibi docet, Monacho in extrema proximi necessitate, *licitum esse furari ad Eleemosynam dandam* sumit furtum impropriè, nempe pro acceptione rei alienæ.

Hinc patet quam absurda, & scandalosa sit thesis 36. ex damnatis ab Innocent. XI. *permissum est furari non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi*: loquitur enim thesis de furto stricte tali, quod generaliter prohibetur utpote intrinsecè malum, & juri naturali contrarium septimi Decalogi præcepti *non furtum facies*, si enim non esset prohibitum, tunc licitum foret accipere alienum invito rationabiliter ejus Domino, quod est implicantia in terminis.

Quia tamen aliquando fas est accipere sibi alienum, quin acceptio sit furtum, inquiritur an non tantum in extrema, sed etiam in gravi necessitate id liceat. Verum quia nulla certa differentia contradistinguit clarè extremam à non extrema seu à gravi necessitate, hinc fit ut necessitates, quas alij vocant extremas, alij inter valdè graves computant apud Sanch. *Lib. 1. Consil. c. 5. dub. 5. n. 4.* unde si in valdè gravi necessitate, seu quasi extrema, aut gravissima non perveniente ad extremam clancularia alieni acceptio est furtum, etiam erit, etsi fiat in extrema, vel si in hac cessat esse furtum, eo quod tunc Dominus nequeat esse rationabiliter invitus, etiam desinet esse furtum in valdè gravi, evadéntque res ad usum communes naturali æquitate, & justitia id postulantibus, cum DEUS privatorum Dominium, sive jure naturali per occupationem, sive labore proprio, sive positivo gentium comparatum videatur noluisse extendi, ut resistat etiam valdè graviter indigenti, quia ex primaria institutione bona fortunæ sunt ordinata ad sublevandam omnium necessitatem, stante enim valdè gravi necessitate tenetur Dominus consentire, ergo acceptio clandestina tunc non est furtum, etsi fortè modus accipiendi Domino displiceat, Less. *L. 2. c. 12. à n. 71.* advertens etiam id non licere, quando Dominus est in pari indigentia, aut si status illius notabiliter læderetur, quia scilicet caret bonis superfluis, aut quando malum accipientis

pientis aliter averti potest, spesque alterius remedij non est omnino sublata, unde negat excusare necessitatem quovis modo gravem etiam nuditatis, morbi, famis sufficere ad hunc effectum sed eam solùm, quæ valdè gravis est, & ex qua facilè devenitur ad extremam, nisi tempestivè præveniatur.

Eodem sensu gravem necessitatem sumptam tuetur Lugo *Disput. 16. n. 154.* quod liberet à furto, & plures alij, quorum sententiam sic restrictam non damnari in allata damnata propositione, docet Didacus Hurtadus *Disser. 22. Theologiæ reform. num 6. addens num. 20.* Non videri improbandam, at inter plures Authores contentionem solum videri de nomine necessitatis extremæ, de re autem convenire: sic tam ad evadendum periculum mutilationis membri principalis, quam mortis concedunt equum proximi conscendi posse, etsi periculum mutilationis nolint dici necessitatem extremam, sed valdè gravem, ac extremæ æquiparari.

Est quidem certum, quod periculum mortis sit necessitas extrema, sed quod sit sola hæc facilè nequit constare, cum alij sat communiter apud Suar. *Disput. 7. de Chart. sect. 1. n. 4.* extremis adnumerent evidens, ac urgens periculum mutilationis, perpetuam amentiam, addit ipse his periculum totius famæ, aut omnium fortunarum.

Vocemus igitur inquit cit. Hurtad. *num. 22.* extremam necessitatem, quæ certo est talis, nempe evidens mortis periculum, fatendum tamen est dari alias æquipolentes tali extremæ, ut si periculum non quidem sit mortis corporalis, sed mali alterius, quod moraliter loquendo ipsa morte gravius possit æstimari, ita ut prudenter quis optet mori potius, quam id pati uti est amentia perpetua, stuprum violentum, vita amarissima & similia in quibus absque peccato potest desiderari mors, puta inquit Hurtadus *Disser. 8. à num. 57.* ut quis liberetur à morte severiore per carnificem infligenda à gravi infamia, tetro carcere, nimia paupertate, à morbis, aut doloribus continuis, alijsque id genus diuturnis malis, quibus vita præsens redditur nimis laboriosa: unde Ecclesiastici 30. dicitur *melior est mors, quam vita amara.*

Exposita sic necessitate extrema & quasi extrema, seu valdè gravi, id est tali, ex qua, nisi tempestivè succurratur, facilè devenitur ad extremam, superest ut explicetur necessitas gravis, ut contradistincta à communi, ne etiam hic contingat confusio, eam autem cum cit. Hurtado *Disser. 22. n. 25.* appello omnem illam ex Suar. quâ pressus homo nequit sibi subvenire ex proprijs, sed eget alterius auxilio ad evitandum grave aliquod damnum salutis, honoris, statûs, famæ, fortunarum vel similium bonorum, in quo sensu sat communiter recepto est evidentissimum non omnem necessitatem gravem esse ferè, aut propè extremam, atque adeo nec adeo gravem, ut à furto excuset, gaudeatque privilegio extremæ, quo etiam non gaudet jactura rei familiaris vel statûs justè acquisiti. His elucidatis.

305. Dicendum est surreptio in evidenti extrema, aut valdè gravi necessitate caret vitio furti, secùs in gravi ut contradistincta à communi. Prima pars est omnium. Secunda affirmata est authoritate scripturæ & ratione explicata numero priore.

priore. Moraliter enim æquivalet extremæ, adverti que cit. Hurtadus *num. 23.* ex S. Thom. *in 4. distinct. 15. q. 2. Art. 1.* prope finem non esse expectandum, ut necessitas ultima, seu extrema sit actu contracta, sed sufficit ex parte accipientis metus ejus adeo gravis, ac probabilis, ut satis prudenter cadat in virum constantem.

Pars tertia probatur: quod talis necessitas nullum præbeat egenti jus ad surreptionem, seu Dominus sit rationabiliter invitus, atqui hoc ipso surreptio est furtum, ergo. Major probatur hic ex S. Thoma *q. 66. Art. 7.* sed *quia, inquit, multi necessitatem patientes, & non potest ex eadem re omnibus subveniri, committitur arbitrio uniuscuiusque dispensatione propriarum rerum, ut ex eis subveniat necessitatem patientibus.* Ex quo sic Argumentor: vel omnes egentes habent jus ad ea necessaria, vel non, sed unus aut duo determinati; non hoc secundum, quia nulla Authoritas determinavit à quo divitum, & cui egenti subveniendum præ alijs: non etiam primum: quia tale jus ob frequentiam graviter egentium est impossibile ob impossibilitatem ex eadem re omnibus subveniendi, & Respublica, ut observat Lessius, plena foret furtis, rapinis, nullaque pax servare posset.

Dixi in conclusione quod necessitas debeat esse evidens: nam talem expressè requirit cit. loco D. Thom. mox subdens: *Si autem sit adeo evidens, & urgens necessitas, ut manifestum sit instanti necessitati de rebus occurrentibus subveniendum esse, puta cum imminet periculum personæ, & aliter subveniri non potest, tunc licitè potest sive manifestè, sive occultè ex rebus sublalis alienis suæ necessitati subvenire.* Ratio autem est, quod nisi sit evidens necessitas extrema, aut valde gravis prævaleat jus certum Domini per *n. 301.* contra debitum non liquidum, sitque melior conditio possidentis, quam egentis.

306. Objicies primò si extremè, aut quasi extremè egens citra furtum posset surripere, haberet jus Justitiæ ad surripiendum, consequenter dives obligationem ex Justitia ad dandum, sed hoc fallit, cum teneatur solum dare ex misericordia, vel charitate, aliàs etiam post transactam necessitatem teneretur restituere.

Respondeo primò cum communiore ex Vasq. Distinguo majorem: haberet jus justitiæ ad surripiendum, postquam dives agnoscitur nolle dare, aut non daturus etiam rogatus concedo majorem (tunc enim pauper habet jus ad rem, cui citra injuriam dives, etsi habeat Dominium, resistere non potest, & si resisteret, vim vi posset repellere, Hurtad. *n. 15.*) antequam agnoscatur nolens sponte dare nego majorem. Quare dives nolens dare sponte, peccat non in legem justitiæ, sed misericordiæ, & charitatis, obligatur tamen ex justitia non resistere volenti occupare, postquam sponte non vult dare; sic Distincta majore pariformiter distinguitur minor, ad cujus probationem negatur restituendi obligatio (nisi aliquod pateretur damnum emergens pauper occasione violenter impeditæ occupationis rei necessariæ. Hurtadus *num. 37.*) justitia enim non obligat, dum damnum non perseverat, sed est pure præteritum, uti hic fit.

Re-

Respondeo secundò cum Laym. *L. 3. tract. 3. p. 1. c. 1. à n. 85.* Sanch. *L. 1. Consil. c. 5. dub. 5. n. 39.* Carden. *crisis Theolog. Disput. 20. à num. 85.* Concedo majorem eamque ulterius probo primò quod DEUS dederit hominibus Dominium cum onere rigoroso succurrendi extremè egenti, seu iniverit contractum innominatum, *do ut des, aut do ut facias*; sed si ita est, egens habet jus ad rem adversus divitem, ergo. major probatur: ex Sanctis Patribus secundum quos, ut constat ex textibus apud Cardenas *à n. 90.* panis & vestimentum superfluum divitis est panis famelici, & vestimentum, sed si est panis famelici &c. & non erogans invasor alienorum extremè egens habet jus ad rem ergo.

Confirmatur ex Petro Hurtado, omnis homicida peccat contra Justitiam, sed denegans Eleemosynam extremè egeno, est hujus homicida, ita D. Ambros. apud Gratianum *dist. 86. c. pasce, pasce*, inquit, *fame morientem, si non pavisti, occidisti* Consonat Ecclesiasticus *c. 34. panis egentium vita pauperis est, qui defraudat illum, homo sanguinis est*, quæ verba Lyran. exponit de extrema necessitate cit. Hurtad. *2. 2. to. 2. D. 159. §. 28.*

Eadem major probatur secundò ratione: DEVS ut Author naturæ condidit omnia communia, seu cum jure à quovis usurpandi, quantum fuerit necesse, cui juri in rerum divisione non præjudicavit ut Author naturæ, nec præjudicare poterat, ergo dum per divisionem sunt singulis bona applicata, his non est datum Dominium sine onere succurrendi extremè indigis, & sic habent jus ad rem non determinatè, id est, non respectu hujus rei v. g. pecuniæ potius, quam cibario-rum, sed indeterminatè cum jure eligendi, & determinandi, quod maluerit, Dominio, sive jure in re remanente penes possessorem, donec egeni occupent. Res occupanda ab egeno non est formaliter communis, uti erat ante divisionem, aliàs quivis posset occupare, sed est æquivalenter communis soli egenti, quatenus respectu hujus habet eundem effectum, quem haberet respectu omnium, si esset formaliter Communis.

307. Objicies secundò, quando dives tenetur graviter succurrere, potest graviter egens surripere simpliciter necessarium ad evertendam egentiam (excedens hanc quantitatatem peccat contra Justitiam Carden. *n. 115.*) sic dives tenetur graviter, seu sub mortali succurrere graviter egenti saltem ex superfluis, ut Cardenas *à n. 22.* tradit velut sententiam ex Principijs intrinsecis certam, cum plerique Doctores oppositam ut improbabilem, in conscientia non tutam censurent Suarez *de charitate Disp. 7. sect. 3. n. 6.* Petrus Hurtad § 82. Gran. &c. *ex Matth. 25.* ubi Christus docet multos damnandos propter denegatam pauperibus Eleemosynam: *Ite maledicti &c. esurivi enim & non dedistis mihi manducare*: & Lucæ *16.* Dives epulo est *Sepultus in inferno* ob denegatam mendico Lazaro Eleemosynam, sed hæc, & alia Testimonia scripturæ, & Sanctorum Patrum exponi non possunt de extrema necessitate: quia Lazarus non egebat extremè utpote existens in civitate opulenta, in tali enim mendici nunquam extremè egent. Deinde extrema necessitas est rarissima, unde de hac non loquitur Christus apud Matthæum, ubi adducit ut quid valdè commune damnationi reproborum, tum quia esuries, sitis

sitis, nuditas stat sine extrema necessitate. Probatâ sic minore Syllogismi probatur etiam major: Si enim graviter tenetur dives succurrere graviter egenti, habet Dominium cum onere graviter egenti succurrendi, consequenter hic habet jus ad rem respectu quantitatis necessariæ ad evertendam egentiam.

Ob hoc argumentum Cardenas *n. 127.* & ad propositionem 36. Innoc. *Dissert 23. n. 21.* asserit, graviter egentem posse surripere quantum est necesse simpliciter, sine vitio furti, quin damnationis censuram incurrat servatis decem conditionibus, inter quas præcipua est, ut unicus sit ejusmodi pauper: quia quando multi sunt, urget, argumentum allatum ex S. Thoma *n. 305.* secunda, ut evidens sit hunc divitem habere superflua naturæ, & statûs &c. sed complexum hujusmodi decem conditionum est moraliter impossibile, ut sufficienter colligitur ex his duobus omissis cæteris proinde non damnatur dictæ sententiæ speculatio, eam non tamen ut falsam etiam sub ijs conditionibus rejicit *n. 34.* quia etiam sub illis graviter egens non habet pro se rationes evidentes, & dives est certus possessor rerum suarum.

Respondeo ad argumentum: nego majorem ad probationem Distinguo, si habet Dominium cum onere ex misericordia, aut charitate succurrendi graviter egenti hic habet jus ad rem nego; si habet dives Dominium cum onere ex justitia succurrendi egens habet jus ad rem concedo.

Pro Reliquis nota primò quod viro nobili, & gravi potius sit mendicandum, quam utendum medijs furtivis, aut violentis, ita Didacus Hurtad. *Dissert. 22. n. 32.* ex communi strenue propugnata à Maldero *2. 2. q. 32. dub. 6.* dicente: pudorem contrarium nec esse sanctum, nec Christianum, sed vanam hominum superbiam, quibus involuntaria paupertas probrosa apparet: est sane laboriosa, sed qui laborando, vel serviendo potest comparare necessaria ad vitam non eget valde graviter &c.

Nota secundò cum eodem Hurtado *n. 33.* quod clandestina acceptio alienæ rei sæpius excuset à furto ratione licentiæ, quam alter ex misericordia, aut alia virtute dare tenetur, non quod præcisè licentia ex aliqua virtute sub peccato debita se sola immediatè faciat licitam acceptionem, sed quia exinde prudenter præsumitur Dominum non rationabiliter esse invitum quoad substantiam (etsi clandestinus modus fortè ei displiceat, quæ displicentia non est peccatum mortale, Lugo *Disput 16. n. 140*) aliàs in dubio præsumi posset alterius peccatum nempe denegatio licentiæ illi illicita, si rogaretur.

Nota tertiò ex Laym. *l. 3. tract. 3. p. 1. c. 5. n. 5.* haud facilè damnandum peccati mortalis, qui à divite præsertim prius rogato aufert, quantum necesse est ad sublevandam gravem necessitatem.

Nota quartò negandum esse, quod ubi est locus Justitiæ, non sit locus Eleemosynæ, aut è contra, etsi enim Justitia sit debiti solutio, Eleemosyna verò necessitatis subventio, uterque tamen titulus potest concurrere, ut si debeas centum Petro hic autem incidat in urgentem necessitatem.

Nota quintò valde esse difficile doctrinaliter discernere quisnam? cuinam?

nam? quantum? ex quibus bonis? in qua necessitate? Eleemosynam dare teneatur; & adhuc operosius est in facti contingentia decernere, an re vera hic, & nunc concurrant omnia necessaria, ut Dominus judicet se in usu rerum suarum postponendum esse pauperi E. g: utrum habeat bona illa superflua vitæ, vel statui, unde satisfieri debet urgenti necessitati. Et licet plenè constaret esse divites, ac superfluis abundare, ex quibus est subveniendum extremè, aut valde graviter egenti, debet adhuc insuper constare, quod alia media minus incongrua deficiant, quid enim si alij sint in promptu, qui necessitati essent subventuri etiam non rogati, sed duntaxat conscij ipsius? quid si pauperi petenti opportuna subsidia non deerunt, & quidem etiam secreta, si ita velit, ut consulat verecundiæ cit. Didacus Hurtad. *n. 31.* inde deducens id, quod jam in notatione prima expressimus.

# ARTICVLVS QVINTVS.

## *De injustitia in bonis famæ, & honoris.*

308. *Fama* secundum Theologos *est bona multorum æstimatio de aliquo concepta circa ejus vitam, & mores*, seu ut ait Haunold. *tr. 2. n. 495.* de bonis nostris, ut sunt virtutes, ingenium, Doctrina, divitiæ, forma, nobilitas, valetudo bona, gratia, favor Principum &c.

Honor est testificatio de alterius Excellentia, seu Eminentia supra alios, cujus intuitu ab his debeatur illi reverentia, & submissio: unde differt â laude, quod hæc præscindat, an propter bonum laudabile quis sit præferendus alijs: & patet: quomodo DEUS, ac Princeps possit honorare subditos, nempe testificando dignos, quibus se alij submittant.

Fama proximi violatur primo actibus internis, scilicet judicio temerario, opinione temerariâ, suspicione & dubitatione. Judicium temerarium est firma animi sententia de malitia alterius levibus indicijs formata: est semper peccatum ex genere suo mortale, ita S. Thom. *2. 2. q. 60. Art. 3.* nisi excuset defectus plenæ advertentiæ. Qualitas materiæ in eo non est explicanda, quia hæc in genere moris non mutat ejus speciem, Tamb. *Exped. Conf. L. 2. c. 9 § n. 3.*

Suspicio vel est simplex intellectûs inclinatio in unam partem præ alia absque ullo determinato assensu, vel secundum alios est deliberatus, sed imperfectus, & levis assensus cum magna formidine oppo-

oppositi, ita Dicast. hic *Lib. 2. tr. 2. Disp 12. dub 2 n. 11.* & colligitur ex S. Thom. *cit. in Corp. suspicio*, inquit, *importat opinionem mali, quando ex levibus indicijs procedit.* Per se loquendo non excedit culpam levem, etsi esset de enormi malo E. g, Sodomia personæ dignissimæ V. g. probi Episcopi, per accidens erit mortale, ut si suspicio rei gravis pluribus manifestetur; tunc enim regulariter est grave periculum famæ amittendæ.

Dubitatio hic non sumitur strictè pro suspensione intellectûs, seu pro eo, quod neutri parti assensum præbeat, sed quod intellectus adducat bonitatem proximi in quæstionem discutiendo, & examinando cum diffidentia de ea, Molin. *tract. 4: Disp. 16. n. 12.* Amicus *Disp. 37. n. 17.* addens, quod non soleat transcendere venialem malitiam, etsi foret de enormi crimine, secundum Laym. *L. 3. tract. 3. p. 2. c. 2. n. 6.* nisi talis dubitatio sit de rebus ad fidem pertinentibus; dubius enim in fide habetur pro hæretico. *Cap. 1. de hæreticis*, Amic. cit.

Opinio temeraria, seu judicium plene assentiens, sed cum formidine oppositi, quod alter sit malus ex levibus & insufficientibus indicijs dupliciter concipi potest. Primò ut si incipiens dubitare de insufficientia ad sic judicandum, attamen ex odio, contemptu, ac malevolentia persistit in opinione, de gravi proximi peccato, ejusmodi opinio est peccatum mortale: quia procedit ex malitia, estque plene voluntaria excludens animi præparationem ad bene sentiendum de proximo, si adverterit indiciorum insufficientiam Less. *Lib. 2. c. 29. dub. 3. n. 17. junctò 21. & 28.*

Secundò, si citra malevolentiam opinatur malum apprehendens indicia sufficientia ad opinandum, licet aliquo modo dubitet de sufficientia ad sic opinandum, negligat tamen eorum examen, paratus interim desistere post advertentiam ad eorum insufficientiam, talis opinio non est plene voluntaria in esse temeratiæ: quia ad hoc necessaria est advertentia ad insufficientiam, ut fit in opinione primi generis, idcirco hæc secunda per citatum Lessium *à. n. 17.* & Haunoldum *tr. 2. n. 521.* per se loquendo non est mortalis contra aliquos, quibus favet Lugo *Disp. 14 n. 14.*

Opinionem temerariam S. Thom. comprehendit sub suspicione, ut colligitur ex definitione ejusdem allegata, notatque Less. *n. 6.*

Ex his â contrario sequitur, quod *infamia* famæ bonæ opposita *sit mala multorum æstimatio de aliquo concepta circa ejus vitam & mores*, proinde tam fama, quam infamia formaliter consistat in judicio, seu interna æstimatione.

309. Secundò violatur fama etiam actibus externis primò factis, ut si quis appendat cornua foribus alterius in signum adulterij. Secundò verbis, & quidem dupliciter nempe contra absentem, vel præsentem malè loquendo; contra absentem dicitur detractio, quæ est famæ occulta, & injusta imminutio; contra præsentem dicitur contumelia, quæ est injusta alieni honoris imminutio, unde directè tollit honorem, & simul famam imminuit, differtque specie morali à detractione, quia diversa bona auferunt nempe famam, & honorem.

Utraque est peccatum ex genere suo mortale. Ita S. Thom. *Art. 2.* tollunt enim

enim magnum bonum, unde Ecclesiastici 41. dicitur: *Curam habe de bono nomine. & proverb. 22. est melius nomen bonum multis divitijs.* Contumelia est gravior detractione, quia infamat, & simul tollit honorem; una tamen contumelia non differt specie ab altera, Lugo *n* 190.

Detractio est simplex, si non tendat in perturbationem honestæ pacis, concordiæ, & amicitiæ inter consanguineos, domesticos, & familiares, si ad eam tollendam tendit, dicitur susurratio, unde est deterior contumeliâ: amicitia enim est nobilior utpote finis famæ, & honoris, quapropter specie differt à detractione, & contumelia S. Thom. *q. 44. Art. 1.*

Dixi *honestæ amicitiæ*: quia amicitia turpis, & pernicioſa meritoriè dissipari potest nota vitia, & defectus unius Amici narrando coram alio; imò etiam occulta, Si necessarium est; quia infamia merito postponitur bono majori sperato ex dissoluta turpi amicitia, Dicastillo.

Convitium, improperium, & contumelia in eo conveniunt, quod omnia objiciant defectum in detrimentum honoris; differunt, quod contumelia fit de defectibus moris; convitium de defectu pœnæ, aut naturæ v g. vocando cæcum vel gibbosum; improperium exprobrat defectum egentiæ injuriosè commemorando præstitum auxilium patienti necessitatè. Hæc tria vitia sub unica specie comprehendit S. Thom. *q. 72. Art. 1. ad 3.* quia specificatur ab unico fine, qui est inhonoratio intenta per media diversa.

Econtra contumelia per S. Thom. *quæst. 75. Art 1.* convenit cum irrisione, seu dirisione, quod utraque palam, seu in præsentia fiat, at differt fine, ac objecto formali, quia finis contumeliæ directus est inhonoratio; irrisionis verò erubescentia, & confusio atque contristatio derisi, & ideo licet defectus parvus objiciatur; ejus tamen gravitas crescit, ex contemptu personæ, vel si hæc prævideatur graviter contristanda, unde est peccatum specie distinctum à contumelia, & quidem hâc gravius secundum cit. S. Thom. juncto *Art. 2.* qui enim irridetur, habetur pro ludo, risu, ac parvipenditur. Hinc deducit S. Thomas gravissimum esse irridere DEUM. Secundum locum tenet irrisio Parentum; Unde dicitur proverb. 30. *oculum qui subsannat Patrem effodient eum corvi de torrentibus.* Tertium irrisio justorum; nam honor est virtutis præmium; contra hoc dicitur *Job. 12. deridetur justi simplicitas.*

Subsannatio à derisione juxta cit. S. Thom. *Art. 1. ad 1.* non differt fine, consequenter nec specie, sed in modo, quod irrisio fiat verbis, cachinnisque, subsannatio verò motibus Corporis, præsertim naso rugato.

Detractio est duplex directa, & indirecta, quæ distinctio, ut notat Dicast. dupliciter sumitur. Primò pro detractione formali, & materiali, formalis enim fit ex intentione infamandi secùs materialis, sed ex quadam loquacitate: non differunt specie, quando materialis fit sine justa causa cum advertentia ad denigrandum: directum enim, & indirectum voluntarium, communiter non variat speciem, ut notum est apud Theologos. Alio modo sumitur directe, ac indirecte, & utrumque quidem quadrupliciter: qui octo modi comprehensi sunt his versibus:

*Imponens, augens, manifestans, in mala vertens.*
*Qui negat, aut minuit, tacuit, laudatque remissè.*

Di-

Directè igitur detrahit primò, qui crimen falsum imponit; secundò qui verum auget; tertiò, qui occultum revelat; quartò, qui opus bonum malâ intentione factum asserit. Indirectè verò primò negando alterius bonum; secundò illud extenuando; tertiò reticendo, dum debes, & potes loqui de bonis alterius; quartò frigide laudando.

310. Quæres primò an judicium temerarium, & detractio sint ejusdem infimæ speciei? secundò an detractio, & contumelia sint peccata graviora furto, adulterio, & homicidio? tertiò an detractio sit gravior maledictione? Duplex distinguenda est fama cum Lugo *Disp. 14 n. 33.* radicalis, & formalis; Hæc est ipsum actuale judicium E. g. de Doctrina Petri; radicalis sita est in habituali notitia, sive in speciebus acceptis de Doctrina Petri, quæ species, quando excitantur, inclinant nos ad judicandum Petrum esse E. g. doctum, quamdiu caremus speciebus oppositis, seu inclinantibus ad contrarium judicium. Unde cum detractio, quantum est de se ingeneret contrarias species, quibus opprimantur inclinantes ad æstimandam Petri Doctrinam, tollit famam etiam radicalem, quam in suo subjecto non aufert judicium temerarium, sed relinquit totam, vi cujus sine alio instructore sic judicans potest apud semetipsum restituere bonam æstimationem, seu judicium reflectendo se supra insufficientiam motivorum fundantium temeritatem.

Respondeo nunc ad primum cum Cit. Lugo Hurtad. *tr. 2. n. 537.* contra Molin. *D. 13.* negativè: quia est specialis ratio prohibendi detractionem præ judicio temerario; hoc enim non tollit famam radicalem, secùs detractio, ut dictum.

Respondeo ad secundum ex tribus bonorum generibus maximum est bonum vitæ, secundum bonum famæ, & honoris, tertium bonum fortunarum. Hinc sequitur homicidium esse gravius cæteris contra proximum, quia tollit bonum gravius, & cum adulterium sit contra debitum ordinem generationis humanæ (copula matrimonialis est via ordinaria ad generationem) per quam est introitus ad vitam, hinc adulterium est minus homicidio, gravius autem detractione, & contumeliâ, utraque autem est gravior furto, quia famæ bonum prævalet divitiis.

Respondeo ad tertium ex eodem D. Thoma *q. 76. Art. 4.* maledictionem esse minus peccatum, dum optat malum pœnæ, seu simplex hujus desiderium exprimit, quam sit detractio, susurratio, contumelia, & irrisio, posse autem esse majus peccatum, si causet malum pœnæ per modum imperij, seu causæ, quando nempe causat majus nocumentum; at cum dicere malum culpæ sit pejus, quam dicere malum pœnæ, ut optare malum mortis &c. hinc maledictio in linea sua est minus peccatum detractione, contumeliâ &c. Pro clariore horum notitia.

Nota quod maledictio ex S. Thom. *Art. 1.* nihil sit aliud quam mali dictio; tripliciter autem possit quis malum dicere. Primò enuntiativè, seu simplici relatione mali culpæ alterius; sic convertitur cum detractione. Secundò imperativè, seu imperando alteri, ut malum aliquod inferat alicui. Tertiò optativè, seu pro desiderio, ut malum, quod dicit, eveniat: maledictio sumpta secundo, & tertio modo est imprecatio, id est, mali exoptatio, si exoptatur malum sub ratione mali, vocatur maledictio formalis ex

genere suo mortalis. Primò contra charitatem in genere odij. Secundò contra justitiam, si imperetur malum proximo inferendum. Tertiò si fit cum præsentia proximi hunc inhonorando, habet etiam speciem contumeliæ, si contra præsentes parentes est species impietatis; pietas enim obligat ad debitam parentibus reverentiam; si est contra DEUM, licet non optetur, est Blasphemia. Dixi *ex genere suo*: quia si malum sit exiguum, aut grave ex imperfecta deliberatione optatum, est peccatum veniale, Fagundez *ad præceptum* 8. *Decalogi c.* 12. *n.* 20

Quando autem optatur malum sine desiderio, ut eveniat, aut ut eveniat, sed non sub ratione mali, sed boni, aut justi (qualiter Judex maledicit reum præcipiendo, ut puniatur pœnâ justâ, & Ecclesiâ anathematizando, quo sensu etiam Prophetæ in scriptura imprecantur mala peccatoribus se conformantes divinæ justitiæ) aut boni utilis, ut dum peccatori optatur ægritudo, ut exinde resipiscat, aut cesset nocere alijs (hoc modo orat Ecclesia contra infideles, ut dexterâ potentiæ divinæ conterantur) nullum est peccatum, ita cit. sanctus Thomas.

At imprecatio mali etiam sub ratione mali non excedit culpam levem, quando fit sine animo, & desiderio, ut id eveniat: quia peccata verborum, ait S. Thom. *quæst.* 73. *Art.* 2. sunt maximè ex intentione dicentis dijudicanda, aut ex damno quod infertur, quorum neutrum hic adest.

Molin. *Disp.* 18. *n.* 4. limitat ut sit mortalis maledictio etsi proferatur sine animo eventûs; Primò si fit contra Deum, quia est gravissima Blasphemia; Secundò si fit contra Parentes, Prælatum vel herum; Tertiò si quis se Dæmoni devovet, sed rectius Lugo *Disput.* 14. *n.* 296. Concesso primò casu in secundo id ipsum concedit, quando in faciem maledicitur, secùs in absentes: unde ex ira erumpens dicendo: maledicta sit, quæ me genuit, citra mali desiderium in mortuam jam genitricem, non peccat mortaliter, uti nec in tertio casu, imprecatio enim mali contra se liberatur à gravitate ex jisdem causis ex quibus contra alios: addit tamen ex alio capite regulariter similem imprecationem esse mortalem; quia eam proferentes apprehendunt in illis verbis gravem deformitatem.

Demum ait Lugo secundum omnes maledictiones in creaturas irrationales creatas etiam ex corde in jis sistendo non esse mortalia, quia boni, & mali illæ sunt incapaces, sunt itáque verba otiosa, & vana, consequenter venialiter illicita, S. Thom. *quæst.* 76. *Art.* 2. Dixi *in illis sistendo*, quia ut notat ibidem S. Thom. maledicere illis quatenus sunt creatura Dei est Blasphemia, aut optare ruinam earum cum damno proximi v. g. ut pereat grex tui vicini est mortale contra charitatem, &c.

An species mali proximo exoptati sit explicanda in Confessione scilicet an fuerit malum corporis vel spirituale vel infamia, &c. est incertum. Affirmat Molin. *Disp.* 22. *n.* 3. sed etsi hoc ut probabile tenuerim in tract. de peccatis *n.* 88. dixi tamen ibidem] negativam esse practicè tutam; nempe quando sub generali ratione mali considerantur, sic enim eidem virtuti dilectionis proximi opponuntur, secùs justitiæ, uti fit, quando efficaciter desiderantur. His sic stabilitis inquirendum discernendi principium, quando detractio sit mortalis, quando venialis, & reliqua huc pertinentia expedienda sunt.

§. I.

## §. I.

## *Unde mensuranda sit gravitas aut levitas detractionis.*

311. DIco primò tunc materia infamationis, & inhonorationis est mortalis, quando attentâ qualitate personæ sufficit ad rationabilem, & gravem indignationem, ita Gormaz *Disput*, 13. *n.* 702.

Probatur ea est gravis materia contra famam, & honorem, quâ positâ quisque prudens judicat eam ex natura sua sufficere, ut moveat rationabilem gravem displicentiam, secùs si solùm de se inducit displicentiam levem cum aliquali repiditate in benevolentia, & mutua pace, sed hanc regulam ponit conclusio nostra, ergo.

Dico secundò gravitatem detractionis, & contumeliæ non posse præcisè desumi ex gravitate peccati, ita Gormaz *n.* 704. contra aliquos, quia potest peccatum mortale dici de persona infami citra peccatum mortale, quando illud est affine alijs peccatis ejusdem personæ publicis, ut de concubina, quod miserit amatoriam Epistolam, &c. pariter levitas peccati non mensurat detractionem: mortale enim est dicere de viro gravi E. g. Episcopo quod sit mendax, licet hoc secundum se sit veniale. Quare discerni non potest gravitas, aut levitas detractionis, nisi ut observat Amicus *Disput. 37. n. 27.* attentis circumstantijs qualitatis, personarum scilicet detrahentis, & cui detrahitur, coram quibus detrahitur, quo loco, tempore & loquendi modo. Ratio hujus, & præcedentis conclusionis applicanda est subjiciendis illationibus observando circumstantias præfatas.

312. Infero igitur primò vitium aliquando denuo dictum est infamia, aut nulla aut levis, ut si dicatur de jis, qui se ipsos de similibus jactant, ut de juvene parum honesto, quod sit deditus amoribus, aut fœminam ad peccandum desiderarit, de milite, quod puellam deceperit, ad duellum provocaverit, &c. è contra mortale foret dicere de honesta matrona, puella nobili, adolescente morigerato, quod sit amoribus deditus, qualitas enim peccatorum carnis valdè maculat vitam ita communis cum Fagund. *n. 7. ad præceptum octavum cap. 2.* Amic.

Infero secundò infamare nominibus generalibus seu communibus peccato mortali & veniali est regulariter veniale, ut quod sit superbus, avarus, iracundus, &c. similia enim potius indicant inclinationem, aut levem defectum quam gravitatem ita Doctores passim.

Infero tertiò probabilius esse mortale in materia gravi detrahere etiam apud unum prudentem secreti tenacem, secluso etiam omni alio damno, Lugo *num. 51. Disput. 14.* cum Molin. Less. Laym. ex S. Thom. *q. 73. Art. 1. ad secundum* ajente: *etsi uni soli aliquis de absente dicat, corrumpit famam ejus*

*non*

*non in toto, sed in parte*, nempe in uno solo audiente illæsâ de reliquo famâ apud alios, idcirco detractio hæc non causat infamiam utpote sitam in notitia multorum per *num. 308.* sicut & fama. Exinde autem non sequitur, quod non graviter noceat: sicut etsi fur divitem non depauperet, non sequitur eum graviter non peccare. Ratio autem est: quod bona etiam apud unicum virum gravem æstimatio sit valdè æstimabilis. Hinc communis Doctorum obligat, si commode potest pœnitens confiteri confessario non noscenti complicem, dum sine hujus revelatione nequit peccatum explicare.

Oppositam sententiam docent Navarrus Cajet. ad cit. D. Th. *Art. 2. in princ. &c.* se fundantes in praxi pœnitentiam revelantium complicem notum confessario, & conjugum colloquentium de vitijs filiorum, & Domesticorum. Verum primum exemplum probabilius negamus; sed eo transmisso est disparitas, quod licet revelatio hæc graviter lædat famam, excusatur tamen pœnitens titulo necessitatis, cum nequeat aliter exponere peccatum, Lugo *num. 52.* cum quo etiam excusamus conjuges: quia exinde pendet pax mutua inter Domesticos, ac bona gubernatio arcens contagiosos mores, quæ cum utrique incumbat, necesse est, ut uterque sciat, quales sint domesticorum mores. Ex eodem principio etiam alij non tantum Domestici sed etiam externi possunt prodere Domesticorum defectus Patri familias ut judici domestico, nisi ut limitat Trull. *Lib. 7. Decal. c. 10. dub. 11. à num. 4.* sit moraliscertitudo, quod privatim moniti se emendarent, & majus damnum non timeatur secuturum Domesticis ab hero, aut parentibus.

Infero quartò ob solum levamen doloris non licitè injuriatus manifestat Amico, aut viro prudenti gravem injuriam cum ejus Authore, Haunold. *num. 549.* Amicus *num. 54.* nempe si crimen revelatum sit de genere graviter dehonestantis vitam; tanto enim damno postponenda est exigua consolatiuncula. Ex alio tamen capite licita est revelatio non titulo vindictæ utpote privato illicitæ, sed præcisè titulo medij propulsandi injuriam, nam injurians ipso facto cedit juri suo, eo quod, secundum jus naturale & positivum injuriatus potest agere contra injuriantem actione injuriarum, ac eum adigere ad revocationem etiam cum nota infamiæ, ergo etiam fas est pandere Amico Consilij petendi causa. Ex hoc principio cit. Haunold. tuetur sententiam istam, quæ est Lugo *num. 54.* Tamb. Less. ex communi; cavendum autem est, ne pluribus, quam sit, necesse, reveletur.

313. Infero quintò licitum est manifestare imperitiam Medici, Advocati, Confessarij, Artificis coram jis, quibus damnum imminere potest, inhabilitatem promovendi ad ordines sacros, aut beneficium, aut volentis ingredi Religionem, aut furis, aut morbo gallico laborantis, &c. volentis inire matrimonium, Dicast. *L. 2. tract. 3. Disput. 12. n. 100.* extendens *n. 104.* cum Petro Navar. &c. quod quis furtum commiserit, ne in famulum recipiatur, ac revelare iis quibus convivit, ut sibi ab eo caveant, Less. *lib. 2. c. 11. n. 57.* nisi, ut bene *n. 60.* limitat fraternâ monitione fit corrigibilis, aut correctus, quod etiam approbat Trullench

*dub.*

*dub. 9. n. 2.* cum hac cautela corrupti mores alicujus possunt revelari innocentibus, ne inficiantur, aut ne hujusmodi homo juventuti præficiatur: potest detegi simulatio, & fictio paupertatis, ne dos, vel Eleemosyna decreta pauperibus detur. Tota ferè illatio traditur etiam ab alijs cum Laym. *Lib. 3. tract. 3. p 2. c. 3. n. 5.* Sapienter addente ex his non posse inferri, quod pauperis puellæ, quæ publicè habetur pro virgine (quam tum occulte scis corruptam) fornicatio possit prodi, ne illi detur dos relicta pro paupere Virgine, mens enim legantis alia non est, quam ut applicetur illi quæ more patrio pro Virgine habetur, unde talis juxta morem potest etiam citra culpam fertum capite gestare, habetque jus dissimulandi suum defectum.

Infero sextò lethale est infamem de uno crimine infamare de alio diversæ rationis, ut dicere de notorie ebrioso, quod sit fur, aut concubinatius, aut è contra, secùs de alio crimine ejusdem rationis, aut de affini, & communiter annexo, aut de circumstantia noti criminis, ut referre nonum occultum furtum de noto fure plurium furtorum (plurium inquam, quia ex hoc, quod unum furtum innotuerit, non est fas referre aliud occultum, Lugo *n. 58.* putans communiter multum augere infamiam, hoc negat Amicus *n. 33.* etsi falsum crimen affingeretur in eo genere vitij veri, de quo publica est infamia, quia non læditur notabiliter fama, utpote quæ supponitur in eo genere profligata) de adultero, quod miserit munera, aut patraverit tali in loco, aut de ebrioso, quod non curet familiam, rixetur cum uxore, Fagundez *c. 3. n. 8.* subdens *n. 10.* quod contra perjurum in judicio in una causa possit excipi contra eundem in alia causa, stat enim contra illum præsumptio *ex R. J. in 6. semel malus, semper præsumitur malus.* Nempe secundum Gloss. in eodem genere mali; nisi probetur emendatio criminis à perjurio distincti, perjurus autem post quamcunque etiam pœnitentiam rejicitur, ita decisum est, *Cap. Testimonium 54. de testibus & attesta. Cap. parvuli 22. q. 5.*

Infero Septimò non est saltem mortale crimen occultum revelare innominato Authore, nisi redundet in familiam, aut ordinem, vel Monasterium: sic caret gravitate crimen Religiosi tacito hujus nomine, quando constat id crimen esse frequen in ea Religione, aliàs est mortale, dicere in tali familia est filia una defiorata, aut in tali Monasterio meretrix reperta, aut hujus Monasterij, aut Religionis Religiosus est fornicatus, aut in tali conventu non est observantia, aut male vivitur, Amic. *n. 29.* Bonnacin. *de restit Disp. 2. q. 4. p. 2. n. 10.* Dicast. *Disp. 12. p. 2. n. 108.* Laym. *n. 12.* quia tametsi inquit congregatio Regularium reipsa non maculetur ex unius malitia, ut constat in Collegio Apostolico ex Judæ proditione, simplices tamen, & imperfecti multipliciter scandalizantur, Trullench. limitat *dub. 14. n. 5.* ex Navar. ut non procedat de Ecclesijs Cathedralibus aut Collegiis tantam perfectionem non profitentibus E. g. dicere aliquem Canonicum talis Ecclesiæ, aut Collegij, comisisse Simoniam, aut fornicationem.

Infero octavò plures cum scoto liberant à mortali eum, qui præcisè narrat audita, nihil addendo, ex quo faceret credulitatem: eo quod raro talia credantur, aut fides sequitur potius ex levitate

audientium ex Ecclesiastici 19. *qui cito credit levis est corde.* Attamen ut hæc sententia vera sit intelligi debet in concursu circumstantiarum, in quibus est credibile Auditores non credituros, at si narrans prævideat illos propriâ animi levitate, aut malevolentia credituros, aut alijs divulgaturos, peccat graviter contra charitatem, secùs contra Justitiam, dum narrata modusque ea referendi ex se non sunt apta graviter nocere proximo; erit autem etiam contra Justitiam, proinde onus restituendi, si narrentur nominatâ personâ fide dignâ, à qua audivit, ita Molin. *tract. 5. Disp. 30.* Lugo *n. 56.* Laym. *n. 7.*

314. Infero nonò potest esse mortale contra Justitiam etiam de mortuis crimen occultum grave manifestare, quia omnia eorum retinet jus ad famam. Dixi *potest:* quia cæteris paribus minus delinquitur, eo quod minus famâ egentes eam non ita curent. Molin. *Disput. 28.* Laym. *n. 13.* Haunold. *n. 546.*

Lugo *num. 46.* illationem extendit etiam ad mortuos, quorum damnatio ex fide constaret, aliàs citra injustitiam quis posset dicere de hæretico, quod fuerit perduellis in Regem, Patriæ Proditor; de lucretia, quod fuerit publica meretrix; de Cicerone, qnod fuerit imperitus, & Aristoteles ignarus. Ratio est: quia adhuc sunt nostri proximi quoad naturam humanam, etsi non sint ordinati ad finem supernaturalem; sicut in humana Republica de condemnatis, ut Reipublicæ hostibus ad mortem occulta crimina referre est gravis injustitia.

Respondeo citra injustitam, & sobligationem restituendi posse de ijs, quos constaret esse damnatos gravia crimina recenseri: quia nullum retinent jus proprietatis in famam; hoc enim constituitur per legem faventem in commodum proprietarij nulla autem lex divina ijs favet, utpote hostibus DEI, ac incapacibus omnis felicitatis, commodique proprij: unde negatur esse proximos nostros, proinde sequelæ citra absurdum conceduntur. Lata autem est disparitas: inter damnatum à DEO, & Republica, quod hic non sit spoliatus omni jure, sed duntaxat quoad crimina, propter quæ punitur: ita Haunold. *cit. & n. seq.* Molin. *Cit. & Disp. 44. & 45.* ac *tom. 4. D. 14. post conclus 3.*

Ex priore parte illationis communiter deducunt Doctores etiam Historiographos contra Justitiam peccare graviter cum restitutionis onere occulta mortuorum crimina scriptis mandantes, secùs publica jam oblivione obliterata, aut intra fines alicujus Civitatis, aut Provinciæ nota, ut posteris constent ad aliorum Exemplum, & terrorem Molin. *tom. 1. Disp. 28.* Laym. *n. 13.*

315. Infero decimò certum esse quod aliqua necessitas propria vel etiam aliena faciat licitam occulti criminis revelationem, sic ego sciens crimen Religiosi licitè revelo Prælato, quando ego æquè benè corrigere non possum (aliàs ordo à Christo præscriptus correctionis fraternæ servandus est in Religiosis non cedentibus juri propriæ famæ, Amicus *n. 34.*) postulat id necessitas delinquentis, aliena verò in casibus in illatione quinta adductis. Item quando nequit averti periculum imminens comunitati, aut privato, nisi manifestetur crimen, unde si sciam Petrum esse homicidam, at Paulus pro reo habetur, possum & teneor prodere Judici præmonito

nito Petro, ut se in tutum recipiat, Amicus *n. 35.* subjiciens fas esse Consilij petendi causa viro prudenti pandi crimen ab eo, qui ignorat, an possit id manifestare, & quomodo.

Præterea ad vitandam mortem, mutilationem, vel tormenta gravia tuum, vel tuorum fas est prodere crimen occultum, etiam tibi secreto Commissum; quia alter non habet jus conservandi famam duntaxat existimatam, seu apparentem, seu reipsa falsam cum tanto tuo, vel tuorum incommodo: hoc enim jus ut observat Lugo *num. 104.* est limitatum, proinde obligat solùm, quamdiu non expedit propalari, expedit autem propalari, quando ex secreti occultatione innocens grave damnum pateretur, videlicet tantum, quantum non tenetur quis ex lege charitatis subire ad impediendum grave damnum alterius. Sufficit itaque si sine causa urgente non possunt propalari defectus, secùs eâ urgente, ita Haunol. *à n. 536.*

Dixi *tibi secretò commissum* (idem est si aliâ via justè comparâsti ejus notitiam) nam si comparâsti injustè, nempe per fraudem, vel illicitam inquisitionem, vel litterarum apertionem Haunold. *n. 535.* distinguit cum Lugo *n. 101.* concedendo te posse, uti, quando tanta incideret necessitas, ut ob hanc posses justè tibi comparare notitiam, si ea careres, etiam per vim E. g. per tormenta, per fraudem litteras intercipiendo, & referando, quo casu notitia injustè primitus comparata perinde se habet in præsenti, ac si nunc justè esset acquisita: sicut si quis vi, aut fraude claves ad scrinium continens pecuniam acquisivisset, redactus ad necessitatem extremam potest licitè uti clavibus ijsque referare, ac tibi tollere, quod est necesse ad sublevandam necessitatem extremam: unde sicut clavium violentus usurpator non potest justè uti clavibus ob bonum suum inde resultans; nec ad quodvis malum paupertatis vitandum, sed necessaria est extrema, aut huic proxima necessitas, ita in casu nostro non sufficit tantum malum (propter quod vitandum licitè posset secretum licitè acquisitum propalari) ut sit licitus usus notitiæ secreti injustè acquisitæ, sed longe majus, disparitatem dat Lugo *n. 104.* quod jus in secretum sit rigorosius jure in famam existimatam, seu apparentem: hujus enim inviolationem intendit propter communem naturæ pacem; & quietem, cui expedit, ne crimina vera propalentur sine urgenti causa, jus verò in secretum non propter pacem communem, sed ex Principijs intrinsecis natura habet adeo firmum ut DEUS Author naturæ nec Angelis arcana libera patere voluerit. Lugo *n. 103.* tres adducit casus, in quibus per modum justè defensionis est usus licitus notitiæ justè acquisitæ primo ad reppellendam vexam, quâme, vel alium innocentem injustè vexat, tunc enim titulo defensionis juste possum litteras intercipere, & referare. Secundò, quando ipsemet in talibus circumstantijs crimen suum teneretur patefacere, ut si à se occisi cadaver poneret ad portam alterius, ut eum induceret in suspicionem, possum ego uti licitè notitiâ injustè acquisita. Tertiò quando publica Reipublicæ salus publicatione criminis egeret. Extra hos casus notitia injustè comparata nequit justificari, sed perinde se habet, ac si eâ careret.

316. Infero undecimo publicitatem criminis excusare ulteriorum ejus propagationem à vitio detractionis: expedit enim ig-

ignaros reddi certiores, ne honor referatur carentibus bonâ famâ, & præferantur dignis honoratione, proinde licentia ulterius propalandi est commodior Reipubilcæ, quam sit damnum, quod delinquens subit ex propalatione, Haunold. *n. 539.*

Difficultas est, quanta, & qualis publicitas sufficiat, ut citra vitium detractionis queat delictum ignorantibus id in eodem, aut diverso loco manifestari? Publicitas est juris, vel facti: prior habetur per sententiam condemnatoriam publicatam, quæ transierit in rem judicatam, & tunc secundum omnes licitè ubique locorum habentium commercium cum loco publicationis narratur, & secundum communiorem, veriorémque etiam in locis, ad quæ non facilè notitia penetrâsset; quia Judex etiam in his locis licite potest publicare, ergo etiam quisque alius Lugo *num. 72.* Haunold. cit. contra aliquos.

Dixi primò *per sententiam* quia ante hanc etsi sit reus in judicio delictum confessus, aut de eo plene convictus, si tamen adhuc occultum manet nulli datur jus propagandi, Lugo *cit. in fin.* notans *num. 79.* non esse mortale peccatum vulgare si brevi sit ferenda sententia.

Dixi secundi *publicatam* quia etsi sit judicialis, & pro foro externo, si tamen non sit omnino publica ex intentione judicis, sed intra limites alicujus communitatis, qualis est sententia Prælati judicialiter puniens Religiosum, tunc est nefas sæcularibus referre delictum, aut pœnam, Lugo *num. 73.* ex Molin. *tom. 5. Disp. 33. n. 7.* Unde Inquisitores S. Officij nequeunt referre sententiam occulte latam in Sacerdotem, aut Religiosum ob sollicitationem, aut aliud delictum: finis enim Judicis occulte sententiam ferentis est consulere famæ tum Rei, tum Ordini, aut statui: nihilominus non est culpa saltem gravis referre Religiosis ejusdem Ordinis scientibus jam capturam, ac in confuso, imò etiam alterius Ordinis, ad quos pervenit notitia capturæ Lugo *num. 75.* Laym. *L. 3. tract. 3. pag. 2. c. 3. num. 10.*

Responsum amplia etiam ad tempus, quo jam memoriæ sententiæ publicæ est oblivioni data: adhuc enim sententia legitima perseverat habitualiter, ergo nihil peccatur contra justitiam; imò nec contra charitatem contra Less. *c. 11. dub. 13. num. 87.* sicut enim bonum commune derogat juri ad famam, ita contemnit bonum privatum proximi post publicam sententiam Laym. cit. Lugo *num. 77.* extendens *num. 76.* ad casum, quo infamia ex sententia redundat etiam in alios.

Publicitas altera est facti, quando nempe evidenter constat factum non apud paucos (horum notitia solùm sufficit ad legitimam probationem in judicio non ad publicitatem) sed apud tot ex illa communitate, ut nequeat ulla tergiversatione prudenti negari, aut celari Lugo *n. 69.* Laym. *à num. 7.* addentes idem dicendum si crimen sit notorium non quidem evidentiâ facti, seu in se, sed publicâ præsumptione, suspicione, infamiâ, unde potes citra mortale referre hanc publicam infamiam, præsumptionem seclusâ majore certitudine, seu assseveratione E. g. dicere talem Sacerdotem alere mulierem multis in vicinia suspectam conformiter *cap. tua nos de cohabit. Cleric.*

Quando publicitas est absoluta (si est limitata ad communitatem unius familiæ, seu domûs, aut Monasterij, aut etiam vi-

ciniæ

ciniæ, ut non facilè notitia ad alios propaganda sit, propagatio est injuriosa Lugo *num.* 80. Laym. *n.* 10. Molin. *tract.* 5. *Disp.* 33. *num.* 7. damnans mortalis delictum grave notorium notorietati facti in uno cœnobio referentem in alio ejusdem Ordinis E. g. furtivum è cœnobio egressum cum continuo regressu ) in aliquo oppido, Urbe, aut Provincia citra peccatum contra charitatem, aut justitiam posse narrari alijs in eodem loco ignorantibus, etsi ad eos nunquam notitia perveniset E. g. ad virginem devotionis causa domi inclusam, aut perpetuò incarceratam, aut incolam proximè longè abiturum, est communis cum Molin. *Disp.* 32. *num.* 2. contra Sylv. &c. quia expedit bono communi ejusmodi confusio ad tollendum scandalum, ut si quis coram multis peccet, aut ita incaute se gerat, ut multis ingeneret opinionem sui delicti, vel ut addit Less. *c.* 11. *num.* 73. & 75. delinquat in loco publico eo tempore, quo multis innotescere potest, talis enim voluntate suâ amittit jus ad famam. Ex hoc fit argumentum etiam licitum esse delictum sic notorium notoreitate absolutâ facti in hoc loco narrari posse etiam in locis alijs remotioribus, ad quæ non facilè penetraret notitia delicti, quia ignorantia præcisè delicti quoad personas id ignorantes hujus aut alterius loci per accidens se habet ad licentiam id vulgandi, ergo si licita est vulgatio in loco commissi delicti etiam erit licita in loco non commissi, ad quem non facilè pertinget: idque confirmatur, quod etiam per Adversarios, si quis ex tali loco foret advena ad delicti locum, in eo fas est revelare illi, ergo etiam fas est ei remanenti in suo loco perscribere, Lugo *à. n.* 80. Less. *n.* 75. contra Molin. *Disp.* 33. *n.* 1. Amic. *n.* 56. damnantes injustitiæ. Vide Lugo *à n.* 83. solventem contraria adversus hanc postremam doctrinam argumenta, cum quo nota multùm interesse, an impotentia notitiæ in alijs locis de crimine hic patrato perveniat ex hoc, quod res hic patrata sciatur à paucis, vel verò quod sciatur quidem à multis, sed remoti valdè ab hoc loco impedientur à notitia: hæc enim impotentia posterior illis in locis per accidens occultum facit delictum hic patratum, prior verò facit rem per se occultam, & idcirco illicite revelabilem, opponitur enim absolutæ publicitati.

Amplia Responsum datum de absoluta publicitate ad casum, quo crimen verum per injustitiam est factum publicum Less. *n.* 77. Lugo *num.* 65. contra Molin. *Disp.* 32. *n.* 3. Amic. *n.* 57. quia totum jus proximi ad famam fundatur, vel in eo quod careat delicto, aut commissum sit occultum, hic non est occultum, ergo est jus amissum non per injuriam, sed propter crimen verum per injuriam publicatum.

Dices: ergo si quis falso infamis sit factus de crimine, etiam licebit post hanc falsi criminis publicitatem ulterius de eo loqui coram ignorantibus, aut id scientibus. Respondeo nego illatum: nempe fas esse loqui coram ignaro falsitatis, quia debetur vera fama falsè infamato, retinétque ad eam jus, quod graviter læderet scienter se conformans injustæ aliorum propalationi, quam confirmaret, Lugo *num.* 64. Hanc doctrinam sequitur Haunold. *n.* 545. si quis diceret aliunde sibi constare de veritate delicti (talem enim condemnat peccati mortalis, quia novus infamator, quantum est in se impediret

famæ restitutionem, quam recuperandi spes esset, si falsitas famæ aliunde innotesceret) secùs si præcisè diceret se habere ex communi fama, quod verum esset, neque effectivè plus noceret, quam quisque alius falsitatis ignarus. Distinctio hæc non caret probabilitate.

Dices secundò nefas est hoc tempore refricare memoriam delicti de præterito publici, at nunc obliterati, ergo etiam nefas est delictum hic publicum referre alibi, quo ejus notitia non pertinget; quia sicut hoc tempore retinet jus ad famam, quia perinde se habet, ac si nunquam fuisset amissum, ita in alio remoto loco de eo fama est in statu pari, illi, si nullibi deliquisset. Antecedens spectatâ Justitiâ secùs spectata charitate negat Lessius *num. 82.* Mendo *in Epitom. Verb. honor. n. 12.* At Lugo *num. 8.* Fagundez *Lib. 8. ad octavum Decalogi præceptum c. 4. num. 4. & 5.* Molin. *Disput. 33. num. 2.* asserunt etiam esse contra Justitiam. Respondeo primò nego antecedens de obligatione Justitiæ nisi redundet refricatio delicti præteriti in jacturam famæ præsentis, ita Tamb. *L. 9. Decal. c. 3. §. 2. n. 18.* quia jus in famam præsentem non efficit non fuisse malum de præterito, ergo non reducit jus amissum ad famam præteritam, ergo refricatio præcisè hujus non est contra jus amissum, nec contra jus præsens, nisi fama præsens imminuatur prout facile contingit; redditur enim facillimè suspectus; aut si exinde impeditur ab aliquo bono consequendo vel removeatur ab officio. De cætero negatur Adversarijs, quod per obliterationem ex temporis diuturnitate, vitámque præsentem olim infamatus perinde se nunc habeat, uti fuerat ante infamationem præteritam.

Respondeo secundò esse contra charitatem obliteratam infamiam refricare sine causa justa (hæc excusat historicos scribentes obliterata scelera olim publica per illationem nonam) quia bonam existimationem etiam de vita præterita nunc habet apud ignorantes, ergo ejus ablatio sine justa causa est graviter contra charitatem.

Ad plenam præsentis Undecimæ illationis notitiam supereſt decidere, quot personis debeat delictum innotuisse, ut dicatur publicum? Respondeo certiorem regulam dari non posse eâ, quam viri prudentis arbitrium definit spectatis circumstantijs delicti commissi, videlicet loci, temporis, & numero personarum plurium, & pauciorum per plures, paucioresvè domos sparsarum notitia criminis, earúmque conditione, nempe harum fragilitate, ut moraliter sit impossibile cohibere, ne ad alios ejusdem loci incolas notitia perveniat, ita Laym. *n. 8.* Haunold. *n. 544.* Tamb. *n. 10.* quia aliæ observationes, quas adducunt Lugo *num. 70.* cit. Haunold. Tambur. & communiter alij ex Molin. *Disput. 31.* Difficulter ob earum multitudinem sunt practicabiles.

317. Infero duodecimo Auditor detractoris peccat mortaliter contra charitatem primò sibi complacendo in detractione mortali; gaudet enim de malo gravi proximi. Secundò non impediendo detractionem concurrentibus his tribus, nempe quod detractio sit mortalis, spes eam impediendi, possítque sine gravi suo incommodo impedire. Unde Molin.

*Disp-*

*Disput. 35. num. 3.* S. Thom. *quæst. 73. Art. 4.* Lugo *num. 128.* raram esse obligationem sub mortali impediendi inter æquales, rarissimam esse in inferiore respectu superioris agnoscunt. Primò quia auditor communiter nescit, an ea res sit jam publica. Secundò, quia si alij sint præsentes sæpè melius consulitur infamato, nam ex subita interruptione possent quid gravius suspicari, quam sit res narrata. Tertiò quia sæpè detractor exacerbatus correctione insurgit gravius ad detrahendum. Quartò quia sæpe alter habet causam justam propalandi, aut id, quod dicitur, facilè potest reparari postea monstrando ejus falsitatem. Addit Lugo *n. 129. in fin.* pro scrupulosis eos rarissimè obligari corrigere etiam in circumstantijs, in quibus alij obligarentur, quia cum scrupulosi existimentur, facilius despiciuntur, & ideo cessat spes emendationis.

At si Auditor non habet se mere passive, sed est concausa detractionis ad hanc excitando, imperando, minando, blandiendo, consulendo, sciscitando, (nisi prudenter putetur non fore mortalis, aut nullum, aut exiguum damnum infamatus incurret apud curiosum sciscitatorem, Laym. *n. 14.* probabiliter à mortali excusari putat) peccat mortaliter ex genere suo contra Justitiam, & quidem gravius ipso detractore; hic enim peccat solum detrahendo, ille verò etiam scandalizando. Unde inducens tenetur ad restitutionem (nisi aliunde certo detraxisset secluso consilio, &c. tunc enim non esset efficax causa infamiæ, nisi induxisset imperativè: quia licet sine mandato esset detractio, hic & nunc tamen detrahit etiam ut instrumentum mandantis, si operatur in virtute mandantis Amic. *num. 68.*) nisi brevi fuisset aliunde publicandum justè, quo casu etiam non peccaret mortaliter, si haberet certitudinem publicationis futuræ Amic. *n. 66.* qui rectè subjicit *n. 72.* quod etiam continuans detractionem ab alio sponte inceptam manifestando nova peccata debeat restituere, secùs eadem narrando confirmans, nisi confirmatio antea dubia reddat certa.

Porrò mandans tenetur Principalius ad restitutionem læsæ famæ, quam mandatarius; è contra detrahens ex consilio alterius principalius adstringitur, consulens verò in defectum principalis.

Quando audiens est superior. Prælatus detrahentis, tunc ex officio, consequenter ex Justitia debet impedire detractionem contra suum subditum, consequenter in defectu Principalis, seu detrahentis restituere, at si infametur non subditus, videtur probabilius ex Justitia non obligari, quia officium non obligat ad procurandum bonum non subditorum, Lugo *num. 134.* Molin. *Disput. 34. n. 5. tom. 4.* contra Less. *c. 11. dub. 23. n. 122.* nisi infamatus externus imploraret officium, tunc enim est Justitia assistendum ei esset, cit. Lugo.

Dixi *Superior* Prælatus, quia Superior sæcularis E. g. Urbis gubernator non impediens detrahentem etiam subdito, verum hujus occultum crimen prodendo, non peccat contra Justitiam; eo quod ejusmodi delicta non soleant deferri ad ejusmodi forum, nec puniri, sed delatus detractor cogitur solum probare, vel retractare, nisi si crimen grave falsum Lugo *132.*

§. II.

## §. II.

## *An & quando secreti delicti revelatio caret vitio Detractionis.*

318. SEcretum est Sacramentale in foro conscientiæ commissum, vel naturale hoc est duplex: nempe vel commissum, id est, ex peculiari commissione delinquentis, aut alterius concreditum, vel promissum, ut si quis aliunde occulti criminis notitiam licitè comparet, postea promittat se alijs non revelaturum. Præter commissum & promissum est aliud, cujus cognitio est injustè comparata E. g. litterarum ruptione. De Sacramentali est certum, quod in nullo eventu probabili possit licite detegi. Secretum commissum est, vel explicitum, ut dum quis pandit crimen eo pacto, ut nulli prodatur; vel est tacitum, quando scilicet ex circumstantijs constat rem tibi sub secreto committi, & te illam sic accipere, qualiter ad secretum obligantur Medici, Advocati, Chirurgi, Obstetrices, Theologi, Consulti.

Certum est, quod utroque modo commissum obliget ex Justitia, ne reveletur, intervenit enim pactum utrinque oneroſum, nempe quod committens ex sua parte concredat, alter verò quod concreditum apud se servabit; Quare hic tenetur ex Justitia tacere, postquam alter concredidit.

Secretum promissum vel est de crimine, quod independenter à secreto non potes sine injustitia revelare, vel debes, si primum duplicem revelando committis injustiam; unam rei occultæ detectione, alteram violatæ promissionis, si intendisti expressè te obligare ex Justitia, secùs seclusâ hac intentione per *num. 211.* si ante promissionem deberes revelare, ut judici legitime interroganti ex prævia semiplena probatione, aut fama publica E. g. furti, teneris etiam post promissionem fateri, quia tunc negatio est illicita, proinde non poterat cadere sub promissionem aut juramentum: At si furem deprehendisti, potes illum judici prodere ante promissionem, ut si furtum potes probare, & tibi esset præjudicioſum, &c. secus post promissionem, & quidem sub mortali, si jurâsti, seclusō autem juramento mortaliter, vel venialiter juxta rei qualitatem, & circumstantiam, Molin. *tom. 5. Disputat. 4. num. 4.*

Ex his patet, quod secretum commissum gravius obliget, quam promissum, proinde ob leviores causas possit rumpi quam commissum: hoc enim obligat etiam in casibus, in quibus aliàs revelare poteras, aut debebas: sic non potes revelare superiori tibi præcipienti, aut judici legitime quærenti, neuter siquidem potest præcipere, nisi scientia sit legitime

gitime communicabilis, notitia autem comparata per commissionem non est licitè communicabilis, sed conscius perinde se habere debet, ac si nesciret: est enim communicata illi notitia sic restricta & sigillata, nisi committens secretum injustè vexet Rempublicam aut innocentem, nec vult ab injuria desistere, tunc enim potest revelari, etsi fuisset data fides silentij sub obligatione mortis subeundæ; nam promissio talis non complectitur casum, quo vis vi repellenda est, Lugo *à num. 141.* Molin. *Disp. 5. n. 6.* uti nec si ipse committens à sua nequitia nequit erui, nisi prodatur, ut si nolit desistere à matrimonio cum occulto impedimento Molin. *n. 7.* Laym. citandus *n. 2.* complecteretur autem si malitia committentis non intervenit, quia materia promissa est licita etiam pro tali eventu, Lugo *n. 115.* Molin. *Disput. 37. num. 10.* Laym. *L. 3. tract. 3. p. 2. cap. 5. num. 4.* (limitans ut non obligetur subire mortem, nisi agatur de maximo committentis secretum damno, extra hoc enim certo potiùs committens ex lege charitatis debet subire damnum, quam innocens vitæ discrimen) unde si sine committentis malitia homicidium imputetur innocenti, non potes revelare, sed potiùs sinere innocentem condemnari, cum tunc nec ipse committens teneatur se prodere, nisi posset citra grave suum incommodum E. g. fugere, tunc enim si præmonitus nollet fugere, potest & debet prodi Molin. *n. 6.* Laym. *n. 2.*

Secretum commissum, & à fortiori promissum non obligat in casu, quo tormenta gravia, mutilatio, aut mors sua, vel tuorum vitanda, licet vita committentis periclitaretur ex revelatione, quia nemo cum tanto suo aut suorum onere acceptat à privata persona, talia secreta secundum ordinatam charitatem, Molin. *Disput. 37. num. 10.* an, si, ut paulo ante dictum est sub tanto sui onere acceptasset, aut secretum vi, aut fraude extorsisset, sic enim tenetur etiam cum aliquo suo majori damno servare secretum, unde si ex revelatione hujus mors imminet infamati, potius debet eam subire, quam revelare injustè ejus notitiam comparans Molin. *n. 13.* Amicus *n. 107.* contra Petrum Navar. & Less. quia est injuriosus non solum in secreti extorsione, sed etiam in ejus usu, cum si posset restitui, deberet restituere, proinde cum nequeat extortum reddere, debet saltem eo non uti: sicut furans equum non solum est injustus furando, sed etiam non restituendo equum, tenetúrque illum restituere in pari Domini necessitate, sicut in tanta eum non posset furari, aut vi rapere.

319. Quæres hic occasionaliter, quanta sit culpa secreta litterarum cognoscere ex earum apertione, vel lectione? Respondeo cum Molin. *tom. 3. Disp. 36.* Sanch. *L. 6. Consil. cap. 6. dub. 3.* Lugo *Disp. 14. à n 148.* nisi sit consensus saltem præsumptus, aut prudenter quis judicet non contineri in litteris secretum grave, peccat mortaliter, sive aperiat sigillatas, sive non sigillatas, repositas tamen in loco, in quo secreta servari solent, nempe in loco clauso, sed casu relicto aperto (nisi sis in sententia docentium non esse mortale uni, aut alteri viro prudenti revelare secretum) etiam dum dubitat, an res magni momenti contineatur propter periculum, cui se expo-

exponit, tenetúrque ad restitutionem damni secuti totius gravis, nisi culpa fuerit levis, aut si grave damnum prudenter credebatur non futurum, ita Molin. loco cit. ( quidquid contradicat Lugo *n. 149.* ) quia tunc damnum est involuntarium. Tempore belli licitè intercipiuntur litteræ hostis, & leguntur, uti etiam illæ, ex quibus prudenter times proprium, aut alienum injustum damnum: pariter Ministris publicis fas est referare litteras dum expedire bono communi judicant, cavendum tamen, ne publicent alia eo non facientia.

Quomodo se gerere debeat Superior in secreto delicto subditi ad se delato constitutum est de Religiosis Societatis in Congreg. VII. *Decret. 33.* de quo fusè Lugo *à num. 117. & à n. 145.* Palao *t. p. tract. 6. Disput. 3. pag. 11.* Haunold, *tract. 2. n. 550.* Ad quodnam Decalogi præceptum spectet secreti observatio Disputat loco cit. Lugo *143.*

*Resp.* Detque ad illud præceptum spectare, ad quod spectat bonum, quod aufertur violando secretum; quando enim secreti violatio redundat in damnum vitæ, membrorum sanitatis, observatio secreti pertinet ad bona corporis, si redundet in damnum famæ, aut honoris, observatio spectat ad bonum famæ, &c. Si redundet in damnum bonorum fortunæ, observatio secreti spectat ad bona fortunæ, proinde ad præceptum prohibens horum violationem. Demum si violans secretum nocet bonis animæ, ut si circa hæc sequitur aliquod damnum E. g. peccatum, ignorantia, læsio usûs rationis, aut quid simile, observatio spectat ad bonum animæ. Et cum secretum E. g. scientia, quam quis possidet alijs ignorantibus sit quoddam bonum ab anima possessum, ejus violatio censetur esse quasi furtum spirituale circa bona animæ.

## §. III.

## *Enodatio plurium quæstionum de fama & honore & bonis fortunæ ex damnatis propositionibus.*

320. QUæres primò an Religiosus, aut clericus calumniatorem gravia crimina de se vel sua Religione spargere minantem, jámque paratum publicè, & coram viris gravissimis impingere licitè occidat, si alius modus impediendi non supereſt? Ratio affirmandi, licita est occisio injusti invasoris bonorum magni pretij, dum aliter conservari possunt, ergo à fortiori ob conservandum honorem & famam utpote Ordinis altioris bonis fortunæ. Respondeo negativè: affirmativam enim Alexander VII. in propositione 17. damnat, cui

eni est affinis immediate sequens 18. *Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam Judicem, à quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare*: Damnatæ Alexandrinæ decimæ septimæ concordat damnata ab Innocentio XI. trigesima: *fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit: idem quóque dicendum, si quis impingat alapam, vel fustè percutiat, & post impactam alapam vel ictum fustis fugit.*

Ratio omnium est, quod omnes dictæ propositiones sint periculosissimæ communique bono pernitiosæ utpote laxantes licentiam facile tollendi homines ex vita sub prætextu imminentium gravium calumniarum, falsæ accusationis aut attestationis, aut ferendæ iniquæ sententiæ, & cum quisque se facile pro viro honorato reputet, datur sic plerisque licentia occidendi alterum quasi nitentem calumniari cum percussione, quod aliâ viâ calumnia sit inevitabilis cum maximo reipublicæ detrimento, ut notavit Laym. *L. 3. tract. 3. pag. 3. c. 5. n. 2.* Amicus *hic Disp. 36. n. 118.* nunquam docuit oppositum, sed expressè protestatur se loqui solùm disputandi gratia maturo judicio relicto penes prudentem lectorem vide *num. 27.* præsentis tractatûs.

Confirmatur ex Didaco Hurtado *Theol. Reform. ad propos. Innocentij XI. Differt. 19. à n. 7.* licet cuivis fas sit vim vi repellere servata debita moderatione, secùs ulli nullâ vi intercedente, idque patet à posteriori, quod in omni benè ordinata republica plectere-

tur ut homicida, si occideret alterum nullam vim exercentem sub prætextu calumniæ imminentis declinandæ, atque in calumniis injustis regulariter nulla vis infertur: vis enim dicit actionem fieri sciente, ac renitente altero, proinde contrariè invito: calumnia autem sæpe clandestine spargitur: est enim nihil aliud, quam impostura falsi criminis, seu impositio & objectio, ergo calumnia est separabilis à violentia, sed & ab hac separatam non fas est præoccupare occisione calumniatoris, imò nec minori alia violentiâ, calumnia enim non vi, aut cædibus, sed veritatis manifestatione propulsatur.

Ratio affirmandi allata in oppositum est infirma, quod magni pretij bona facilè nequeant recuperari ab invasore, & nisi fas esset occidere hunc servato moderamine nequissimi latrones, & fures foverentur.

Similiter vita semel amissa, & pudicitia virginalis est irreparabile damnum multo gravius bonis fortunæ, ergo si licita est occisio pro defensione bonorum magni pretij, à fortiori occiditur justè aggressor vitæ, & nitens stuprare Virginem, dum aliter nequit violentiam actualem repellere, (ut si clamor sit inutilis, aut ignominiosus) etsi exinde sit æternum damnandus, id suæ malitiæ imputet, non necessitati gravi, cum nulla laboret, Molin. *tom. 4. Disp. 17. num. 10.* Sylvest. V. *Homicid. 1. q. 5.* Idem dic de eo, qui violenter vult cum viro sodomiam patrare Cardenas *Dissert. 21. n. 47.*

321. Dixi *pro defensione magni pretij*: quia secluso magno pretio occisio foret homicidium: unde Innocentius XI. damnat propositionem trigesi-

mam primam : *Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei.* Ratio damnationis est, quod aureus unus regulariter non sit necessarius pro conservatione vitæ suæ, aut suorum, aut status justè acquisiti. Immeritò autem propositionem damnatam Lumbier & Filguera appingunt Molinæ *tom. 4. Disp. 16. num. 7.* sic loquenti: *Quando autem quis injustè aggrederetur usurpare rem etiam valoris unius aurei, vel minoris adhuc valoris resistente Domino, aut Custode illius, certe neque ad panam neque ad culpam auderem condemnare, qui illam defendendo interficeret cum moderamine inculpatæ tutelæ injustum aggressorem.* Immeritò inquam illi attribuitur, non enim indiscriminatim loquitur de fure, sed de raptore, seu violento occupatore: nec dixit *regulariter*, sed *non auderem*, quod verbum notat suspensionem, & dubietatem, ac insuper requirit *moderamen inculpatæ tutelæ*, ubi plures involvuntur conditiones difficulter concurrentes, nec attendit ad valorem rei defensæ, an sit aureus aut minor sed potius ad contemptum & violentiam justè defendenti illatam, hæc autem magna possunt esse etiam pro re nimis parva; ita vindicat Molinam citatus Hurtado *num. 49. etsi n. 48.* non acquiescat propositioni Molinæ absque majore explicatione, uti nec ego.

Si regulariter est illicita occisio ad defensionem actu possessorum, multo minus ad defensionem non possessorum, sed speratorum, aut ad quæ habemus jus ad rem: quare scandalosa est propositio trigesima secunda inter 65. Innocentianas: *non solùm licitum est defendere defensione occisiva, quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus.* Iti etiam trigesima tertia nihil priori addens; nisi varia exempla juris inchoati, quæ ita sonat: *licitum est tam hæredi, quam legatario contra injustè impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere, sicut, & jus habenti in Cathedram vel præbendam contra eorum possessionem injuste impedientem.* Prior propositio omissâ defensione bonorum pleno jure ad nos spectantium duas continet partes; unam de sola spe bonorum omni speciali jure destituta; alteram innitentem alicui juri præhabito, quod exemplificat trigesima tertia.

Ratio damnationis est, quod pandat aditum frequentibus homicidijs propter jura ad rem, & spes plerumque incertas quas, & earum frustrationes insanna lucri cupiditas certas apparere facit: neque propositio distinguit, an injustitia sit clandestina, proinde non inviolenta, an vis gravis, aut levis, an res defendenda sit magni vel parvi momenti, quæ omnia & plura alia explicanda forent, ut decerni possit, an, quanta defensio sit licita, ut arguit citatus Hurtadus *à n. 55.*

Dictas duas propositiones Filguera, & aliqui alij adscribunt Patri Amico *hic Disp. 36. n. 131.* Sed falsitas est pathetica: quia Amicus in prima meminit defensionis sine lij *occisiva*, & in secunda adverbium *taliter* etiam omisit, ac in antecedentibus consequentibusque corollarijs, quando defendit licere occisionem clare expressit: hic verò penitus fluit atquè insuper *n. 126.* tres requirit

Con-

Conditiones, sine quibus occisio est illicita. Unde corollarium tertium continens præfatas duas propositiones intelligendum non est sine ijsdem, earum nullam postulant damnatæ Theses.

322. Superest, ut refutetur altera pars propositionis trigesimæ asserentis fas esse eidem viro honorato occidere eum, qui alapam infligit, aut fustè percutit, postea fugit, quam assertionem multi tenuerunt cum Navar. *Manual. c.15. n.3.* illique speculativam probabilitatem detulerunt Less. cit. Laym. Filliuc. Reginald. Dicast. at practicam vocant in dubium, & meritò practicè esse improbabilem, est exinde, quod vix humanitus sit possibile, ut contra illum, qui destitit à violentia, & ne offensam prosequatur, fugit, præfata assertio practicetur absque scandalo, excessu, aut vindicta, quid enim aliud est, talem percussorem occidere, mutilare & repercutere in illis circumstantijs, quam se vindicare seu reddere malum pro malo, idque putare honorificum depravata mundi imaginatione adversus legem Evangelicam: hoc enim non est vim vi repellere, cum fugiens nullam vim inferat, sed ab illata destitit, & injuriam diminuit ostendendo metum, nec repercussione &c. restituitur honor, hic namque restituitur retractione injuriæ, veniæ petitione, alijsque actibus honorificis, hoc non fit fugâ, nec actibus assertis in dictis propositionibus, sed intendit honorari ob vindictam propriâ authoritate sumptam, si verò esset honorificum reddere malum pro malo, majus pro minore, & quasi Deus non servâsset suis Ministris ultionem Deut *32. v. 35. mea est ultio, & ego retribuam.* & Rom. *12. v. 19. scriptum est, mihi vindictam, ego retribuam, dicit Dominus:* hæc non est Consilij, sed præcepti constat ex Ecclesiastici *C 28. qui vindicari vult à Domino, inveniet vindictam.* Et certè, si honor resarciri posset occisione dehonorantis, tunc maximè procederet, dum Maritus reperit adulterum in flagranti cum uxore; hoc autem damnatur ab Alexandro VII. *propositione 19.* ita sonante: *non peccat Maritus occidens propriâ authoritate uxorem in adulterio deprehensam.* Vide Molin. *tom 4. Disp. 17. n. 8.* probantem esse puram vindictam.

Non est paritas à latrone cum rebus meis magni pretij fugiente, quem possum trajicere, si aliter eas non est spes, recuperandi, nam latro secum defert res meas, secùs percussor meum honorem, sed hic est similis comburenti meam domum, quam non defert secum, sed vacuus recedit, hunc autem incontinenti posse occidi nec divina, nec naturalis lex sinit, esto damnificario aliter sit irreparabilis. Deinde etiam assumptum ut falsum negat Covar. Cum non paucis apud Dian. *p. 8. tract. 7. Res. 47.*

Dices: vilis, & infamis habetur, qui receptâ alapâ non repercutit etiam usque ad occisionem, si alia via recuperationis desit. Respondeo sciscitando, quinam ita censeant? certè non prudentes, & legis Christianæ sectatores, sed terrena sapientes, quorum judicia non sunt tanti facienda, ut proximus sit occidendus, ne honori nostro adversetur: *hæc est sapientia Carnis inimica DEO* ut loquitur, Apostolus *Rom 8. v. 7.* revera autem ratio proxima, ob quam percussus apud prudentes hujus sæculi censetur

tur infamis, ea est, quod se non vindicet, non autem quia reputatur pavidus, cum fugiens potius ostendat ipsum esse timendum, & licet esset timidus, non tamen timor est tanta macula: ut debeat repelli tantâ vindictâ. Igitur contemptibilitas nata ex omissa vindicta, non est revera vilitas, & infamia, sed falsa procedens à datis in reprobum sensum, uti exprobret Isaias *C. 5. v. 20. dicunt malum bonum, & bonum malum ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras.*

Observat Hurt. *n. 37.* in propositione relata, trigesima non damnari opinionem affirmantium licere occidere continuantem ictus cum arundine, vel repetentem alapas, vel eodem in loco persistentem defensurum, id quod patraverat, talis enim vim injustum continuat, nec ante recessum censetur consummata injuria, quapropter repercussio non transit in aggressionem, uti fit, dum percussor fugit, sed est justa defensio, dummodo non sit major, quam postulet necessitas, foret autem major, si percussus posset percussorem cogere ad fugam, tunc enim illicitè occideret, aut mutilaret. Quod dictum est de continuante percutere, est par ratio de eo qui per barbam alterum trahit injuriose, Moya *in selectis p. 2. tract. 6. Disp. 3. q. 3. n. 13.*

Ex his etiam resolvitur, an ad ignominiam impediendam, aut ad acceptam vindicandam, licitè possit provocare ad duellum, aut provocatus comparere? Responsio negativa eruitur ex dictis, quia apud prudentes non incurrit ullam infamiam, sed laudem ex observantia legis naturalis in 5. Decal. præcepto: nullus enim potest propriâ authoritate alterum, aut se occidere, aut periculo vitæ exponere, nisi necessaria sit sui, aut innocentis defensio. Unde Alexander VII. proscripsit hanc propositionem secundam: *Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.* Nota quam incurrit apud homines mundanos, est nota laude digna apud sapientes æstimatores, & licet reipsa foret infamia, cum tamen sit transitoria, est postponenda saluti animæ, cujus amittendæ periculo se evidenter exponit, ob hæc, & gravissima alia damna ex duellis consequi solita Henricus IV. Rex Galliæ decrevit, quod tam provocans, quam acceptans duellum sit habendus pro infami, & modernus Rex Ludovicus XIV. sub confiscatione bonorum omnium prohibuit severissimè ac efficaciter sustulit.

323. Quæres secundò an Matrona aut puella honesta furtivè imprægnata ante fœtus animationem possit procurare abortum, ut evitet vitæ periculum, vel infamiam sibi, aut familiæ nobili imminentem. Affirmativam probabilem dixit Lezana *in Summa qq. Regular. volum 2. V. abortus. n. 5.* Trullench. *in Decal. c. 1. dub. 4.* Barbosa in collectan. ad *5. Decretal. C. si aliquis 5. de Homicid.* horum Sententiam reprobat Innocent. XI. propos. 34. *licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur.* Hanc immediatè sequitur trigesima quinta docens nullum fœtum, quamdiu est in utero vivere animâ rationali, sed incipere primum, dum

dum pariter, atque adeo in nullo abortu committi homicidium.

Respondeo negativè cum Laym. *L. 3. tract. 3. p. 3. c. 4. n. 2. q. 2.* dicente nullo fine bono honestâri posse, Molin. *tom. 4. Disput. 27. n. 6.* Lugo *Disp. 10. n. 131. &c.* quia abortus est fœtûs jam concepti ex utero violenta abactio, seu ejectio, sed hæc est illicita; seu finis sit præservatio mortis, sive infamiæ certò imminentis non procurato abortu, etsi fœtus nondum esset animatus: qui etiam per patronos damnatæ Thesis non licebat procurare abortum fœtu animato, ergo nec ante animatum. Consequentia probatur primo ex S. August. *L. 1. de nuptijs & concup. c. 15.* ubi vocat *crudelem libidinem sterilitatis venena procurare conceptos fœtus, & prolem velle prius interire, quam vivere & si jam vivebat, occidere antequam nascatur.* Secundò quod occisio, aut gravis infamia prægnantis sit aliter inevitabilis, est moraliter impossibile judicium moraliter certum formare, ergo est practicè improbabilis ejusmodi excusatio. Antecedens probatur, quia periculum, dum non est fœtus animatus est valde distans, estque incredibile non supersesse modum id declinandi, ipsáque conceptio ante animationem est omnibus incerta, & licet forte contingat, facilè confundi solet cum alijs infirmitatibus, adeò ut nec ipsi Medici valeant discernere. Partus quoque multis medijs potest occultari illis, à quibus timetur, & vix nunquam desunt fideles Amicæ, aut Matres, quæ secreto auxilientur in re jam inevitabili. Atqui judicare certo hæc omnia media postea defutura est moraliter impossibile, aut quod periculum vitæ non posset evitari, quin posset vis vi repelli, aut aliter in tuto collocari.

Tertiò quod praxis opposita libidini frœnum laxet, si enim liceret aliquando procurare abortum ex prætenso illo fine, à fortiori liceret impedire conceptionem fœtûs procurando sterilitatem, cum non conceptio sit remotior ab hominis generatione, quam conceptio liceret fœminæ omni modo semen jam receptum expellere, ipsi viro extra vas effundere ante consumatum coitum: fœminis conjugatis expertis ordinarie partus periculosos, fas foret similia practicare.

Quartò quod procuratio abortûs sit intrinsece mala utpote directè opposita fini primario copulæ, qui est prolis genetatio, quam quia impedit, hinc etiam nullo casu secundum omnes est licita directa procuratio pollutionis, sed etiam, & quidem longè propinquius abortus impedit prolis generationem.

324. Objicies primò si Mater cogeretur, ad abortum fœtus inanimati, ut olim in Hispania Judæi cogebant Mauras sibi servientes, licitè Mater expelleret fœtum, cum hic ea moriente nunquam esset animandus, ergo etiam in nostro casu. Confirmatur Less. Molin. Toletus Laym. apud Dian. *p. 11. tract. 6. Resol. 60.* circa finem contra Sotum Turianum. Gasp. Hurtad. affirmant licere sibi membrum etiam vivum amputare ad imperium alterius, quando, nisi id faceret, occideret, ergo etiam, &c. fœtus enim ante animationem est pars viscerum, si autem hoc licet ad declinandam mortem, etiam fas erit ad præcavendam infamiam, hæc enim rectè

morti

morti æquiparatur: unde in jure civili *L. Justa causa 9. ff. de manumissis* vindictæ æquiparantur periculum vitæ, & periculum infamiæ. Respondeo nego antecedens, ad confirmationem Respondeo primò instando, ergo etiam fas est se polluere ad evitandam mortem violentam, quia semen nondum decisum est pars corporis. Secundò retorquendo, ergo etiam licebit ex illo antecedente concludere, quod licita sit fœtus animati abactio. Tertiò nego consequentiam, quia membrum corporis est principaliter ordinatum in bonum, & conservationem totius, ut igitur hoc servetur, abscissio sit licita; fœtus autem, licet detur esse partem Matris, non tamen est pars talis, quæ principaliter sit ordinata ad conservandam Matrem, sed à longè nobiliorem alium, nempe ad propagationem speciei: unde non servit Matri, sed è contra dum præstat ei alimenta cum suo incommodo, neque eo nascente fit manca. Accedit, quod semen jam decisum nec sit pars Matris, nec Patris, longè minus fœtus jam conceptus, sed contineatur intra uterum, unde sugit alimentum absque ulla physica unione, quæ tribueret illi rationem membri aliàs ut arguit D. Augustinus *L. 6. contra Julian. cap. 14.* si infans esset pars Matris, hâc Baptizata, ille esset Baptizatus, quin posset Baptizari postea natus.

Ex his colligitur, quod etsi infamia æquiparetur morti, nihil conficiat argumentum, cum non liceat ad vitandam mortem causare abortum. De cæterò falsa est æquiparatio, ut ostendit, & argumenta contraria diluit Raynaudus *tom. 14. tr. de ortu infantium & c. c. 10. à num. 43. fol. 306.* probátque honorem, famam, laudem, &c. esse inferiora non tantum vitâ corporis, sed etiam alijs hujus bonis, ut lumine oculorum, sanitate. Quare Lessius *L. 2. hic c. 11. n. 88.* dixit nemo prudenter pro quantavis magna fama eligeret mori. Unde vulgi error est pro honore moriendum esse, ut scribit Laym. *c. 3. n. 3.* Gobat *Theol. Juridic. c. 18. n. 8.*

325. Objicies secundò fœtûs nondum animati abortûs licita est procuratio ad servandum ex morbo Matris vitam, aliàs Medicorum Judicio morituræ; minus enim malum est impedire animationem fœtûs, quam hunc una cum Matre extinguere, Sanch. *L. 9. de matrim. Disput. 20. n. 9.* Laym. & alij contra alios apud Dian. *p. 5. tract. 14. Res. 90.*

Tertio matrimonium, & hujus usus naturâ suâ per se primo ordinatur ad speciei propagationem, & ideo debitum illius per se loquendo nequit negari citra peccatum mortale; attamen licite negatur, quoties prudenter timetur fœminam ex conceptione morituram, éstque probabile illam concepturam, Dicast. *de Sacram. tom. 3. tract. 10. Disput. 9. n. 212.* Cajet. *in sum. V. matrim. sub. tit. de usu matrim. Conjugij vers. primus, &c.* negans debiti obligationem urgere quoties sine periculo vitæ, aut ægritudinis reddi non valet: Estque hæc communis sententia approbata à Sanch. *Disput. 24. n. 2 & 12.* etiam in casu, quo ex negatione debiti alteri immineret incontinentiæ periculum, non enim se obligat simpliciter ad reddendum debitum, sed salvâ personæ incolumitate.

Respon-

Respondeo primò, ad secundam longè probabilius negari antecedens cum Vasq. Less, Amic. Navar. Moya Filliuc. de directa procuratione abortûs, hæc enim æquiparatur pollutioni, cujus procuratio directa etiam ad morbum depellendum est prohibita *Resp.* secundò transeat antecedens nego consequentiam, quia in antecedente urget morbus præsens, cujus expulsio procuratur, dum nullum aliud medium supereſt: at in abortûs procuratione malum non est præsens, cum fœmina de præsenti bene valeat, malumque à longe imminens potest multipliciter occultari.

Respondeo ad tertium concesso antecedente negando consequentiam, plures enim causæ insufficientes ad impediendam generationem post copulam, vel ad abortum, sufficientes sunt ad non reddendum debitum, obligatio enim hujus oritur ex contractu, proinde tot admittit dilationes, excusationesque quot restitutio, aut cæterorum debitorum solutio; at, ne directè impediatur conceptio, vel animatio, ex natura rei obligatio consurgit.

Quod si ejusmodi mulier ob partus periculosos excusata ab obligatione reddendi debitum defuncto Marito convolet ad secundas nuptias, insciо secundo Marito præfatæ difficultatis, censeturne renuntiare suo juri, proinde reddere debitum cum vitæ futuro periculo teneatur. Respondeo cum Didac. Hurtad. *in Theol. Refor. Dissert 20. n. 43.* affirmat, aliàs magna foret in contractu onerum inæqualitas.

Item conjux sanus ignarus, quod alter laboret leprâ contagiosâ, non tenetur huic concedere usum Corporis, esto verius sit posse reddere, ut ex communi tradit Sanch. *L. 9. Matrim. D. 24. à n. 21.*

326. Objicies quartò fœmina violenter oppressa potest in continenti seminis jam recepti ejectionem procurare, ne sequatur conceptio, ergo similiter excusabit metus mortis, aut infamiæ. Antecedens est Sanch. *L. 2. de Matrim. Disp. 22. n. 17.* continuatur enim vis retento semine, unde sicut se agitare potest, ut non recipiat, sed extra vas effundatur, ita videtur fas esse receptum ejicere.

Respondeo nego antecedens consummatâ enim copulâ opprimens se habet ut alapam infligens, & post hanc recedens, cujus repercussio non est justa sui defensio, sed vindicta *per num. 322.* unde ad probationem negatur vim continuari, sicut continuatur, antequam copula sit consumata, ante cujus consummationem licitum est oppressæ omni modo contraniti etiam cum occasione oppressoris, secus post consummationem, etsi fiat in continenti, nam per ejectionem recepti seminis non potest recuperari virginitas, nec honor ejus, nec est medium licitum se præservandi à damnis graviditatis, partûs; & infamiæ secuturæ, aliàs etiam concessum esset id ipsum facere eo jam coagulato, proinde abortum facere, quod negat etiam Sanch.

Nec juvat cum eodem dicere, quod tempore coagulationis semen pacificè possideat, hoc enim difficulter declarari potest, attentâ enim Origine semen nunquam potest dici possessor pacificus, sed violenter intrusus; nec fit pacificus possessor post recessum viri, quia hic recessus fit mox mox, ac copula est consum-

mata, ergo mox pacificè possidet, ergo etiam in continenti nequit ejicere.

Confirmatur contra hominem nequit etiam in continenti ejicere fœmina ex metu gravi consentiens viro, aut primo bimestri deliberans de ingressu Religionis, si per vim cognoscatur à Marito, atqui si sententia Sanch. valeret, difficulter ostendi posset, cur etiam in hoc casu non esset licita ejectio, quod enim consenserit, non probat eam amisisse jus servandi se indemnem sicut ei, qui per metum concessit latroni auferre sibi equum, non aufertur jus eundem recuperandi persequendo eum in continenti, postquam cæpit fugere. Quod oppressa post ratum Matrimonium patiatur multo leviorem injuriam sine infamia, non satisfacit; nam aufertur illi jus valde æstimabile eligendi sponsum infinite nobiliorem, impediturque status longè altior, & securior.

327. Objicies quintò abortio fœtûs inanimati non est tanti momenti, ut non liceat exigere aut reddere debitum cum periculo abigendi fœtum inanimatum, ita Martin à S. Joseph. *in Monitor. Confessor tom. 1. L. 1. tract 50. n 2.* quia ob rem parvi momenti non est rationabile conjuges privare jure suo, ergo etiam non est saltem mortale facere abortum fœtûs inanimis ut vitam aut famam conservet. Respondeo nego antecedens cum Reliquis omnibus Theologis apud & cum Sanch. *L. 9. Disp. 22. n. 1.* damnantibus peccati mortalis conjuges Matrimonio utentes cum periculo abortûs quin distinguant inter fœtum animatum, ac inanimatum, unde malè allegatur Sanch. à præfato Martin. pro sua sententia, cum is dicat manifestam esse culpam mortalem, certam verò vocet Gasp. Hurtad. quem etiam pro se citat cit. Doctor, quando autem excusant à lethali loquuntur vel de periculo levi, seu non satis fundato, quale timetur ex superveniente coitu, vel de abortu impropriè tali, nempe de dissipatione materiæ, ex qua unita, & coagulata fœtus conciperetur, nisi accessisset novus coitus, qui impedit conceptionem, & prægnantiam, quæ tunc erat via, nec spectat ad abortum *per n. 323.*

Nec ratio Martini à S. Joseph. est vera, cum falsissimum sit abortum fœtûs inanimati esse parvi momenti, tum quia ex violenta abortione sæpe prægnantes incurrunt periculum propriæ sanitatis, uti testantur Medici apud cit. Didac. Hurt. *n. 9.* & respectu fœtus, etsi non sit homicidium, est tamen adinstar, proinde respectu parentum adinstar paricidij, dum illi causant, quapropter *Cap. si aliquis 5. de homicid.* dicitur, *ut homicida tenetur, qui causa explendæ libidinis, &c. ut non ex eo soboles nascatur, homini, aut mulieri aliquid fecerit, vel ad potandum dederit, ut non possit generare aut concipere.* Ex his palam est periculum istud non esse momenti exigui, sed præponderat juri exigendi debitum adeò, ut hoc non roboretur, etsi periculum incontinentiæ immineat huic enim alijs remedijs obviari potest.

De cætero etsi pejus sit ex vi coitûs novi impedire conceptionem jamjam causis suis debitam, aut se exponere periculo impediendi, quàm potionibus, nihilominus est, aut nullum, aut leve peccatum exigere debitum in tali statu non propter materiæ levitatem, ut dicit

cit cit. Martinus, sed quia copula superveniens aut nullum, aut exiguum affert periculum, aut si affert grave, id rarissimè accidit, & communiter ignoratur, imò aliquoties evenit superfœtatio, & plures concipiuntur. Et si generatio non sequitur alijs causis attribui potest, ita Didac. Hurt. *n. 32.* subdens non esse injiciendos conjugibus scrupulos, sive ante sive post conceptionem indiscriminatim copulam exercentes communiter sine abortu, non ergo hic probabiliter timetur, nisi fortè sub tempus partus: tunc enim ex nimia, & frequenti ventris concussione id accidit in aliquibus. Vide Laym. *L. 3. tract. 3. p. 3. c. 4. n. 4.* Ex quo videtur innuere, quod liceat viro periclitanti de vita propter seminis abundantiam exigere debitum cum periculo abortus, dum alia remedia desunt, idque probat exemplo; quod Laym. adducit de fera invadente Matrem, cui non modo fas est fugere, imò etiam ex præcepto naturali debet, ut fugâ vitam certo periculo expositam liberet, si posset, quamvis cum probabilissimo periculo abortûs.

Quanto autem tempore opus sit, ut fœtus jam conceptus sufficienter formatus sit ad recipiendam animam rationalem, non unus est Doctorum sensus: communis enim sententia docet id accidere in masculis circa diem 40; in fœminis circa 80. in dubio autem sexum potius Masculinum præsumi, & hanc esse praxim sacræ Pœnitentiariæ testatur Navarrus *Cons. 46. de homicid. num. 2.* cui subscribit Dian. *p. 7. tract. 5. resol. 6.* Alij apud cit. Didac. Hurtad. *n. 48.* censent animam rationalem non infundi, nisi post tres menses, aut quatuor à die conceptionis, & interea animari animâ solum sensitivâ: econtra Ferd. de Mina approbatus à Tolet. *L 2. de anima. c. 4.* alijsque putat totum hoc opus absolvi intra solos septem dies: alij statuunt pro sexu utroque diem sexagesimum ut terminum peremptorium: unde post bimestre fœtum abigens tenetur de homicidio. Ipse autem Didacus subscribit D. August. *in L. 83. quæstionum q. 56.* qui ex recepta tunc communi Philosophorum sententia docet formari Corpus humanum diebus 45. Hippocrates Medicorum Princeps fœtum Masculum pro infusione animæ formari intra dies triginta, fœmineum intra quadraginta, idque probat, quod purgatio in partu masculi duret ad Summum triginta diebus, in partu fœminæ 42. quam sententiam passim approbant alij Medici. Unde sequitur pro praxi.

Primò talem fœtum ejectum si edat signa vitæ esse conditionate baptizandum. Secundò Procurantem sub id tempus abortum coram DEO esse homicidam, quia probabili periculo se exponit perimendi verum hominem. Tertiò quando culpabiliter quis cooperatur abortui, si post diligens examen factum pro loco, & tempore opportunum, adhuc maneat dubium invincibile, an fœtus fuerit animatus animâ rationali, aut non, censet nullam incurri irregularitatem quia jus irregularitatem pro causantibus abortum statuens nullibi exprimit incurri in mero dubio circa animationem, & ita sentiunt multi, ut Bardi Tamb. &c. unde infert Bardi *de consc. Disp. 6. c. 7. §. 6.* procurantem abortum die à conceptione 50. non potentem discernere sexum posse se gerere pro non irregulari, cui contradicit Didac. Hurt. *an. 63.*

# ARTICVLVS SEXTVS.

## De causis cooperatricibus per se ad injustitiam contra Justitiam Commutativam.

328. COoperatores hic illi dicuntur qui tanquam causa per se Physica, aut moralis concurrunt ad alterius damnum contra Justitiam commutativam: concursus moralis est, vel positivus, vel nagativus: prior est positio prohibitæ actionis per se tendentis ad violandum jus proprietatis alterius, quod sex modis contingit: Negativus est omissio actionis præceptæ, ac ex officio debitæ ad impediendam violationem juris proprietatis alterius, hoc autem tripliciter contingit. Sunt igitur universim præter immediatum damni executorem, qui est physica causa injustitiæ, novem personarum genera hisce binis versiculis comprehensa.

*Jussio, Consilium, Consensus, Palpo, recursus,*
*Participans, Mutus, non obstans, non Manifestans.*

Nomine *jussionis* intelligitut mandatum etiam non superioris teste Platel. *p. 3. n. 644.* vel expressum, ut, volo hoc, illudvè damnum à te fieri Petro; vel tacitum, ut si ostendat signa, complacentiæ in damnificando, aut displicentiæ in omissione damnificationis.

*Consilium* sunt preces, exhortatio, instructio, ratio persuasiva, muneris promissio, blanditiæ inductivæ ad alteri nocendum.

Per *Consensum* venit hoc loco, non complacentia in malo alterius (sic enim non influit in id, proinde etiam non fundat restituendi onus) sed approbatio efficax damni tertio inferendi, ut suffragando electioni indigni, vel consentiendo injustum malum ab ejus consensu dependens, aut subscribendo injustæ liti, vel condemnationi.

*Palpator* hic dicitur, qui, vel adulatorie, vel laudatione iniqui facti ad id excidat, aut exprobrat ignaviam non audentis, ut si injuriato nobili exaggeret, suam nobilitatem, aut vituperet ejus patientiam, ex quo ille ad vindictam provocetur.

*Recursus* hic significat illum, qui furem, ejusque furta vel maleficij instrumenta; aliumque malefactorem recipit, vel servat, præbendo ei refugium ad securitatem, vel protegit.

*Participantis* nomine hic venit primo is, qui participat aliquid de furto, aut consumit, quin fuerit ejus causa. Secundò is, qui est particeps actionis causativæ damni, quod dupliciter potest fieri. Primò Physicè per injustam actionem immediatam, ut si exequitur furtum, aut aliud damnum. Secundò Physicè per actionem injustam mediatam videlicet furi scienter præbendo auxilium remote conducens ad damnum, ut furi scalas apponendo, aut tenendo, aut dando illi instrumenta E g. claves universales, aut defendendo furem, aut furtum distrahendo. Tertiò participando moraliter in actione injusta, ut explorando, aut excubando, ut furem moneat.

Per *mutum* venit hic ille solum, qui tacet, ex officio obligatus impedire damnum reprehendendo, vel clamando, vel consulendo: *Non obstans* dicitur, qui negligit ferre subsidium ex Justitia debitum damnificato, ut si hunc, aut ejus res non custodit, aut non defendit, aut damnificatorem non repellit.

*Non Manifestans* est, qui non Manifestat obligatus ex officio prodere, dum posset præcaveri damnum, ne inferatur, vel ut resartiatur revelando furtum, aut furem. Ex his Colligitur sex primos cooperandi modos continere causas positive, reliquos tres causas negative, seu omissive influentes in violationem Justitiæ commutativæ. Omnium causarum cooperatio influxus restituendi obligatio inde nata est examinanda.

## §. I.

## *Qualis positiva aut negativa cooperatio necessaria, ut obliget ad restitutionem.*

329. Dico primò nullus positivè cooperans obligatur ex delicto restituere, nisi sua cooperatio sit deliberata, efficax & injusta, proinde reipsa damnum proximi sequatur, ita omnes.

Probatur, quia si vel unica ex his conditionibus deficit, nulla est radix obligans restituere, si enim deest plena advertentia, damnum non est voluntarium, vel si adest, sed non est efficax (ad quod requiruntur duo, nempe sequela damni, & hic & nunc ex tali cooperatione) aut etsi efficax sit, non tamen injusta, id est talis, cui rationabiliter resistat damnificatus.

Dico secundò nulla causa positivè cooperans à restitutione excusatur, quod damnum à se nunc illatum certo sciret ab alijs inferendum, etsi ipsa non causaret, Lugo *Disp. 19. à n. 7. & 16.* Molin. Vasq. Less. contra Layman. & alios a-

pud Leſſium fatentem hujus ſententiæ probabilitatem. Probatur: quod te non cooperante, alius æque, ac tu noceret, non impedit, quo minus tu hic, & nunc ſis vera injuſta damni cauſa deliberata & efficax, ergo non impedit radicem obligationis reſtituendi: nullius enim operatio juſtificatur exinde, quod alij id ipſum injuſte egiſſent, aliàs fur non peccaret ſciens ſe furante alios furaturos.

Dico tertiò ex cauſis negativè cooperantibus eæ ſolum obligantur reſtituere damnum ab alijs illatum, quod ex officio, aut contractu tenebantur impedire, ſecùs impedire obligatæ ex mera charitate, Lugo *num. 99.* cum pleriſque Theologis ex S. Thom. *hic q. 62. Art. 7. ad 3.* contra Cajetan. & paucos obligantes etiam poſtremos ad reſtitutionem. Probatur: quod ubi eſt obligatio impediendi damni ex mera charitate, damnificatus nullum habet jus ſtrictum, ut damnum impediat obligatus duntaxat impedire ex mera charitate, aliàs jam obligaretur impedire ex Juſtitia ſtricta contra ſuppoſitum, ergo omittens impedire non violat ullum jus ſtrictum, ſed ſolius juris ſtricti violatio eſt radix obligationis reſtituendi, quod accidit duntaxat in obligato ex officio, aut contractu.

## §. II.

## *Quæ cauſæ ex cooperantibus teneantur totum damnum, aut ſolum partem reparare?*

330. Cum obligatio reſtituendi radicetur in influxu injuſto cauſæ poſitivè aut negativè cooperantis, conſequens eſt, quod reſtitutionis damni quantitas ſit proportionanda influxui, quem delinquens exercet in damnum, radix ſiquidem ex delicto adæquata eſt cauſalitas damni, ergo quanta eſt cauſalitas tantum proportionaliter eſt reſtituendum, proinde totum, ſive inſolidum quando cooperans ſuâ cauſalitate totum damnum attigit, etſi cauſalitas fuerit partialis phyſicè (moraliter enim tunc æquivalet totali Lugo *num. 84.*) partem verò, quando cauſavit partem duntaxat damni, Molin. *Diſp. 734.* Laym. *L. 3. tract. 2. c. 6. num. 1.*

Ad præſentem quæſtionem triplex eſt ſententia prima obligans in ſolidum omnes concurrentes in totum damnum (uti fit quando hoc eſt individuum) etſi concurrant partialiter partialitate cauſæ, ad partem verò, nempe quivis ſuam ex concurrentibus partialiter partialitate effectûs, prout accidit, quando damnum eſt diviſibile, ita communis

munis cum Less. *L. 2. c. 13. dub. 4.* Molin. Laym.

Secunda negat teneri ad totum, sed solum ad partem damni etiam individui ex pluribus ad id concurrentibus partialiter partialitate causæ.

Tertia cum Lugo *Disp. 19. à n. 82.* distinguit obligans singulas in solidum, quando ita concurrunt partialiter, ut quævis illorum poneret damnum totum sufficienter etiam absentibus alijs, si secus, subdistinguit: vel enim causa partialis ita cooperatur damno, ut se sola non sufficienter id ponat, nec alias concausas ad id moveat, eáque non cooperante adhuc aliæ causæ damnificarent, nullâ aliâ causâ subrogatâ in locum non cooperantis, obligatur solum ad partem, ad totum verò, si sine illa verè damnum non fieret, licet se sola sufficienter non damnificet, qualiter concurrunt fures efferentes cistam gravem, quam nullus seorsim portaret.

331. Dicendum est, licet tertia sententia sit practice tuta, prima tamen mihi videtur probabilior, quam quatuor comprehendo Regulis. Prima est, quod non solùm is, qui citra ullius cooperationem, seu ut causa principalis & totalis unica causat totum damnum, sed etiam quævis causa cooperans ita influens cum altera, ut hac non adjuvante totum damnum adhuc existeret ab illa sola, debet integre restituere supposito, quod concausa nolit, aut nequeat restituere partem suam.

Regula secunda cooperans partialiter partialitate effectûs tantum, tenetur præcisè restituere partem damni à se illati.

Regula tertia, quando cooperans ita concurrit partialiter partialitate causæ, ut sine eo totum damnum impediretur, quisvis tenetur in solidum non absolutè, sed conditionate, nempe in defectu aliorum non restituentium.

Regula quarta, quando cooperans concurrit partialiter partialitate causæ tantum, seu ita, ut influat in totum damnum cum alijs, obligare totum reparare alijs suam partem non reparantibus, etsi totum damnum sine ejus influxu existeret dependenter à reliquis absque alia nova causa superaddita.

Probatur conclusio ex præmisso principio *num. 330.* quod tertia sententia probabiliter applicat, at probabilius applicatur primæ sententiæ, prout à nobis quatuor hisce Regulis comprehensæ, vi enim Regulæ secundæ causa damnificans attingit sua causalitate solum partem damni, vi autem Regulæ primæ, & tertiæ & quartæ totum damnum, & quidem vi primæ secundum omnes, vi tertiæ autem, quod licet physicè nulla illorum ponat totum damnum, quævis tamen ponat moraliter totum, quævis enim suum concursum denegando, quem ex Justitia denegare tenetur, impediret totum damnum: hinc probatur ulterius etiam quarta Regula, quod etsi singularum causarum influxus sit exiguus quævis tamen juvat ad totum damnum E. g. quisque miles auxiliatur Urbis expugnationi non tantum ratione partis suæ, sed etiam partis aliorum, nullus enim miles inferret damnum etiam partiale, nisi alij essent associati, ergo Socij mortaliter inferunt illud damnum partia-

partiale ; quod quisque miles physicè causat, ergo quisque præter damnum à se physicè illatum partiale moraliter influit in totum damnum ab alijs physicè causatum, ita Laym. *L. 3. tract. 2. c. 6. num. 5.* cum alijs contra Vasq. Molin. Less. Lugo, &c. approbatos à Gormaz *Disput. 17. num. 869.* eo quod singulorum militum influxus in damnum physicè à cæteris illatum sit debile ut vix vel parum censeantur influere, proinde vix aut parum debeant restituere ultra id, quod ipsi acceperunt, aut destruxerunt; quæ excusatio inquit, non habet locum in duce, aliisque, qui intentione, & directione causa sunt totius damni, sine quibus damnum non fieret.

Ex his infero primò singulos teneri in solidum reddere ablata in cista ab eisdem sublata, quam si vel unus abfuisset, nequiviſſent auferre. Secundò singulos Suffragantes, & Consiliarios debere reparare totum damnum, quando secluso unico eorum consilio, fuisset damnum impeditum. Tertiò id ipsum dicendum, quando duo fures ingrediuntur domum ita, ut nullus sine altero ingrederetur.

332. Dicendum secundò ex causis negativè concurrentibus obligatis ex Justitia impedire, si est unica, tenetur in solidum ad totum damnum, quando dum impedire potuit, non impedivit, partem verò, si hanc duntaxat impediviſſet, si nihil impediret clamando, &c. penitus deobligatur. Quando plures sunt ex officio obligati resistere, clamare, singuli tenentur ad totum, si possunt singuli impedire damnum, & nullus impedit: si ex pluribus E. g. duobus, neuter sufficit, sed uterque requiritur, ex utroque culpabiliter omittente, uterque obligatur in solidum, utrique enim incumbit alterum excitare ad damni impeditionem, &c. Lugo *num. 112.*

333. Quæres utrum dubius an ex sua cooperatione E. g. Consilio, vel Suffragio, vel Mandato, &c. damnum secutum sit, restituere teneatur? Respondeo probabilius affirmative cum Sanch. *L. 2. Disp. 41. n. 17. & L. 1. moral. c. 10. num. 44.* contra Petrum Navar. Medinam favente jis aperte S. Thom. *hic q. 62. Art. 7. in fin. corp.* dicente: *tunc solum teneri Consiliarium, &c. ad restitutionem, quando probabiliter existimare potest, quod ex suo Consilio fuerit subsecuta injusta acceptio, &c.*

Probatur: in pari dubio Rei, & innocentis est melior conditio innocentis, quam Rei, sed in casu præsenti certum est, quod tu injustum E. g. Consilium dederis, & certum est, quod alter damnum passus sit, proinde habeat jus certum exigendi restitutionem à causis efficaciter causantibus damnum, dubium verò est, an tuum Consilium fuerit hic, & nunc efficax, vel non, consequenter etiam dubium est ex parte innocentis, an habeat jus à te exigendi restitutionem, ergo in hoc pari dubio est melior conditio innocentis, secùs possidentis, uti Adversarij asserunt, siquidem constat possidentem esse Reum.

Dices cum Molin. *Disp. 736. n. 6.* Lugo *num. 22.* obligantibus solum ad restitutionem partis pro ratione dubij: pro quantitate causalitatis, quantitas damni est restituenda, ergo in dubio quantitatis influxûs pro ratione dubij est quantitas damni restituenda, sicut si con-

constat unum ex tribus, quorum quivis de se causam sufficientem damni dedit, damnificâsse, & nescitur quis, singuli debent restituere plus, vel minus pro ratione dubij: aut si res aliena sit apud te ad unum ex tribus spectans, perseverante dubio est res dividenda inter eos, dum nequit constare, cujus sit ex illis.

Respondeo concesso antecedente distinguo consequens pro ratione dubij est quantitas damni restituenda, nisi præsumptio sit omnes partialiter partialitate causæ in totum damnum influxisse concedo consequentiam, quam nego stante tali præsumptione, uti constat in casu primæ instantiæ. Ad instantiam alteram dico, cum res ad unicum ex tribus spectet, neque præsumatur pro ullo præ alijs, non est æquior modus restituendi, quam rem partiendo pro ratione dubij. De cætero ambæ oppositæ sententiæ sunt in praxi securæ. Quod si dicas argumentum nostrum probare, quod proles illegitima in casu prolis dubiæ habeat jus exigendi alimenta à parentibus dubijs, est enim melior conditio conditio innocentis. Respondeo ex dictis *à n. 107.* Disparitatem esse magnam, quod nequeant dari plures Patres partiales secùs in nostro casu plures causæ damnificantes.

## §. III.

## *Corollaria practica de causis ad damnum cooperantibus.*

334. COlligitur primò mandantem obligari ad restitutionem totius damni mandati, nisi ante executionem serio revocet mandatum, ita ut mandatarius prudenter credere possit revocationem (si nequit, potest tamen moneri damnificandus, est obligatio ex Justitia monendi etiam cum pari damno, secùs cum longè majore, aut altioris Ordinis, Lugo *Disp. 19. num 31.*) aut nisi mandatarius non à mandato, sed aliunde motus damnificet. Ratio: quia mandans est causa efficax totius damni, dum vi mandati fit executio, qualiter non fit, si mandatarius exequitur aliunde motus, aut scit revocationem mandati, quam si nequit intimare illi, debere damnificandum moneri à mandante etiam cum pari damno, aut non longè majore probetur; quod cum tanto suo damno debeant illatum damnum ex Justitia reparare, ergo etiam ante illatum monendo præcavere, nam in pari causa melior est conditio innocentis, ita omnes. Ex hoc principio calumniator vel falsus testis etiam cum suo æquali periculo debet retractare, quando est profutura retractio.

Amplia corollar. ad casum illati damni non demandati, dummodo id sit moraliter inseparabile à demandato damno, ut si quis mandet Petrum graviter

 san-

fauciari, mandatarius tamen occidat, aut jussus occidere Petrum, per errorem occidat Paulum, tunc enim in morali æstimatione se habent per modum unius, ergo sequitur damnum efficaciter vi mandati, secùs si mandatarius excessit limites mandantis excessu facilè separabili, ut si jussus verberare occidat, aut furari fœnum furetur simul equum, &c.

Ex his facilè patet, quod si non mandasti nocere, sed post nocumentum in tui gratiam proximo illatum ratum habuisti: etsi pecces contra justitiam approbando injuriam, non tamen teneris ad restitutionem Lugo *num. 32.* contra Navar. quia nihil influxisti in damnum ratificatione tuâ, unde ratihabitio solum relate ad eos actus, qui in suo valore pendent à voluntate ratificantis fictione juris retrotrahitur, ut in contractibus, & de similibus intelligitur Regula jur. 10. in 6. *ratihabitionem retrotrahi, & mandato non est dubium æquiparari.* Canis: ad hanc Reg. apud P. Püttner *in Maximis juris* notat eam procedere non tantum in contractibus, sed etiam actibus judicialibus. Porrò ut habet *R. I. 9. in 6. ratum quis habere non poterit, quod ipsius nomine non est gestum.* Quid autem sit nomine nostro aliquid geri videcit. Püttner ad hanc maximam, ubi etiam reperies tres ejusdem limitationes.

335. Corollar. secundum, ut scias, an, & quando consulens debeat restituere, distinguendum est triplex genus Consilij: Primò ut Consilium exquiratur, & detur de mera veritate E. g. an hic aut ille contractus sit legitimus, aut actio licita, &c. Secundò: si insuper consulens proponat necessitatem, commoditatem, &c. quæ ex damno alteri inferendo v. g. homicidio sperari potest, aut proponat modos, seu instruat, quibus valeat actio in opus redigi. Tertiò ut Consilium situm sit in meris precibus, blanditijs, minis, aut promissis inductivis alterius ad conflandum maleficium: Consilium tertij generis solum movet voluntatem, priora duo intellectum motivis imbuunt, & his medijantibus impellunt voluntatem.

Certum est primò consulentem quovis modo ex relatis ad nihil teneri, si alter damnificat non motus à Consilio. Certum est secundò obligari consulentem ad reparationem totius damni dati per Consilium cujusvis generis, quando executor damni id exequitur motus à Consilio, idque procedit, licet Consilium primi generis sit datum ex crassa ignorantia asserendo rei falsæ veritatem, aut illicitæ honestatem in damnum tertij, quando persona consulens est talis: quæ aut ex officio tenetur consulere, aut ratione statûs vel muneris sui profitetur peritiam in ea re, circa quam dat Consilium, uti sunt Doctores, Consiliarij, Medici, Chyrurgi, Advocati, Confessarij & Similes. Ratio, quia Consilium procedens ex crassa ignorantia in materia gravi est culpa Theologica gravis, quam fundare obligationem restituendi, certum est Molin. *Disp. 730.*

Si Consilium ante illatum damnum revocetur, deobligatur restituere consulens, quando Consilium fuit petitum de veritate, seu natura rei præcisè E. g. de liceitate contractûs, bonitate Medicinæ, Justitia litis, &c. Lugo *num. 36.* quia ut sic consulens teneatur restituere, debet accipiens Consilium

silium moveri authoritate consulentis, atqui nequit moveri post revocatum Consilium, cum exinde constet alteri, quod consulens non amplius idem sentiat de contractu, &c.

Hinc pariter sequitur deobligari post revocatum Consilium situm in precibus, promissis, minis, &c. ita cit. Lugo, Lessius, quia Consilium tale eatenus movet, quatenus exequens illud credit rem fore gratam consulenti, sed post scitam revocationem exequens illud nequit credere rem fore gratam consulenti.

De Consilio secundi generis, nempe de proponente utilitatem, viasque, & modos rem consulendam exequendi est probabilior sententia obligans restituere, etsi Consilium hoc revocetur, Lugo *num. 37.* Molin. *Disput 731.* Less. contra Petrum Navar. Salon. Salmant. Reginald. &c. arguentes à paritate mandati revocati ad Consilium revocatum proinde deobligantes à restitutione, si consulens revocet Consilium tale. Ratio probabilioritatis est: quod etiam post revocationem Consilium hoc, ut est moraliter causa damni, non destruatur, Consilium enim hoc ut causans damnum, seu ut movens malefactorem est objectivum consistens in utilitate, convenientia, vel necessitate, modovè exequendi à consulente propositis, sed etsi hoc suum Consilium per oppositam doctrinam revocet consulens, si tamen malefactor adhuc eo inductus infert damnum, non destruit suum Consilium ut causans damnum quia non destruit propositam utilitatem, vel convenientiam vel modum exequendi, &c. atque proposita utilitas, &c. causat damnum ergo.

Est ergo disparitas inter Consilium, & mandatum purum (si enim est admixtum Consilium, est par ratio talis mandati cum Consilio) quod mandatum non detur objectivum, sed formale tantum, influit enim præcisè propter perseverantem mandantis voluntatem, quæ cessat post seriam revocationem, Consilium verò formale non influit, seu perseverans consulentis voluntas in casu hujus Corollarij, sed motivum utilitatis, vel voluptatis operis suasi, vel necessitatis ad se vindicandum, vel ad infamiam evitandam per abortum, vel modi tuti & occulti furandi, quod motivum non cessat per Consilij revocationem, quapropter consulens abortum fit irregularis, etsi ante secutum conatus sit fœminam revocare ab eo procurando, ita Doctores nostræ sententiæ contra Patronos oppositæ: ècontra consulens duellum Petro, in quo sic occiditur, probabiliter non fit irregularis, quia irregularitas ex Consilio homicidij in jure inflicta annectitur solum Consilio directè rendenti in occisionem, Lugo *n. 40.* contra Suar. *tom. 3. de censur. Disp. 44. sect. 3. num. 18.*

Videns Consilij revocationem nihil proficere tenetur ex Justitia secundum nostra principia *per num. 334.* movere illum, cui damnum imminet, ut dictum est de mandante; sententia negans obligationem monendi ex Justitia, sed solum ex charitate est conformis suis principijs, juxta quæ negat obligationem restituendi revocato ex parte consulentis Consilio.

336. Corollar. tertium omnis, & solus consentiens peccat contra Justitiam

cum restituendi onere; cujus consensus hic, & nunc influit in damnum, unde quando omnium consiliariorum vota requiruntur ad decisionem aliquam, si hæc est injusta, omnes in solidum debent restituere, quod etiam procedit, quando certus numerus suffragiorum sufficit, & suffragia dantur secreto, secùs si dentur vocaliter, & publicè, tunc enim votum posterius numero sufficiente pro decisione, licet sit injustum, non tamen obligat restituere, nisi hic suffragator possit reliquorum suffragia invertere, prout tenetur ex Justitia, dum potest, ergo omissione suâ est causâ totius damni, proinde obligatur restituere, secùs dato suffragio post numerum sufficienter decisivum, quando nequit reliquorum vota invertere, quia tunc ejus suffragium est ineffi:ax. Ratio Corollarij est, quod omnis, & sola efficax causa damni debeat restituere, sed omnis & solus suo consensu influens in damnum est causa efficax damni, prout expositi in decursu hujus Corollarij.

Hinc si quis se absentat à Consilio ad subterfugiendum suffragium, vel præsens dare recusat, quando habet certitudinem, quod suâ præsentiâ aut suffragatione nihil prorsus sit profuturus, non peccat se absentando, aut non suffragando, quia Justitia officiales obligat solum impedire damnum cum effectu Lugo *num. 68.* contra aliquos, quorum sententia communiter est vera, unde negat Lugo eam excusationem admittendam esse nempe sub prætextu, quod suum suffragium non proderit, nisi sit evidentissimum non profuturum. De cætero sæpe fit, ut ex unius libere, & cordate prolata sententia in publico plures moveantur ad mutandam sententiam, aut fiunt cautiores imposterum, aut pusillanimiores animantur ad pugnandum pro veritate deposito timore, idcirco rarissimè quis potest licitè se absentare ex hoc capite.

Si dubites, an suffragium à te datum fuerit efficax te probabilius non deobligari sequitur ex *numero 333.* si suffragium tuum præcessit, fuissétque damnum illatum sine eo per alterius suffragium te non esse liberum à restitutione discis ex conclusione 2. *num. 329.*

337. Corollar. quartùm Palpatorem de quo *num. 328.* habere se instar consulentis, ut patet ex ejus descriptione, proinde non minus teneri in solidum, quam consulentem, quando Palpatione suâ, quovis ex dictis illis modis excitat executorem ad damnum. Lugo *Disp. 19. num. 70.* qui *num. 38.* rectè ex Vasq. Præmisit, quod movens ad nocendum laudibus, vel adulatione, vel opprobrijs, esto hæc & illa revocet, si alter adhuc moveatur laudibus, &c. ad exequendum, non excusari à restitutione per probata *num. 335. vers. de consilio secundi generis.*

Receptor damnificatoris, quod obligetur restituere est consensus omnium, dum aliquo ex modis recensitis *num. 328. v. recursus, &c.* est causa damni inferendi aut illati non compensandi, ut si furem faciat animosiorem, aut securiorem ad furandum, &c. Lugo *num. 71.* ad hoc genus causæ reducens Advocatos, & quosvis alios injustè in judicio defendentes, aut excusantes: item belliduces, quorum protectio militum est occasio, ut hi spolient homines, ac spolia injusta non reddant.

Verùm

Verùm non quisque furem, &c. recipiens censetur cooperari damno, consequenter nec fit obnoxius restitutioni sed quando receptio est expressa, aut tacita promissio præbendi recursûs, aut securitatis, vi cujus tutius furetur, furtóque ablata reponat: unde furem ut Amicum, vel ut consanguineum recipiens, vel quia miser est, aut quia domus ejus patet omnibus adventantibus per accidens se habet ad damnum ita Sporet *in Dec. tract. 4. c. 3. n. 38.*

Ex simili ratione cit. Lugo liberat à restitutione Advocatos defendentes in judicio furem in jis, in quibus ipse fur potest se licitè tueri, uti post in crimine occulto nondum semiprobato, aut quando vexatur injustè non servato juris ordine, non enim defendunt ut furem, sed ut habentem jus se tuendi, si exinde impediatur restitutio, non Advocato, sed malitiæ furis imputatur. A fortiori deobligatur à restitutione abscondens furem quæsitum ad supplicium, modo ei non det spem ulterioris similis Adjutorij, quia occultatio hæc de se tendit præcisè ad eximendum illum vitæ periculo, Lugo *n. 72.*

Excusatur etiam recipiens adactus à metu gravi, ut si latro recipiatur, quia Dominus rei ablatæ nequit esse rationabiliter invitus, Lugo *num. 74.*

De participante est certum primò, quod si non participet in actione ablativa, sed juvat absumere furtum, debeat reddere quod absumpsit. Certum est secundò si participet in actione causativa damni, sive physicè immediatè, aut mediatè, sive moraliter eum peccare contra Justitiam cum obligatione restitutionis, & quidem totius damni, si participet ut executor, aut alio modo ex adductis *n. 328. vers. participantis nomine*, concurrat, ita ut sine hujus auxilio, aliove huic subrogato alter non furaretur, aut damnificaret, secùs si tua cooperatio se habeat materialiter, ut si sine ea alter per se sit sat determinatus ad maleficium, facerétque sine ope tua, ut si teneas scalas, per quas ascenderet ad furandum, etsi eas non teneres; si ancilla à Domina vocata juvat portare furtivam cistam, quam furaretur, & tolleret sine ejus ope, si famulus Usurarij numeret pecuniam dandam ad usuras, aliàs ab ipso Domino numerandam, non enim cooperatur usuris, sed mutationi, Laym. *L. 3. tract. 2. c. 5. n. 5. & 6.*

Limita ut metus gravis excuset ab injustitia cooperantes actioni in se alteri non noxiæ, & sic excusantur Christiani in triremibus turcicis remigantes adversus Christianos, Rustici militaria spolia injusta avehentes, aut pecora inique sublata aliò pellentes: hujusmodi enim actiones non sunt intrinsece malæ, neque Domini possunt esse rationabiliter invicti Lugo *n. 74.* nullus autem eos excusat ab injustitia, & restitutione concurrentes ad actiones magis propinquas ad innocentis damnum ordinatas, ut si explodant tormenta, aut bombardas in innocentes, hoc enim est intrinsece malum, cum hoc sit formaliter occidere innocentem.

Ex his colligitur, quod non quævis cooperatio sit illicita, & contra Justitiam, etsi alter eâ abutatur contra Justitiam, ut ergo discernas, quando cooperatio tua sit injusta, sequens Regula observanda, nempe est inspiciendum, utrum peccatum immineat propinquè, vel

non propinquè idque sit malũ intrinsece, aut solùm ex præcepto positivo, si peccatũ sit malũ intrinsecè in propinquo, subministrans necessaria ad illud non excusatur, licet alij te non subministrante subministrabunt, sic nequis dare gladium furioso, quamvis hæc omnia alij præstabunt, te deficiente: si autem non in propinquo peccatum etiam intrinsecè tale sed duntaxat providetur posse fieri nempe, quod alter abuti possit ad peccatum subministrandis de se aptis servire ad finem alium licitum petenti talia licitè subministrantur, quia dubium est, an petens sit ijsdem abusurus, in dubio autem nemo præsumendus est malus. Si autem prævidetur abusurus, adhuc potest subministrari, quando prævidetur etiam bene usurus, quia tunc subministrans intendit finẽ licitum: secluso autem omni fine licito ex parte abusuri, & simul remota omni causa rationabili ex parte subministrantis, hic nequit licite subministrare, quia cooperari etiam remote absque omni causa ad peccatum est illicitum. Si demum peccatum in propinquo imminens non sit intrinsecè malum sed ex jure positivo, ut esus carnium &c. potest quis licitè subministrare carnes petentibus eas ad impediendum suum grave incommodum: propter hoc Caupones excusantur carnes suppeditando similibus, Ecclesia enim non præsumitur eos tunc velle obligare, sicut non obligat ad missam propter vitandam molestiam non levem.

338. Corolar. Quintum cum *ex n. 332.* constet solos ex officio obligatos impedire proximi damnum obligari ad restitutionem totius damni, aut partis, si non impediunt totum, aut partem damni, dum possunt impedire totum, aut partem duntaxat, sequitur, primo obnoxios esse restitutioni totius damni, Gubernatores, aliosvè Magistratus, dum eorum culpa patiuntur subditi damna per latrocinia, prædationes, &c.

Sequitur secundò simili obligatione teneri assessores, Consiliarios, Canonicos non se opponentes injustæ constitutioni, aut electioni. Tertiò hinc oneri subsunt Tutores, Curatores, Administratores bonorum &c non impedientes damna pupillorum, minorennium Ecclesiarum. Quartò etiam illi famuli, quibus alicujus rei cura, aut clavis est commissa pro tunc, hæque obligatio eis incumbit non solùm respectu extranei, sed etiam Domestici furis, si autem cura, aut clavis alicujus rei pro tunc non est commissa famulo, omnes teste Lugo *n 105.* consentiunt eum non teneri ex Justitia alium consamulum arcere à furto. Censetur autem cura specialis committi domûs præfectis, æconomis cocis, cellarijs, granarijs quoad res illis commissas, unde famulus Dominum comitans habet curam rerum, quos secum fert Dominus.

An famuli, quibus cura non est commissa advertentes exteros furari, si non impediant peccent contra Justitiam, vel solum contra caritatem sine onere restitutionis, sicut dictum est, si non impediant domesticos, est sub lite; deobligabit eos Molin. *Disput. 735. n. 5.* proinde liberat à peccato injustitiæ, at probabilius reos justitiæ condemnat cum obligatione restitutionis Lugo *n. 106.* post Less. *L. 2. c. 13. n. 75* quia omnibus domesticis aliqua domûs cura adversus extraneos committi censetur, etsi non

cum

cum speciali vigilantia, dum assumuntur ad obsequium, unde etiam famulus inquit Lugo ex rebus domesticis furto congregans, ut cum jis aufugiat, computandus est inter extraneos, debet talem quisque famulus impedire.

Sequitur quartò Custodes teloniorum, sylvarum, &c. teneri ad refusionem damnorum, quæ ex eorum negligentia sequuntur. Molin. *Disp. 739. n. 3.* cum tamen non sint causæ principales, obligantur solum in defectum damna inferentium.

Adverte tamen quod ordinarie etiam ex officio obligati, aut ex contractu impedire damnum alterius non soleant officium assumere, aut contrahere pro circumstantijs, in quibus est periculum gravis proprij damni majoris, aut æqualis in rebus fortunæ, famæ, vel honoris (nisi specialiter id sit deductum in pactum, aut natura pacti secum ferat, prout fert pactum militandi, officium parochinale exercendi curam animarum pro tempore pestis) sequitur, quod omittens in tanto periculo non teneatur restituere Molin. *Disp. 735. n. 1.*

## §. IV.

## *An determinato facere majus damnum liceat consulere minus?*

339. Dico primò supposito quod quis sit firmiter determinatus ad majus malum, ita ut ab eo dimoveri non possit ullis rationibus, potest ei dari Consilium per modum docentis explicando illi majorem gravitatem unius mali præ alio, quando decrevit utrumque aut alterutrum inferre, sive eidem, sive diversis, ita Lugo *Disput. 19. n. 46.* Ratio, quia hoc aliud non est, quam docere veritatem, quod licitum est ex intentione evitandi majus malum cum speculativa veritas de se non alliciat ad majus malum faciendum.

Dico secundò stante determinatione fixa ad majus malum, fas est positivè suadere minus malum eidem personæ inferendum, sive minus sit formaliter aut virtualiter inclusum in majori, sive non. Ita multi cum Sanch. *L. 7. matrim. Disput. 11.* contra Laym. *L. 2. tract. 3. c. 13.* multósque alios.

Probatur primò ex Aug. *L 2. de Adulterinis. conjugijs c. 14.* ubi volenti occidere uxorem suadet, ut ducat concubinam, sicque adulteretur potiùs, quam ut occidat uxorem: *utrumque*, inquit, *nefarium est, neque debet unum pro altero perpetrare, sed utrumque vitare, sed si ille facturus est malum, faciat, quod minus est, nempe adulterium cum concubina ne occidat uxorem:* Ex ly *faciat* constat contra Adversarios Augustinum non loqui

qui permissivè, seu non significare comparativam permissionem, quasi si alterutrum committendum sit, se potiùs permissurum adulterium, sed significat Consilium minoris mali, nec virtualiter inclusi in uxoricidio, utpote toto genere diverso.

Probatur secundò dum positivè consulitur minus peccatum non consulitur prout est in se sed ut est exclusivum majoris peccati, non est malum, sed honestum, cum honesta sit carentia excessûs, quo peccatum majus superat minus etiam hoc nec virtualiter continens. Confirmatur per Adversarios fas est consulere minus malum formaliter, aut virtualiter inclusum in majori, ergo etiam minus malum etiam non formaliter aut virtualiter sed solum æquivalenter inclusum in majori, quodvis autem peccatum est æquivalenter in majori, hoc enim præter gradum adæquativum malitiæ minoris continet excessum malitiæ, unde etsi suadendo minus inducat in peccatum formaliter, aut virtualiter novum, non tamen inæquivalenter novum, quod sufficit, ut consulens non censeatur Author peccati, cum coram DEO perinde sit peccare hoc, vel illo peccato per omnia in malitia æqualib°. Est igitur licitum obfirmato ad adulterium suadere fornicationem, obfirmato ad occidendum, mutilationem E. g. brachij, &c. volenti sodomiam aut adulterium, hoc præ illa, &c.

340. Dico tertiò quando majus, & minus malum est inferendum diversis, jámque malefactor decreverat Paulo inferre majus nihil cogitans de minore malo inferendo Petro, certum est licere tibi dehortari illum, ut non faciat majus malum E. g. non furetur equum, quia Consilium tuum respectu minoris mali habet se pure permissivè, idque licitè, dum impedire non pores.

Amplia conclusionem cum communiore sententia eo casu etiam fas esse consuli in communi, ut potiùs malefactor noceat alicui alteri nullum in particulari nominando E. g. relinque hunc pauperem, non deerunt alij ditiores, hoc enim Consilium directè solum excludit à furto majore, non autem in communi proponens alia furta forte non cogitata moraliter influit in eadem, cum etsi hæc furi non suggeras, hic statim de alijs cogitaret, dum dissuades illi furtum majus Lugo *num. 49.* merito docens oppositum *num. 47.* scilicet nefas esse consulere ullo in casu ( nisi minus sit de genere eorum, quæ alter subire ex charitate tenetur ad vitandum majus proximi damnum ) ex binis propositis etiam per modum docentis, ut E. g. potiùs minus malum inferat Petro, quando de hoc nihil cogitavit malefactor, aut de eo cogitans decreverat majus inferre Paulo, quia tunc non pure explicat veritatem, nempe esse minus malum furari Petro, quam Paulo, sed cooperatur ad minus malum tollendo in malefactore, vel ignorantiam, seu incogitantiam de furto ex rebus Petri, aut impossibilitatem Petro furandi, videlicet decretum statuens furari soli Paulo ( hoc stante est impossibile furari Petro minus ) quod decretum, & ignorantia se habet instar portæ claudentis res Petri, quam portam aperit docens præfato modo veritatem, atqui aperiens ut malefactor possit furari, cooperatur ad furtum cum obligatione restituendi, &c.

§. V.

## §. V.

## *Quo ordine causæ cooperantes obligentur restituere?*

341. COnvenit inter Doctores ante omnes obligari illum apud quem res furtiva extat in se, vel ejus pretium, aut in æquivalenti, obligatio enim ratione Rei alienæ est summa. Lugo *Disp. 19. num. 19.* ubi Molin. Less. extendunt ad eum, qui rem ad se pervenientem injustè absumpsit, etsi non sit factus locupletior (dum aliæ causæ non erant eo principaliores) quia tunc est causa Principalis exequens ultimam Rei destructionem, causa autem principalis exequens tenetur restituere ante omnes alias. Lugo *num. 120. & 126.* nisi causa exequens fecerit executionem ultimo destructivam ex mandato alterius, quia tunc executor est causa instrumentalis physica, mandans est causa principalis moralis, sed principalis moralis tenetur prius restituere, quam physica instrumentalis, ergo prius tenetur mandans, & quidem contra Molin. etsi executor consumens rem injustè usurpatam non accepisset à mandante in præmium delicti, quia ut arguit Lugo *num. 191.* mandans adhuc est causa principalis, quocúnque titulo det executori, nisi ut rectè limitat Lugo *num. sequent.* executor cesset esse causa instrumentalis in Rei absumptione, seu ultima ejus destructione, ut si mandatum habeat accipiendi, secùs absumendi, quo casu absumens facit id suo nomine, proinde titulo injustæ actionis talis est causa principalis.

342. Hoc præmisso Vasq. apud Lugo *num. 123.* comparans ipsas causas cooperantes injustas inter se tres Regulas statuit. Prima est primo loco obligari causam physicam damni executivam, quæ non concurrit ut instrumentum causæ moralis principalis, alios concurrentes ad idem obligari secundo loco, seu in defectum hujus, nisi ut limitat Haunold. *tract. 2. n. 381.* ex Lugo *n. 124.* exequens exequatur damnum fide bonâ (quia tunc executio ut injusta non est libera) aut causa moralis fraude induxerit ad damnificandum, etsi enim exequatur nomine suo damnum, & non ut instrumentum inducentis, quia tamen injuriosè consulens eum conjecit in obligationem restituendi, obligatur propter hanc injuriam servare indemnem.

Ratio Regulæ, quod causæ morales respectu physicæ suo nomine exequentis sint minus principales, physica autem principalis; hujus enim negotium geritur, proinde suscipit in se totum onus restituendi. Nomine autem executoris intelliguntur omnes illi, qui immediatè influunt physicè in damnum Molin. *Disp. 737. n. 4.* Ex hoc.

Sequitur primò si in defectum executoris à reliquis cooperantibus sive moraliter ( ut consulens , adulator , non obstans , &c. ) sive physicè mediatè ( ut instrumenta conficiens , tradens , scalas applicans , &c. ) restitutio fiat , debet postea executor jis restituere totum ècontra facta per executorem restitutione : cæteri nihil tenentur etiam ipsi executori refundere , Molin. cit. consulens igitur , rogans , docens , &c. concurrit solùm secundariò velut armans ac instrumenta præbens furi , Lugo *num. 124.*

Sequitur secundò Princeps bonâ fide indicens bellum , aut tributum injustum , vel quoad substantiam , vel quoad modum , nempe non observatâ inter subditos proportione inductus à Consiliarijs , hi si malâ fide , aut ex crassa ignorantia consuluerunt , tenentur primò loco , ita Haunold. quia Principem injustè conjecerunt in onus restitutionis. Huc revocat Advocatos , Medicos , Confessarios , Consilium injustum dantes , addítque accipientes pretium pro Consilio teneri non solùm de dolo , sive ex culpa lata , sed etiam de levi , profitentur enim notitiam rerum , quas consulunt , ècontra teneri de sola culpa lata non profitentes notitiam rerum supra alios.

343. Regula secunda omnis causa principalis , etsi sit moralis obligatur primo loco ante alias etiam physicè executivas , si hæ tantum operatæ sunt , ut instrumenta illarum , ejusmodi causa principalis est causa cogens alium ad furandum imperio , Authoritate , minis , proinde tenetur primo loco , nisi apud furem res extet , vel sit factus ditior , aut propriâ Authoritate furtum absumat , tunc enim est causa principalis , ut dictum est ante primam Regulam. Causa etiam principalis censetur convitijs impellens alium ad delictum , est enim quædam coactio , quia impulsus facit , ut convitia effugiat. Item omnis jubens aut rogans , ut ejus nomine delictum fiat , quia etsi non cogat , quia tamen vult suo nomine fieri , assumit in se totum onus restituendi , etsi executor sit mercede conductus , adhuc enim est instrumentum Domini , ut patet in famulo mercenario. Lugo *n. 126. & sequent.* amplians *n. 128.* contra Vasq. licet jubens non sit superior executoris , quia quod executor non sit subditus jubentis probat quidem quod non exequatur æque coactus , ac exequitur subditus , facit tamen æque nomine jubentis suscipientis in se totum onus , ergo primo loco non tenetur exequens , etsi non subjaceat jubenti , & secundo loco jubens sed hic primo loco obligatur.

344. Regula tertia : reliquas causas non executivas nomine suo , neque principales respectu exequentium obligari æque principaliter in defectu principalium , ita Less. Molin. Haunold. nempe quando ut observat Lugo *n. 130.* una causa non subordinatur alteri : ablatâ enim subordinatione nulla apparet ratio Ordinis in obligatione restituendi , cum nec consulens operetur per laudantem vel consentientem vel ècontra.

345. Etsi autem omnes positivè cooperantes æque immediatè in sensu Regulæ teneantur , non tamen æqualibus portionibus. Haunold. *tract. 2. n. 387.* quia est inæqualis , seu major vel

vel minor influxus, unus enim consulit furtum, alter scalas admovet, tertius vigilat, &c. sed vigilans minus concurrit, quam scalas admovens, hic minus, quam consulens, aut modum furandi ostendens, quæ autem sit proportio in hoc ipso servanda fatetur certa Regula definiri posse, credit tamen esse illam ipsam, quæ observaretur, si ex summa illa furtiva fieret remuneratio operæ à singulis collatæ secundum operæ æstimationem.

Ex his facilè colligitur, quod quando sunt plures causæ executivæ partialiter partialitate effectûs damnificantes, ut dum plures citra omne Consilium vastant vineam singuli decerpendo motu proprio botrum, quisque tenetur ad restitutionem damni solùm à te illati, etsi cæteri non restituant damna à se illata Haunold. *num. 384.* subdens quando plures communi Consilio & Assistentia concludunt damnificationem v. g. occisionem Petri, prior hujus occisor non tenetur solus, sed etiam reliqui, quia tunc tuo & aliorum nomine damnificat, & se se invicem quasi pro instrumentis constituunt, ut qui prius posset damnificet in suum & sociorum commodum.

346. Dubium restat an causæ negativæ cooperantes comparatæ cum positivis, de quibus in tertia Regula æque immediatè teneantur? Secundò an inter easdem invicem comparatas detur aliquis Ordo uti inter positivas, Lugo *à num. 133.* ex Vasq. negativas obligat post omnes positivas, quia earum restituendi obligatio supponit damnum à positivis illatum, & nondum reparatum ab his, qui tenebantur impedire, ergo obligatio illorum est hypothetica, nempe si positivæ non restituant. Hæc sententia est practicè tuta, uti & cum Vasq. non agnoscens ullum ordinem inter negativas contra Lugo ponentem sequentem ordinem. Primo loco superiores. Secundo Custodes rei. Tertio testes veritatem tacentes, obligatósque ex officio consulere: est contra Less. *L. 2. c. 13. n. 80.* ubi Custodem rei particularis obligat ante superiorem E. g. Magistratum, quia hic est solùm Custos Universalis ad supplendum defectum particularis.

Respondeo probabiliter post executorem (hic respectu cæterorum est principalis per Regulam primam) omnes causas tam positivas quam negativas obligari immediatè ad restitutionem (nisi una alteri subserviat, ut subservit Custos particularis œconomo Universali, cui nulla res in particulari committitur, sed sola vigilantia supra cæteros, ut negligens impedire tenetur, duntaxat in defectum Custodis particularis) non tamen æqualibus portionibus *per n. 345.* minus enim influunt negativæ quam positivæ. Ratio prioris partis est ex Regula tertia negante Ordinem inter secundarias causas positivas invicem comparatas, ergo etiam non datur inter positivas secundarias comparatas cum negativis, sublata enim subordinatione etiam in hac comparatione nulla est principalis respectu alterius, nec negativa ulla subservit positivæ.

Pro complemento dictorum nota, quod causa principali restituente secundariæ ad nihil teneantur, sive damnificato, quia jam recepit suum, sive principali, licet principalis in executione fuisset secuta Consilium minus principalis (dummodo vi, aut fraude consulens

non induxerit ) quia exequendo damnum recepit in se totum , ergo hoc per eam reparato secundariæ sunt deobligatæ ; cum solùm in defectum principalis teneantur : quapropter si causa secundaria restituit , huic patet regressus ad principalem , quæ secundariæ debet refundere totum ab ea restitutum , in defectum autem principalis à reliquis concausis restituens habet jus repetendi à singulis pro rata

Quando ex secundarijs plures æqualiter concurrant , ut plures E. g. executores , vel consulentes , quævis obligatur ad totum , reliquis nolentibus , vel impotentibus cum jure repetendi ab his secundarijs suam partem. Hinc resolvit Molin. *Disput. 737. num. 6.* Lugo *num. 138.* si tres teneantur æqualiter reddere 12. restituente uno integrum in defectum aliorum , reliquo duo debent ei refundere 8. aut si post restitutionem ab uno factam alter ex duobus pœnitentiâ ductus vult restituere , debet restituere tua quatuor , ac loco tertij duo , proinde universim 6. quia tenetur æqualiter subire onus cum primo restituente , supponitur enim quisque esse causa totius damni : eo casu casu quisque horum duorum habet jus repetendi duo à tertio.

347. Colligitur autem primò ex hactenus discussis , quod cum secundariæ teneantur tantum in defectum principalis , non statim sint adigendæ ad restitutionem , sed prius explorare debeant , an principalis possit restituere ; sitque restitutura , nec ne.

Colligitur secundò , quod , si damnificatus remittat damnum causæ principali , secundariæ deobligentur , secùs principalis ob remissionem secundarijs factam à damnificato : uti nec condonatio secundariæ uni facta eliberat alias secundarias à sua quota , uti nec , dum plures sunt causæ principales æque primo influentes , condonato uni debito condonatur alijs , sed obligantur ad totum detractâ parte condonata ex Molin. *n. 4. & 5.* Less. *à n. 45.* S. Thom. *hic q. 62. Art. 6. ad tertium & Art. 7. ad 2.* apud quos reperies doctrinam traditam hic à V. pro complemento.

Colligitur tertiò , dum agitur de restitutionis obligatione , advertendum primò , an obligatus restituere positivè , aut negativè sit cooperatus : si positivè , oportet discernere , ad quam ex sex recensitis *num. 328.* reducatur , postea advertendum est ad doctrinam communem omnibus cooperantibus traditam *n 329.* ad discernendum autem , an ad totum vel ad partem quis teneatur , relegenda sunt , quæ exposui *à n. 330.*

DIS-

# DISSERTATIO V.

## *De Restitutione.*

## ARTICVLVS PRIMVS.

### *An Restitutio sit necessaria ad salutem?*

348. Necessitas ad salutem, est alia medij, alia præcepti. Id est necessarium necessitate medij ad salutem quod est medium per se institutum ad conferendam primam gratiam, seu ad peccati remissionem, unde cum sine gratia nemo salvari possit, sequitur, quod etiam inculpabiliter omittens tale salutis medium non salvetur: necessarium autem necessitate præcepti est omne id, quod est necessarium, ut observetur præceptum, seu ut impediatur novum peccatum, quod si fieret, impediret salutem, idcirco si inculpabiliter omittitur, salus non impeditur.

Dico primò restitutio non est necessaria necessitate medij ad salutem, ita plerique Theologi contra Gabrielem, &c. Probatur: quod est necessarium præcisè, ut evitetur novum peccatum, secùs ut medium per se ordinatum ad delendum peccatum, non est necessarium necessitate medij ad salutem, sed restitutio est præcisè necessaria, ut evidetur novum peccatum, secùs ut medium per se ordinatum ad delendum peccatum, ut patet in inculpabiliter non restituente, ergo major patet: nisi enim hæc sit differentia omnia necessaria necessitate præcepti forent etiam necessaria necessitate medij. Hinc dixi *in tract. de Sacram. num. 23.* solum Baptismum, & Sacramentum pœnitentiæ esse necessaria necessitate medij ad salutem, secùs Evchariſtiæ, licèt etiam hæc probabiliter per accidens conferat primam gratiam, quia non Evchariſtia, secùs priora Sacramenta per se ordinantur ad primam gratiam, seu ad delectionem peccati, Evchariſtia verò per se ordinetur ad evitandum novum peccatum.

Dices Baptismus, & Pœnitentiæ Sacramentum, sunt necessaria necessitate

tate medij ad salutem, quia sine illis in re, vel in voto, in dilectione, aut contritione perfecta incluso susceptis salus non obvenit; sed etiam sine restitutione rei alienæ in re, quando hæc fieri potest, vel in voto incluso in dilectione, &c. quando fieri non potest ob ignorantiam, aut impotentiam, nulli salus obvenit.

Respondeo distinguo majorem, quia sine illis in re, vel in voto susceptis velut medijs per se ordinatis ad remissionem peccati salus non obvenit concedo majorem, quia sine illis solùm requisitis, ut evitetur novum peccatum salus non obvenit nego majorem, restitutio autem in re, vel in voto est necessaria duntaxat ut medium evitandi novum peccatum, hinc votum restitutionis inclusum in dilectione, quando fieri potest non est per se ordinatum ad delendum peccatum præteritum, sed impediendum novum. Eodem modo votum Eucharistiæ inclusum in dilectione non est propositum per se ordinatum ad delendum peccatum præteritum, sed ad impediendum novum.

349. Dico secundò restitutio est necessaria ad salutem necessitate præcepti primò naturalis, quia lumen naturale dictat, quod tibi non vis, alteri ne feceris: ergo sicut non vis jus tuum lædi, aut si est læsum, vis id reparari, ita debes læsum reparare. Secundò positivi divini ex primâ Cor. 6. *Neque fures Regnum DEI possidebunt.* Et Matth. 22. *reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari.*

Dices jus proprietatis nulli creaturæ est naturale, sed accidentale utpote separabile à creatura, ergo ejus violatio non est reparanda ex naturali præcepto. Respondeo transeat antecedens de quo vide *num. 5.* nego consequentiam quia supposito jure proprietatis etiam accidentali, ratio dictat non esse violandum, & si est violatum, ut resarciatur.

Quæres an anima defuncti tamdiu hæreat in purgatorio, quamdiu hæres, aut executor testamenti omnia debita non persolvat? Ratio affirmandi sunt plures animæ ex purgatorio apparentes postulantes persolutionem antequam non sint liberandæ, uti testantur scriptores pij, & de hoc ipso extant Testimonia S. Birgittæ *L. 6. Revel.*

Respondeo negativè, fieri tamen posse, ut diutiùs hæreant, si restitutio fieret citiùs. Ratio primi ex communi apud Dicastil. hic *L. 2. tract. 2. Disp. 1. dub. 4. n. 38.* contra Angelum, nam defunctus aut in mortis Articulo fecit quantum potuit, ut debita persolverentur, vel non? si non fecit pro posse, jam non est in purgatario, sed in inferno, si fecit pro posse, ergo postquam fuerit satis passus juxta mensuram pœnæ peccatis remissis debitæ, est contra æquitatem, ut detineatur in purgatorio donec hæres, &c. restituat debita. Omissio enim hujus non est imputabilis testatori, sed hæredi. Ratio secundi, quod licet per se, ac directè non habeat vim satisfaciendi post mortem restitutio ab hærede facienda, utpote pro tunc non libera defuncto, multipliciter tamen proinde per accidens, ac indirectè prodest defuncto. Primò per modum suffragij illam pro defuncto applicando. Secundò quatenus DEUS ob illam executionem tum à defuncto, dum adhuc viveret applicatam, tum ad procedentem ab Executore DEUS potest inclinari, ut fideles

exci-

excitet ad orandum pro eo. Tertiò post restitutionem persoluti excitantur sæpe ad preces pro defuncto.

Ex his respondetur ad rationem affirmandi, quod non probet defunctum liberandum ante restitutionem, sed quod contingat sæpe cum tam citò non exire sicut exiret si citius fieret restitutio, per quam sæpe juvatur, ut citius exsolvat totam pœnam debitam, quam sine illa propter allatas rationes ad secundum.

Instabis restitutio post mortem, si de se non satisfaceret pro defuncto, fideles in vita legata reliquentes deciperentur, cum credant sibi profutura ad pœnæ remissionem, secundo si non prodessent, executores per omissionem legatorum non facerent defuncto injuriam, hoc autem est falsum, siquidem secundum jus omittentes sunt excomunicandi *C. qui oblationes 13. q. 2.* ergo executio legatorum prodest defunctis, quod fieri nequit, nisi prout procedit à voluntate defuncti, ergo est satisfactoria, seu pœnæ remissiva. Respondeo nego decipi fideles licet executio prout fit ab hærede &c. immediatè, & directè non prosit defunctis, adhuc enim ipsa voluntas relinquendi legata prodest illis directè, ejus verò executio executori mandata prodest illis duntaxat indirectè ut dictum. Executores omittentes solvere legata, & debita faciunt injustitiam defunctis, quia ex officio, seu Justitia obligantur exequi, Item faciunt injustitiam pauperibus legatarijs, aut creditoribus habentibus jus strictum ad legata & debita.

# ARTICVLVS SECVNDVS.

## *An præceptum restituendi sit positivum, vel negativum?*

350. Dicendum est, quod directè ac per se sit affirmativum, indirectè verò negativum, prohibens omissionem actionis impeditivam actionis positivæ restitutionis, ita Tambur. *L. 8. in Dec. tract. 3. c. 1.* Gormaz *Disp. 14. n. 754.* contra Lugo & plures alios. Probatur primo præceptum restituendi per se, ac directè non prohibet actionem retentivam rei alienæ, ut patet in restitutione famæ, in qua per se, ac directè non prohibetur positiva famæ detentio, cum infamator eatenus famam retineat, seu non restituat, quatenus omittit verbo, aut scripto revocare causatam infamiam, ergo per se, ac directè præcipitur in restitutione famæ positiva actio revocatoria, Eodem modo restitutio temporalium fit per actionem positivam, per quam teditur

ditur res ablata, aut consumpta vero Domino, ergo hoc præceptum per se, ac directè præcipit actum positivum, non autem per se, ac directè prohibet actionem positivam, ut patet primo in casu quo res absumpta est à fure, tunc enim nihil positivè retinetur. Secundò in casu possibili, quo DEUS furi daret potentiam replicandi aureum furto sublatum: quo casu restituendo illum sub una locali præsentia satisfaceret Domino: & tamen adhuc positivè retineret eundem sub alia præsentia, ergo positiva retentio directè, ac per se non prohibetur à restitutionis præcepto aliàs dicta præsentia directè prohiberetur; prohibetur igitur solum indirectè, quatenus scilicet impedit actionem positivam, per quam res redditur Domino suo, unde cum supposito dicto miraculo aureus est jam restitutus, hinc nec indirectè prohibetur retentio ejusdem sub alia præsentia utpote non impediens restitutionem.

Confirmatur non obstat quod præceptum restituendi reducatur ad præceptum septimum Decalogi negativum, ex hoc enim non probatur esse directè tale: sicut etsi præceptum solvendi debita reducatur ad dictum præceptum, attamen est directè positivum, præcipit enim solutionem debiti sitam in actione positiva, prohibetur verò indirectè omissio solutionis, unde non solutio debiti non est continuatio alicujus actionis damnificativæ, quia obligationem solvendi debita nulla præcepit damnificatio, igitur præceptum solvendi est per se positivum, ergo etiam præceptum restituendi est per se positivum, etsi spectet reductive ad septimum Decalogi.

351. Objicies primò, si equus à te furto sublatus aufugiat ad Dominum suum: jam restituisti, & implesti præceptum (quin ullam actionem positivam exercueris) nempe per hoc quod amplius non retineas equum, ergo restitutio non est actio positiva, sed negativa, nempe non continuatio actiones positivæ contra jus proximi, ergo præceptum directum restitutionis est negativum, seu prohibens perseverantiam positivæ actionis injustæ. Secundò præceptum obligans semper pro semper est negativum, tale est præceptum restituendi.

Respondeo ad primum distinguo antecedens id concedendo de restitutione, & impletione præcepti materiali, secùs de formali, non per hoc, quod non retineas equum, sed quia cessat materia, sub qua obligat restituendi præceptum: negatur autem utraque consequentia: sicut quando mihi remittitur restitutio ad nihil teneor, non quod restituerim, sed quia materia restitutionis est sublata.

Respondeo ad secundum obligare semper pro semper est proprietas non quarto sed tertio modo præcepti negativi, quatenus omne negativum est tale, sed non solùm, sicut omnis homo est bipes, sed non solus, dico ergo quod etiam præcepto positivo restitutionis non secundum quod affirmativum est, sed secundum quod est negativum obliget semper pro semper, nempe quatenus prohibet continuationem illatæ damnificationis.

AR-

# ARTICVLVS TERTIVS.

## *De radicibus restitutionis.*

352. CErtum est quod universalis radix restitutionis sit læsum jus proprietatis alterius, & lex naturalis, ac positiva eam præcipiens; hæc radix est formalis, ac quasi activa, de qua hucusque actum. Sermo hic est de alio genere radicis, nempe materialis, seu tenentis se ex parte materiæ & objecti, ac præbentis occasionem, ut quis sit adstrictus restitutionis præcepto. Radices hujusmodi Dicastillo ponit tres, alij quatuor, alij septem, injustam damnificationem, injustam acceptionem, injustam retentionem, injustam cooperationem, rem acceptam, ex contractu, ac demum ex quasi contractu, nempe ex munere, ex officio assumpto, ut Parochus, Judex, Advocatus, Tutor, Curator, Executor, Medicus, Chyrurgus, imò si pro stipendio conducti sunt, tenentur ab absoluto contractu.

Dicendum est cum Lugo *Disp. 8. sect. 2.* ex D. Thom. obligationem restitutionis strictè talis radicari solùm in re accepta, vel in injusta acceptione, cujus nomine venit hic tam ablatio, quam damnificatio, utraque debet esse actio externa, nam sola hæc ponit inæqualitatem inter debitum unius, & jus alterius, unde furans vestem tuam credens esse meam, mihi nihil reddere tenetur, quia contra me solo assensu interno fuit injustus.

Dixi *restitutionis strictè talis*; quia obligatio aliquid præstandi vi, aut quasi vi contractûs non est restitutio propriè talis (hæc enim est juris formaliter, aut naturaliter læsi reparatio) sed est aut solutio, aut traditio æstimationis. Leges jubentes reparare damnum à tuis animalibus illatum, aut non obligant in conscientia ante Sententiam judicis, aut obligant solùm ad restitutionem in lato sensu. Ex his ratio conclusionis est, quod universa restituendi obligatio sit, aut delictum, aut non delictum: si delictum, sub hoc comprehenduntur prima quatuor radices sententiæ septem ponentis, si non delictum, tunc radix est sola res accepta, secùs contractus aut quasi contractus, ut explicatum est, ergo est duntaxat duplex videlicet injusta acceptio, aut res accepta.

Differentia inter has duas radices est hæc notabilis, quod obligatio ex re aliena non sit perpetua, sed transeat cum re de persona ad personam nondum absumptâ re, aut cessat totaliter, si sit absumpta, ita ut nec in æquivalenti existat superstes: obligatio verò ex injusta actione sit perpetua, donec restituatur, fundatur enim in acceptione injusta rei nondum restitutæ.

# ARTICVLVS QVARTVS.

## *De obligatione restitutionis ex re aliena possessa.*

353 POssessor rei alienæ est, aut bonæ, aut malæ fidei: quando quis possidet sciens, aut credens rem esse alienam, aut ignorat ignorantiâ mortaliter culpabili esse talem, dicitur malæ fidei possessor; si prudenter existimat esse suam, dicitur possessor bonæ fidei, quam non impedit culpa venialis *per n. 173.* de utraque hac fide fusè dictum est *à n. 171.* Præter bonæ, & malæ fidei possessorem datur possessor fidei dubiæ, estquè ille, qui dubitat an res sit aliena, quod dupliciter accidit Primò accipiendo rem cum tali dubio. Secundò post fide bonâ acceptam dubitando an sit aliena. Huc revocatur dubium, quo debitor sit dubius, an solverit debitum, aut commodatarius, vel depositarius dubirat, an sua culpa interierit commodatares, vel deposita. Idem est de conductore.

### §. I.

### *De restitutione possessoris bonæ fidei.*

354. FRuctus rei sunt triplices, naturales, industriales & mixti. Primos gignit natura sine notabili hominis industria, ut herbas in pratis, glandes, nuces, Sylvas cæduas &c. Industriales sunt qui potissimùm adhibito hominis labore, & cura rei alienæ impensa proveniunt, ut lucrum ex alieno instrumento artefacto, negotiatione pecuniæ, exportatione frumenti alieni ad locum, ubi carius venditur, aut ex furtivo semine in tuo agro seminato, semen enim utpote mortuum, per se non fructificat, sed vivificatur ab agro, & ideo est potius fructus agri, quam seminis. Mixti sunt, qui pendent partim à notabili beneficio rei alienæ, partim à notabili industria humana, ut segetes in alieno fundo natæ ex semine à te injecto, & secundum aliquos. Ut Platell. fœtus animalium, lac, lana, in eis enim sustentandis necessaria est notabilis industria.

Advertè tamen bene, quod fructus mixti, quando in ijs natura prævalet industriæ, sint regulandi secundum fructus naturales, quia tunc dicendi sunt simpliciter naturales, quando autem prævalet industria, induant naturam industrialium, in dubio autem, quodnam illarum prævaleat, relinquitur in foro externo judicis, in interno autem Con-

confessarij prudentis arbitrio. Censet autem Sanch. *L. 2. Moral c. 23. n. 53.* Cum Barth, Baldo, Menoch. Covarruu. fructus civiles regulariter industrialibus accensendos, quia magis industria versatur in domibus construendis, locandis, & censibus constituendis. At Haunold. *tract. 3. n. 263.* eos distinguit ab industrialibus, quia non sunt propriè fructus, sed loco, ac vice fructuum habentur *Leg. usuræ ff. de usuris*, plerosque tamen fructus civiles revocat ad mixtos, ut pensiones rerum locatarum, mercedes servorum, vecturæ navium, jumentorum &c. vocantur autem fructus civiles idcirco, quod fictione juris civilis loco fructuum habeantur. Dixi *plerosque* quia usuras ex pecunia aliena revocat ad mere industriales propter *L 221. ff. de U. S.* Econtra Lugo *Disp. 17. n. 40.* inter fructus simpliciter naturales reponit animalium fœtus, lac, lanam, quia natura prævalet. & *n. 50.* pretium elocationis domûs eisdem accenset

355. Dicendum est ex universali in Theologia recepta Regula apud Lugo *Disp 17. n. 8.* Possessor bonæ fidei obligatur solum, quam primum commodè potest restituere Domino rem ejus extantem, aut quantum ejus causa sub momentum, quo rescit esse alienam cum debito eam restituendi, factus est certo locupletior. Ratio quia si res extat adhuc habet jus in re Dominus rei, ergo is, apud quem extat haber debitum eandem statim, si potest, restituendi: Si autem in se non extat, ut si est bonâ fide vendita vel absumpta cum emolumento absumentis, ut si tantundem pepercit rebus suis, proinde est factus ditior Dominus rei habet jus ad rem respectu pretij pro re accepti, vel ad id, in quo evasit ditior, hoc enim totum succedit loco rei.

Dixi primò *quamprimum* commodè potest, quia ab eo tempore non restituens potens restituere incipit possidere mala fide, & formaliter violare jus alterius.

Dixi secundò *quantum ejus causa*, unde si domi cænando plus insumpsisset, quam insumpserit bonâ fide cænando ex furtivis, non tenetur totum valorem suæ cænæ reddere, sed valorem absumptum in cæna furtiva.

Dixi tertiò *sub tempus quo rescit.* Si enim dubitat an sit aliena, aut solùm probabiliter advertit alienam esse, non est obligatio statim reddendi, sed diligenter est veritas indaganda, quâ diligentiâ præmissâ, si nequit certò constare esse alienam, dubium prudenter deponi potest, & res retineri, cum melior sit possidentis conditio. Deinde etsi patrimonium fuisset auctum ante habitam notitiam, si tamen bonâ fide est absumptum per hoc non est ditior factus tempore, quo cessat fides bona, consequenter cessat obligatio restituendi.

Dixi quartò *rescions esse aliendm cum debito restituendi*: quia etsi rescia-tur esse aliena, si tamen non advertatur ad obligationem restituendi, cessat obligatio restitutionis, etsi res perierit, aut sit absumpta citra augmentum suæ substantiæ: nam *per n. 174.* illationem quartam fides non cessat sine advertentia ad præfatam obligationem

Dixi quintò *factus certò locupletior.* nam dubius an sit ditior factus, deobligatur in foro utroque propter meliorem possessionis Conditionem, Sanch. *L. 2. Mor. c. 23. n. 37.* contra aliquos.

356. Infero primò fide bonâ donans rem alienam non donaturus aliam, si eâ careret, ad nihil tenetur, quia ejus causa non est ditior, secùs si occasione donationis â donatario accepisset remunerationem, hæc enim succedit in vices rei donatæ Sanch. *n. 30.* nempe secundum valorem rei donatæ, secùs quoad excessum.

Inferò secundò fructus naturales rei spectare ad Dominum, unde fructus agri spectant ad hujus Dominum, etsi apud hunc ager defectu culturæ nullos tulisset, Lugo *n. 40.* unde cum fructus pecudum sint simpliciter naturales *per n. 354. in fin.* pertinent ad Dominum. Eo revocatur etiam pretium elocationis Domûs, equi, usus torquis &c. Lugo *n. 50.* pretium enim hoc est pro usu Domûs &c. qui est inseparabilis à domo &c. hinc non est paritas à pretio accepto ex pecuniæ alienæ negotiatione, ubi verè actioni tuæ pretium correspondet, secùs elocatione rei alienæ ut dictum.

Infero tertiò fructus merè industriales etiam extantes non esse restituendos, sequuntur enim industriam.

Infero quartò fructus mixtos possessor bonæ fidei detractis expensis debet restituere: fructus enim ut notat Sanch, *n. 48.* ex jure civili sunt illi, qui ex re frugifera supersûnt deductis expensis in ijs excolendis, colligendis, & conservandis factis: secundum hoc enim sunt, opus naturæ, est contra aliquos apud San. *à n. 63.* attribuentes possessori bonæ fidei fructus mixtos, contra quos est apertè *Lex certum 22. Cod. de rei vindicatione: certum est*, inquit, *malæ fidei possessores omnes fructus solere cum ipsa re præstare, bonæ fidei verò extantes.* Unde cum hæc lex codicis sit posterior Legibus in speciem huic illationi repugnantibus apud Lugo *à n. 41.* revocat has anteriores, ita Haunold.

## §. II.

## *De restitutione rei malâ, aut dubiâ fide possessæ.*

357 CErtum est primò Possessorem malæ fidei non teneri restituere fructus mere industriales, sed satisfacere restitutione rei.

Certum est secundò obligari reddere fructus non modo naturales, sed etiam mixtos deductis expensis etiam absumptos, quin ditior evaserit *per cit. L. 22. in fine, n. 356.*

Dixi *absumptos*: nam si casu, aut justa hostili incursione pereant æque certo perituri apud Dominum E. g. incendio, aut inundatione, &c. deobligatur eos resarcire, Less. *L. 2. c. 12. num. 92.* quia Possessor malæ fidei ratione interitûs rei, aut fructuum non est causa efficax damni, quod si pereant incursione hostili injustâ, non excusatur à restitutione

tione malæ fidei Possessor, sed hic subit idem onus, quod subijsset ille alius, Lessius cit. Idem onus eum gravat in casu, in quo dubium est, an res, fructúsque ejus apud Dominum perijssent, ut si dubitetur, an eam alienâsset ante tempus interitûs, quia in dubio melior est conditio innocentis, cit. Less. quia *à num. 93.* probabiliter liberat à restitutione eum, qui rem certo perituram casu, aut justè absumit, intra illud tempus, quo apud Dominum perijsset: Dominus enim præsumitur tunc non esse rationabiliter invitus, quia in jis circumstantijs est nullius pretij contra Palao *tract. 31. p. 24. §. 9.*

Quid si manens apud Dominum certò perijsset incendio, vel justâ incursione, at tu eam furto surreptam transfers ad locum securum, eamque ibi absumis, aut tibi furto tollitur, aut postquam morosè non restituisti, casu perijsset? Respondeo cum Lessio *n. 96.* futem debere restituere, quia res eo in loco non cessat esse Domini secundum valorem, quem in eo habet, ergo secundnm eum restituenda.

Certum est tertiò *ex n. 355.* Eum, qui bonâ fide possedit, sed postea suborto prudenti dubio, an res sit aliena, obligari sufficienter veritatem inquirere; justitia enim obligat, ne ullus periclitetur in rei suæ amissione ex culpa tua: Præmisso sufficienti examine, si adhuc dubium tolli non potest speculativum, possessor ad nihil tenetur, non enim laborat dubio practico, sed hoc impeditur per meliorem possessionis Conditionem.

Certum est quartò eum, qui initio possessionis dubitat, an res sit aliena, ut si rem emat prudenter dubitando, an sit furtiva debere sub mortali inquirere veritatem ex Justitia; quia alter habet jus certum ad aliquam spem circa illam rem, quâ spe privo illum incipiens possidere cum eo dubio, nisi veritatem inquiram, Lugo *Disput. 18. num. 5.* Unde accipiens rem cum dubio an sit aliena animo non inquirendi peccat mortaliter, debétque rem totam cum fructibus perceptis restituere ei, à quo accepit: si cum tali dubio accepit rem ob altero titulo emptionis, aut donationis, &c. obligatur, ut dictum indagare, si comperit non esse alienam, justè incipit fide bonâ possidere, si remanet dubium, ut frequenter potest accidere, dum artifices, aut Mercatores emunt à personis valde suspectis, hujusmodi emptio, si non est malæ, saltem est dubiæ fidei, nisi incipiat possidere animo indagandi veritatem; tunc enim non esse malæ fidei possessorem, atque adeò, si res apud eum inculpabiliter pereat, deobligari restituere tradit Lugo *Disput. 17. n. 82.* Sanch. *L. 2. Moral. c. 23 n. 174.* Ex hoc tamen non sequitur eum fore possessorem bonæ fidei, nisi post præmissum examen formare possit prudens judicium, quod res sit venditoris *per num. 172.*

358. An Possessor malæ fidei possit deducere expensas? Respondeo in foro conscientiæ posse necessarias, ac etiam utiles salvâ substantiâ non auferibiles, aliàs Dominus fieret locupletior cum jactura alterius, Lugo *à num. 61.* Haunold. *tract. 3. à num. 294.* Dixi primò *in foro conscientiæ*, quia forum externum potest in pœnam malæ fidei negare deductionem utilium inseparabilium, & à fortiori voluntariarum, secùs necessariarum, aut utilium separabilium,

*L. 6. Cod. de Rei vindicat.* Dicta pœna cum non sit juris naturalis ante sententiam illam subeundi nulla est obligatio, uti nec remittendi expensas voluntarias, quas ipse Dominus fecisset, secùs quas nunquam fecisset cum dispendio rei familiaris in rem merè recreationi servientem.

Demum habenda est præ oculis sequens Regula: debitum certum non extinguitur solutione incertâ; jus enim certum alterius inducens debitum urget solutionem certam. Hinc dubius debitor, an solverit debitum, tenetur integrè solvere, Lugo *Disput. 18. à n. 6.* contra Tannerum totaliter deobligantem, quando etiam creditor dubius est de solutione percepta, & contra Laym. *L. 1. tract. 1. c. 5. §. 4. n. 42.* contentum solutione partis secundum proportionem dubij.

Infertur secundò commodatarium, aut depositarium dubium an res commodata, vel depositâ suâ culpâ interierit ad nihil teneri, quia in dubio non præsumitur delictum sine conjecturis fundantibus prudentem præsumptionem, Lugo *num. 14.* contra paucos. Idem dic de conductore rei alienæ: dubius enim an suâ culpâ interierit, manet liber, habétque locum universaliter in omni contractu, imò & in omni debito propter generale principium, quod delicta in dubio non sint præsumenda, *L. merito 51 ff. pro socio.*

Pariter in dubio an cæperis possidere bonâ aut malâ fide, aut dubiâ ex eodem principio nec malâ nec dubiâ præsumitur, nisi judicia fundent contrariam præsumptionem Lugo *num. 16.*

# ARTICVLVS QVINTVS.

## *De restitutione ex injusta actione.*

359. COmmunis Doctorum sensus negat ullum teneri ad restitutionem ex sua omissione, aut actione absque omni prorsus culpa illius præscindendo ab onere rei acceptæ (de cujus obligatione actum est Articulo præcedente) & ab omni contractu, culpa autem *ex num. 145.* est aut Theologica mortalis, vel venialis, hæcque talis ex semiplena aut plena advertentia: aut est juridica divisa in latam, levem, & leviſſimam. Quid nomine actionis injustæ intelligatur præmisimus *num. 352.* ut fundet obligationem restitutionis, debet esse formaliter injusta, id est, debet imputari suo Authori, atque adeò fieri cum advertentia, quod jus alienum violetur.

Quæ-

Quæritur ergo qualis culpa debeat interveniſſe in actione, aut omiſſione proximi damnificativa, ut obligatio ſit reparandi damnum. Prima ſententia cum Adriano, Panormit. Angelo & alijs ait eam naſci ex omni culpa juridica. Secunda obligationem hanc ante judicis ſententiam fundat in culpa juridica lata, ſecùs in levi, aut leviſſima, niſi poſt ſententiam, ita Sylveſter, & alij poſt Innocent. Tertia ſtat pro ſola culpa Theologica, cum qua, quia regulariter fit culpa juridica lata, etiam hæc regulariter eſt radix obligans, ſi tamen accideret juridica lata ſine Theologica, nequit hæc ſententia obligare, ita communior cum Molin. Vasq. Leſſ.

Dico primò poteſt ex diſpoſitione legis latæ oriri obligatio in conſcientia reparandi damnum illatum cum ſola culpa juridica ut tali etiam lata ante judicis ſententiam, defacto tamen ſic non obligant ita Molin. *Diſput. 698. num. 6.* Ratio primi, quia jus ad reddendos homines cautiores poteſt ſuppoſitâ culpâ juridicâ dare læſo jus exigendi reparationem damni per talem culpam illati, quo jure exigendi ſuppoſito damnificans tenetur in conſcientia reparare damnum ante judicis ſententiam. Ratio ſecundi, quod nullius legis canonicæ, aut civilis ullus textus ante ſententiam judicis transferat jus ad damnificatum ad exigendam damni illati reparationem, nec conditores earum intendiſſe ejusmodi translationem ſeclusâ ſententiâ prob. Molin. varijs textibus *Diſp. 797.* neque earum finis aliud exigit, qui erat major cautela fortuitæ damnificationis; hic autem finis ſufficienter obtinetur per ſententiam judicis.

Cæterum aliquæ leges, quas Adverſarij autumant loqui de culpa juridica obligante ad reſtitutionem, loquuntur de juridica lata, quam dixi regulariter ſimul eſſe culpam Theologicam, hoc modo eſt intelligendum *c. ſi culpa de injurijs*, uti colligitur ex illis verbis: *nec ignorantia te excuſat, ſi ſcire debuiſti*: loquitur igitur de vincibili ignorantia: pariter *c. contuliſti ſecunda. quæſt. 4.* ubi Stephanus V. jubet monendos parentes, nec tenellos ſecum collocent in eodem lecto, ne ex negligentia ſuperveniente ſuffocentur: monitio igitur, ne collocent ſecum in eodem lecto, facit ut eorum collocatio ſit cauſa per ſe moralis occiſionis, conſequenter eſt culpa Theologica gravis, nec monitio patitur inadvertentiam ad periculum. Unde dixi, quod culpa etiam lata juridica ut talis præcisè non fundet obligationem.

360. Dico ſecundò culpa juridica lata cum culpa ſolùm veniali Theologica ſemideliberata graviter damnificans proximum nequit eſſe radix obligationis mortalis reparandi damnum grave illatum, ſed requiritur, ut intervenerit formalis injuſtitia mortalis Lugo *Diſp. 8. num. 56.* Leſſ. Probatur: obligatio reſtituendi ex vi præcisè formalis injuſtitiæ nequit eſſe major, quam ſit ipſa formalis injuſtitia; hæc enim ſupponitur unica eſſe radix obligationis, atqui formalis injuſtitia ſupponitur eſſe ſolùm levis, ergo ut obligatio ſit mortalis, injuſtitia debet eſſe mortalis. Amplia concluſionem contra Haunold. ad obligationem reparandi damnum grave illatum per plura minora furta plenè delibe-

rata,

rata, uti probatum est *à num. 294.* & oppositum fundamentum Haunoldi refutatum.

An autem dicta culpa Theologica ex imperfectione, seu indeliberatione actûs venialis obliget ad partem, vel minorem damni cum proportione ad culpam. Affirmat Molin. *Disput. 698.* approbatus à Laym. *L. 3. tract. 3. p. 1. c. 6. num. 4.* addente hanc obligationem esse mortalem, quando pars damni reparanda est notabilis. Econtra Vasq. *de Restit. cap. 2. §. 2. dub. 2.* obliget ad reparationem totius damni, eum sequitur Turrianus non explicant tamen an obligatio hæc sit gravis, aut levis: sed non esse grave urget argumentum nostrum, nec gravitatem obligationis probat materiæ gravitas, in qua datum est damnum, quia tota obligatio restitutionis radicatur in culpa damnificationis, non in damno materialiter sumpto sine respectu ad culpam damnificantis. Demum communis cum Lugo *à n. 56.* Haunold. *tract. 2. n. 194.* post Lessium & alios deobligat ab omni restitutione, eo quod ejusmodi damnum sit potiùs fortuitum, quam voluntarium, atque adeò damnificatus nequeat esse rationabiliter invitus, quæ sententia est tuta teste Laym. ac in eam sat clarè propendet Gormaz *Disp. 15. n. 795.* ubi ex sententia Soarez. *tom. 2. de Relig. L. 1. cap. 6. & L. 2. de juramento c. 7.* negat oriri obligationem etiam levem implendi in materia gravi promissionem factam homini, aut DEO votum vel juramentum aut contractum initum ex imperfecta deliberatione, ergo nec injusta damnificatio in materia gravi potest inducere obligationem restituendi rem gravem. Respondeo mihi magis probari sententiam Vasq. à paritate culpæ venialis deliberatæ in materia levi, & culpæ mortalis in materia gravi obligantis ibi sub veniali, hic sub mortali ad reparandum totum damnum, ergo etiam culpa formaliter injusta semideliberata circa materiam gravem obliget leviter ad reparandum totum damnum, quia circa totum damnum est commissa levis injustitia, ergo fundat obligationem levem totum reparandi, hoc enim est conforme juri naturali, aliàs nulla pœna de jure naturali posset infligi.

361. Objicies primò jus naturale obligans in materia gravi obligat graviter, sed in nostro casu etsi culpa sit ex imperfectione venialis, est materia gravis, ergo. Secundò Excommunicatio minor est pœna satis gravis, & tamen potest quis ei subjici ex culpa veniali, ergo etiam oriri potest gravis obligatio restituendi ex culpa levi. Confirmatur à pœna purgatorij graviore quavis pœnâ vitæ præsentis, nihilominus ea imponitur ob culpam levem. Tertiò, homo potest se voto obligare sub levi ad materiam gravem; superior sub levi materiam gravem subdito præcipere: pariter contrahentes possunt se sic mutuo obstringere, ergo etiam ex delicto levi in conscientia potest oriri obligatio levis restituendi rem gravem.

Respondeo ad primum major est vera quando obligatio fundatur in materia, seu re accepta, secùs dum fundatur in culpa levi, sive in materia comparativè ad culpam venialem.

Ad secundum Excommunicatio imponi potest, vel ut Pœna, vel ut Medicina: Ecclesia ut pia Mater raro imponit

nit illam ut pœnam propter culpam levem, sed ut Medicinam, ut filius lavem ipsus reviviscat: obligatio autem restituendi non est Medicina, sed quasi pœna: dum oritur ex delicto, quam sibi imponit delinquens.

Ad confirmationem omnes respondere debent, cum nullus Judex humanus queat decernere culpæ levi pœnam tam acerbam, igitur jus tam naturale quam civile aliter metitur gravitatem, & levitatem pœnæ relatè ad rempublicam mortalem, quam sit pœna relata ad rempublicam immortalem, respectu hujus enim judicatur pœna levis, quæ judicatur à nobis gravissima.

Respondeo igitur pœnam purgatorij etsi gravissimam comparativè ad quamvis pœnam vitæ hujus, non esse gravem relate ad rempublicam æternam, in qua quævis pœna temporalis relate ad pœnam æternam censenda est levis.

Ad tertium Respondeo hoc esse pro nobis ut patet ex responso in fine *n. 361.* quod objectio confirmat.

# ARTICVLVS SEXTVS.

## *De obligatione restituendi ex contractu justo, & ex quasi Contractu.*

362. EX contractu duplex obligatio nasci potest, una immediata E. g. agendi, solvendi, tradendi id, ad quod te ex contractu, seu pacto expresso obligâsti; altera mediata v. g. cum consensu Petri apud eum deposui centum aureos suo tempore restituendos, hæc obligatio restituendi est immediatè ex contractu, si culpa Petri pereunt aurei, præter aureos immediatè vi contractûs justi debitos debet mihi reddere damnum inde secutum v. g. lucrum cessans, quod patior ex non restitutis suo tempore aureis, hæc obligatio immediatè radicatur in culpa, mediatè autem & radicaliter ex contractu oritur, vi cujus se obligavit ad inculpatam depositi conservationem. Similem obligandi modum habent quasi contractus, id est, pacta implicita administrandi bene officia: assumens enim officium tacitè pacisci tur cum eo, circa quem est exercendum, sic ex quasi contractu obligantur Tutores, Curatores, Procuratores, Advocati, Medici, Professores, Artifices, Confessarij, Chirurgi, Obstetrix, &c.

Circa contractus tres sunt dispositiones juris civilis. Prima est de contractibus cedentib⁹ in solius recipientis commodum ut commodatum (respicit quidem hoc etiam commodum dantis siquidem,

dem post lapsum temporis est restituendum, quia tamen ipse effectus est optabilior commodatario, quam commodanti, idcirco dicitur hic contractus esse in solius recipientis commodum, ut singulariter notat Haunold. ) in quibus recipiens tenetur ex juridica etiam leviſſima, secùs de fortuito *cap. unico de commodato & L. in rebus commodatis 18. ff. commodati.* Excipitur precarium, seu res concessa ad nutum concedentis restituenda, in quo est obligatio duntaxat ex dolo, vel lata culpa, secùs si pereat ex levi aut leviſſima *L. contractus ff. de Reg. Jur.* & *L. quæsitum ff. de precario.*

Secunda est de contractibus in utilitatem solius dantis: in quibus recipiens obligatur solùm ex dolo, vel lata culpa, ut si quis recipiat alterius librum: aut pecuniam citra hujus ullum commodum *L. 5. §. 2. ff. commodati.*

Tertia si contractus cedit in commodum utriusque, ut emptio, venditio, locatio, conductio, depositum, quando datur pretium pro rei custodia, elaboratio, dum datur pannus sartori, aurum vel argentum aurifici, ut fiat artefactum est obligatio reparandi damnum ex culpa lata, & levi, non ex leviſſima, *§. creditor 4. Just. quibus modis contrahitur obligatio.* Ubi deciditur eum, qui habet pignus satisfacere id custodiendo adhibita exactâ diligentiâ, pignus autem cedit in utriusque commodum.

Controvertitur an hæc juris positivi dispositio ante sententiam judicis in foro conscientiæ procedat, vel verò solùm in foro externo ad ferendam sententiam, proinde in interno solùm attendendum ante sententiam, utrum intervenerit etiam culpa Theologica gravis, vel levis cum juridica? communior stat pro foro conscientiæ cum Molin. Navar. Less. Laym. quia suppositis dictis legibus homines contrahendo censentur secundum eas saltem virtualiter inire contractus, ac juxta naturam contractûs, proinde ad compensandum damnum secuturum ex neglecta debita diligentia etiam sine interventu culpæ Theologicæ.

Negativa est Haunold. *tract. 2. num. 250.* Lugo *Disput. 8. à num. 106.* Esp. Gormaz *Disp. 16. num. 839.* quia etsi contrahentes possint se præfato modo obligare ad compensandum damnum, defacto tamen non sunt præsumendi se sic obligare, nisi exprimant, aut praxis monstret, sed non exprimunt, nec praxis monstrat, jus potuit quidem hoc onus contrahentibus imponere ad evitandas fraudes & delicta per modum immediatæ obligationis ad resarciendum damnum in dictis casibus, quasi per quandam assecurationem, at defacto sic esse impositas nequit probari, nam hæ non aliter significant obligationem, quam leges aliæ significant obligationem solvendi damnum illatum à tuo animali, &c. sed hæ non obligant in conscientia ante judicis sententiam *per num. 359.* ergo nec leges, de quibus hic, sed solùm tribuunt jus exigendi cautelam eam, quam aliter absque peccato gravi scienter, & resultantem inde obligationem non potest omittere.

363. Pro decisione nota ex Haunold. *num. 248.* Lugo *à num. 111.* quod jus civile exigat majorem cautelam in con-

contractu cedente in utilitatem solius recipientis, quam in contractu cedente in utriusque commodum, atque in hoc majorem quam in contractu cedente in solius dantis utilitatem, id fundatur in jure naturali: hoc enim pro diversitate contractûs exigit diversam diligentiam contra Gormaz *Disput. 16. num. 850.* ita ut eadem materialiter sumpta sufficiens in uno contractu non sufficiat in altero, ut si habeas duos equos Petri apud te unum depositum, alterum tibi commodatum, tósque ponas ad idem stabulum ostio non clauso satisfacis contractui depositi, non commodati: culpa enim juridica, quæ est levis respectu depositarij non obligans eum ad restitutionem equi depositi abducti ex stabulo non clauso, est lata proinde regulariter Theologica gravis respectu commodatarij, nisi excuset inadvertentia, siquidem non soli diligentiores, sed etiam diligentes commodatarij eo in casu ostium claudunt, natura enim commodati petit hanc majorem cautelam. Quare leges in uno contractu poscentes majorem diligentiam, quam in altero, loquuntur de majoritate materiali, & absolutè sumpta, procedúntque in hoc sensu etiam in foro conscientiæ utpote fundatæ in jure naturali.

Dico primò omnis contractus justus & quasi contractus formaliter, & immediatè obligat ad id agendum, vel solvendum, &c. quod vi contractûs debetur: & quidem præfixo tempore, quando præfixum est, etsi creditor non moneat *c. fin. de locato & conducto*: si terminus est nullus præfixus, tempus erit id, quo creditor petit: si hic petere impeditur, terminus est is, qui prudenter creditur esse ex intentione creditoris. Ratio: quia hæc omnia inclusa videntur in ipso contractu, seu consensu debitoris. Hinc,

364. Dico secundò debitor ex contractu tenetur ad resarciendum totum damnum emergens, & lucrum cessans secutum ex mora culpabili extra casum juris aliter disponentis, prout jus positivum disponit, ne quod aliàs est jure naturæ secundum quid commune omnibus contractibus, se extendat ad contractum emptionis, & venditionis, in quo ob maximam frequentiam ad vitandas lites est cautum, ne vendentes, aut ementes pro mora culpabili teneantur ad totum damnum emergens, & lucrum cessans (has leges non habere locum in foro conscientiæ tenet Lugo *Disput. 18. num. 28.* contra Molin.) sed solùm ad immediatum, nempe ad fructus, quos emptor fuerat percepturus, & ad intrinsecum interesse ipsius mercis, & fructuum, ut si fructus percipiendi plus valebant, quam valeant tempore, quo fit post moram traditio, totum incrementum morosus debitor debet compensare emptori, secùs lucrum aliunde cessans, aut damnum ex illa mora emergens: pariter si emptor acceptâ merce fuit in mora solvendi pretium venditori, huic ultra pretium debet solvere etiam fructus ex re interim empta perceptos, aut quos percipere potuit. Ratio conclusionis est, quod ex vi, & natura contractûs, ac legum dispositione circa contractus debitor debet quoad omnia illæsum jus creditoris servare, quod acquisivit ex justo contractu.

Ex dictis sequitur, quod Nobiles præfixo tempore non solventes culpabiliter

liter mercatoribus merces emptas, teneantur his ad intereſſe, ſeu ad lucrum ceſſans, & damnum emergens. Obſervat autem Lugo terminum in hujusmodi contrahentibus non mathematicè, ſed moraliter more communi, juxta quem terminus præfixus ex benignitate habet aliquam dilationem, unde cum in ea parva mora creditores valeant exigere ſolutionem, & non exigant, cenſentur pro ea mora non graviter inviti. Imò plures non improbabiliter requirunt, ut moneatur debitor de damno emergente extraordinario creditoris, ut teneatur illud etiam ſolvere, E.g. ego ob defectum ſolutionis tuæ culpabilis cogor pecuniam ad intereſſe accipere, ut debitor hoc debeat reſarcire, prius eſt à me monendus: tunc enim debitor fortè ſolviſſet, vel aliâ viâ providiſſet, Azor *P. 3. L. 5. c. 4. de uſur. q. 3.* & probabile cenſet Lugo. Sed verius eſt oppoſitum, quia debitor etiam non præmonitus verè eſt cauſa ejus damni.

365. Dico tertiò contractus ex vi legum de quibus *num. 362.* ante ſententiam judicis ſeclusâ culpâ gravi Theologica probabiliter non obligant ultra id, ad quod jus naturale obligat ſuppoſito contractu. Concluſionem hanc probat negativa ſententia relata in fine *num. 362.* cujus oppoſita affirmativa eſt certe probabilis, ac tutior.

Dico quartò nullus ex quaſi contractu tenetur ſub mortali reſarcire damnum ex culpa levi, vel leviſſima, ſed ex ſola lata plenè voluntaria, proinde ſit in conſcientia graviter culpabilis (qualiter regulariter contingit, ut monui *num. 359.*) unde ſi ex inadvertentia culpa juridica lata careret culpâ gravi Theologicâ ceſſaret omnis obligatio reſtitutionis, ita Gormaz *num. 852.* Vasq. Leſſ. Lugo. Ratio, quia nullus, ſive gratis, ſive conductus munus acceptet, cenſetur ſe obligare ad exquiſitam diligentiam, ſed ad moralem in ſuo munere, ſeu talem, qualem homines prudentes communiter adhibent in talibus muneribus, quámque ipſe adhiberet, ſi tota adminiſtratio cederet in bonum ſuum, major hâc obligatio foret nimis difficilis.

Ex hac concluſione ſponte ſequitur mortaliter peccare eos contra juſtitiam cum obligatione reſarciendi omnia damna, qui acceptant officium carentes peritiâ communiter neceſſaria pro ejus adminiſtratione, ut Medicus, Chirurgus, & alij, de quibus initio *num. 362.* Econtra nullus eorum tenetur quodcúnque damnum reparare ſecutum ſine ſua culpa gravi Theologica.

366 Quæres an mora debeat eſſe Theologicè culpabilis, & quidem graviter, ut ſit obligatio in conſcientia reſtituendi intereſſe creditoris; vel verò hæc obligatio fundetur in tacita conventione, quæ ex legum diſpoſitione ineſt contractibus? & quid nomine intereſſe veniat, dum agitur de rei reſtitutione & intereſſe.

Ad primum eſt duplex ſententia. Prima Haunold. *tom. 5. tr. 5. n. 148.* fundat obligationem in tacita conventione, quia primaria intentio eſt contrahere ſecundum leges, & naturam talis contractûs, atqui ſecundum leges non requiritur culpa Theologica, ut quis ex contractu propter moram obligetur reſtituere intereſſe, uti ubi oſtendit ex legibus in contractibus tam bonæ fidei, quam ſtricti juris. Secun-

dâ

da sententia deobligat tam ab ordinarij quam extraordinarij interesse restitutione, nisi mora sit graviter Theologicè culpabilis, ita Less. *L. 2. c. 10. dub. 10. à n. 70.* Tamb. *L. 8. in Dec. tract. 3. c. 4. §. 6. n. 7.* Lug. *Disp. 18. n. 35.* credens hanc sententiam esse ab omnibus in praxi receptam, quam Palao *tom. 7. tr. 32. Disp. 1. p. 17. §. 10.* extendit etiam ad debitorem ex delicto, eo quod non sit in mora solvendi, consequenter nec causa injusta damni à tempore, quo justè excusatur à restitutione, hanc sententiam amplectitur etiam Diana *p. 11. tr. 6. res. 20.* addit. Dicast. *hic tract. 2. D. 10. dub. 3. n. 73. & 75.* causam justam esse gravem necessitatem approbat Lugo *D. 21. n. 17.* contra Less. *c. 10. à n. 33.* Rectè autem advertit Lugo *Disput. 18. n. 40.* non requiri, ut mora ob impotentiam, vel præsentem inadvertentiam sit in se culpabilis, sufficit enim, quod sit culpabilis in radice, nempe in acceptione aut retentione culpabili: Ex hac enim omnia damna sequuntur imputabiliter etiam pro tempore gravis aut extremæ necessitatis, in qua est debitor ex delicto.

Respondeo utramque sententiam esse probabilem. Primam spectato jure esse probabiliorem; Secundam verò spectatâ ratione præferendam videri, quia non constat sufficienter de animo se obligandi ad tantum onus citra grave peccatum interveniens, ergo non est imponendum debitori inculpabiliter moroso.

Ad secundum (de quo fusè citat. Haunold. *Contr. 15.*) Respondeo tam damnum emergens quàm lucrum cessans significari uno vocabulo interesse; & quando agitur de restitutione interesse, intelligi de interesse extrinsecè, seu de eo, quod rei principali extrinsecè accidit id est, quod est extra rem ipsam principalem, sive debitum E. g. pretium debito tempore non solutum, unde sic Haunold. rectè definit interesse, *esse id, quod nobis facto alieno abest quod lucrari potuimus.* Radix itaque obligationis solvendi interesse est morosa non præstatio debiti, aut facti debitoris.

Interesse cit. Tamb. *n. 2.* dividit in ordinarium, & extraordinarium, primum accidit, dum res debita pluris valeat uno tempore, quam alio, sive id fiat ob incrementum rei intrinsecum ut fit in equo facto ex hinnulo, sive ab extrinseco crescat rei valor, ut si hoc mense pluris valet frumentum, quam alio. Extraordinarium erit, quando lucrum fundatur in opera extraordinaria creditoris E. g. in negotiatione, privans hoc lucro dicitur privare interesse extraordinario.

# ARTICVLVS SEPTIMVS.

## *Secundum qualem valorem facienda est rei restitutio?*

367 QUæstio multipliciter agitari potest. Primò damnificâsti alterum destruendo rem mille florenorum, at tu ex invincibili errore æstimas non valere ultra centum Florenos, quæritur an debeas restituere secundum valorem verum, vel sufficiat restitutio secundum valorem erroneum inculpabilem. Secundò destruxisti, aut furatus es hinnulum valentem decem aureos, qui spectatâ spe futuri eventûs deductis expensis valuisset aureos centum. Tertiò, furatus es equum, eumque vendidisti florenis centum nec plus pro tunc valentem, at Dominus eum ſservâſſet in tempus, quo valuisset centum quinquaginta; vel è contra Dominus vendidisset illum priore tempore nempe quo valuisset centum, quam nunc fur vendidit 150. Quæritur ergo secundum cujus temporis valorem fieri debeat restitutio; est autem valor rei alius intrinsecus, qui re accrescente crescit, ut dum equus fit ex ex hinnulo: alius rei extrinsecus major, aut minor taxatus ex circumstantijs, proinde variabilis (de quo vide *n. 230.*) E, g. triticum Mense Januario valet florenis duobus, Mense Majo semi tertio, Augusto duobus florenis, interea triticum furto sublatum est absumptum mense, quo valebat florenis duobus, in his & similibus decidendum est, secundum cujus temporis valorem res destructa, aut vendita à fure est restituenda, vel verò utrum præcisè attendendum sit ad damnum injustâ actione illatum.

Triplex est Sententia. Prima Bonacin. *de contrct. Disp. 1. q. 3. p. 11 n. 5.* obligat solùm ad valorem temporis, quo rem Dominus vendidisset, aut absumpsisset. Secunda Navarri in summa *c. 17. num. 26.* quam probabilem censet Lugo *Disp. 18 n. 12.* vult restituendum summum valorem, sive is intrinsecus, sive extrinsecus, quem res habuit tempore intermedio, quia hoc tempore res extans manet sub Dominio Domini, ergo eidem accrescit pretium sive extrinsecum sive intrinsecum. Tertia sententia Lessij *L. 2. c. 12. dub. 16.* Molin. *Disp. 725.* Vasq. fundat quantitatem restitutionis non in valore, quem res habuit, sed in damno, quod injusta acceptio aut detentio infert Domino, quam sententiam censet verissimam Lugo; manet tamen inquit difficul-

cultas, utrum illatum damnum etiam sit taxandum ex valore rei habito.

368. Dico Primò destruens rem alienam valentem mille, quam ipse per errorem inculpabilem æstimat centum, ita, ut nec dubiter de majore valore, satisfacit restituendo centum, Esparza *hic q. 34. Art. 5.* Haunold. *tract. 2 n. 221.* contra Lugo *Disput. 8. n. 63* Gormaz *Disp. 15. n. 807.* Probatur: radix restitutionis hic adæquata est injusta formaliter damnificatio, atqui secundum excessum invicibiliter ignoratum damnificatio non est formaliter injusta sive imputabilis.

Dices ad actionem externam graviter injuriosam sequitur obligatio gravis resarciendi totum damnum inde secutum, licet ignoretur: sicut qui est in mora culpabili restituendi, tenetur casus etiam fortuitos, & improvisos reparare. Secundò cum Palavicino projiciens rem in mare credens esse parvi valoris intendit projicere totum, quodcunque illud esset, sic autem projiciens se debet obligare ad restituendum totum, etsi ipse non æstimaverit superare valorem grossi.

Respondeo ad primum negando assertum, obligatio enim commensuranda est injuriæ præcognitæ. Ad Instantiam est disparitas, quod ex natura contractûs creditor habeat jus, ut indemnis servetur, unde debitor morosus in solvendo scienter exponit periculo creditorem, proinde est voluntaria causa totius damni.

Ad secundum nego majorem (aliàs ut arguit Haunold. deberet restituere totum, licet invincibiliter non esset reus culpæ etiam levis) sed vult projicere, ac nocere secundum quantitatem præcognitam.

369. Dico secundò quando res ablata habet augmentum intrinsecum in manu furis, etsi apud Dominum nunquam fuisset in tanto accremento E. g. ex vitulo non fuisset factus bos, fur tenetur restituere secundum valorem Summum, seu in optimo statu, si eam in hoc absumit, aut vendit, etsi Dominus etiam in hoc statu non absumpsisset, aut non vendidisset, Lugo *Disp. 18. n. 119.* Laym. Less. Probatur: quia totum accrementum detractis expensis & operis est Domini, ergo est restituenda Domino secundum valorem habitum tempore absumptionis &c.

Dico tertiò, & complector rem totam distinguendo triplex tempus primum quando res valet tres florenos: secundum quo valet quatuor; tertium quo decrescit ad pretium minus primo. Hoc posito diligentissimè est advertendum; tum ad tempus, quo fur rem alienam absumit, aut vendit &c. tum ad tempus, quo Dominus rem suam absumpsisset, vel vendidisset &c. si fur consumit primo tempore, & eodem Dominus absumpsisset, obligatur solùm valorem ejus temporis reddere, quia plus non nocuit, nocuisset verò in summo valore: si Dominus intermedio tempore vendidisset, & ideò debet restituere secundum summum valorem. At si Dominus destruxisset rem tertio tempore, quo res reducta est ad pretium minimum, debet restituere pretium primi temporis, quo eam accepit, aut rem similem æqualis bonitatis, quia in tanto, & non plus abfuit, si fur eam vendat, aut absumat secun-

secundo tempore, valor hujus temporis est compensandus, etsi Dominus illam alio tempore distraxisset, quia res tempore factæ à fure venditionis &c. fuit Domini, ergo eam vendendo debet ejus loco dare valorem, quem tunc habet, si enim tunc vellet à furto liberari, deberet rem extantem secundum valorem tam intrinsecum quam extrinsecum restituere, ergo cum in defectum rei succedat pretium, totum hoc est restituendum, ita ut certum tradit Tambur. *L. 8. Dec. tract. 3. c. 2. §. 7. à n. 13.* si demum fur rem alienat &c. tempore tertio, quam Dominus absumpsisset primo, pretium temporis primi est rei subrogandum, temporis verò tertij si hoc eodem tempore alienâsset Dominus, quia sicut pretium in primo casu crevit Domino, ita decrevit eidem in tertio, supponitur enim extare impermixta, consequenter manere in Dominio Domini.

Quando foret dubium, quo tempore Dominus se spoliâsset re suâ, quæritur, secundum cujus temporis valorem fur debeat satisfacere? Respondeo etsi communis sententia cum Less. *n. 109.* post Vasq. obliget ad valorem status optimi, quia inquit, in dubio est melior conditio innocentis; est tamen tuta opinio Lugo *n. 133.* Molin. *n. 8.* satisfieri restitutione valoris minoris summo propter incertitudinem, hæc enim minuit pretium, ergo pro ratione dubij ex circumstantijs prudenter pensatis valor restitutionis debet definiri. Argumentum adversariorum procedit, quando res est indivisibilis, secùs in divisibili.

# ARTICVLVS OCTAVVS.

## *Plura deciduntur quæsita de restitutionis obligatione.*

370. QUæres primò an fur rem furtivam destruens, aut absumens paulo post perituram apud Dominum teneatur restituere? Respondeo primò, quando culpâ furis res perit, obligatur restituere, etsi certo, injustè tamen perijsset apud Dominum E. g. injustâ hostili incursione &c. est communis cum Dicast. *L. 2. tract. 2. Disput. 2. dub. 4. n. 75.* Ratio fur præveniens aliorum injustitiam in se transfert onus restitutionis ab illis subeundum per *num. 329.*

Respondeo secundo datum responsum valere etsi apud Dominum peritura fuisset fortuitò E. g. incendio &c. quando publicè adhuc ignoratur illud casuale periculum, Molin. *Disput. 726.* Lugo *Disput. 18. num. 76. & 143.* Ratio: quod, quamdiu ignoratur periculum habeat pretium idem, quod haberet sine eo, ergo sicut emptor rei cum ignoran-

tia

tia periculi debet dare pretium totum, ita fur totum debet supponere

Respondeo tertiò, quando res furtiva apud furem casualiter perit æquali infortunio, aut justâ invasione certo peritura apud Dominum; furatus es E. g. vicino crumenam, quæ ex incendio apud te est incinerata æque incineranda apud vicinum, fur deobligatur restituere Lugo *num. 141.* Molin. Less. & passim, alij contra Palud. Bart. Bald. & communem Legistarum. Ratio: quia actio furtiva non fuit efficaciter injuriosa, sed duntaxat affectivè, re ipsa autem totius damni causa est, aut incendium, aut justa incursio, alterutrum interrumpit furis animum retinendi, &c. rem furtivam, ergo impedit efficaciam nocendi sitam in proposito retinendi, ergo cessat actio externa esse injusta, atqui non obligat, nisi ut injusta ad restitutionem, fur itaque tunc non destruit jus in re Domini, sed casus fortuitus etiam à Domino inevitabilis.

Si dubium sit, an apud Dominum perijsset, ut si fortè eam priùs vendidisset, vel eripuisset incendio, est valor pro ratione dubij restituend°, nam in dubio est melior conditio innocentis. Est contra Mol. Less. obligantes ad restitutionem totius.

371. Quæres secundò an, & quando quis teneatur ad restitutionem impediens alterum ab assecutione alicujus boni debiti ex virtute Justitiæ commutativæ, vel distributivæ, vel ex Justitia indebiti E. g. hæreditatis, aut Legati, &c.

Respondeo primò impediens alterum etiam precibus, blanditijs, &c. à consecutione boni, ad quod impeditus habet jus in re, vel ad rem, peccat contra Justitiam commutativam cum onere restitutionis damni injustè illati, Lugo *num. 90.* Molin. Less. Ratio: quia efficaciter violat strictum jus alterius, unde est totum restituendum, quod debetur attento jure impediti à consecutione boni, proinde dum impeditur alterius jus in re nondum executioni mandatum per possessionem ejusmodi boni, est compensandum ferè totum tale damnum, aut ejus valor detractâ solùm possessionis nondum habitæ æstimatione, possessio enim est pretio æstimabilis propter periculum, cui subest jus in re ante possessionem. Econtra dum jus ad rem competit impedito, non est huic compensandum totum ferè damnum, sed pars solùm E. g. beneficij, ad quod est præsentatus, ita cit. Doctores.

Respondeo secundò quando indignus impeditur à consecutione boni E. g. beneficij ex Justitia distributiva debiti, nulla est obligatio reparandi damnum, etsi id fiat ex odio, vel violentia vel fraude, quia licet peccetur tunc ob malum affectum contra charitatem, imò etiam contra Justitiam, si impedias per infamationem cum onere hanc resarciendi, attamen nullum jus strictum violas relate ad bonum Tamb. *L. 8. in Decal. tract. 3. c. 4. §. 2.*

Respondeo tertiò impediens alterum à consecutione boni liberaliter conferendi E. g. Legati, hæreditatis, &c. si id facit absque vi, vel fraude, vel mendacio, sed precibus, consilio, &c. non peccat contra Justitiam, Lugo *n. 93.* Molin. *Disp. 727.* & passim Theologi, quia utitur jure suo citra ullius juris alterius violationem. Ampliat Molin. *num. 4.* etsi dicto modo impediret expresso nocendi animo, contra Scot. Palud.

lud, animus enim nocendi non influit in damnum, nisi actio ipsa externa sit injusta.

Respondeo quartò collatorem Officij, aut beneficij ex Justitia distributiva debiti, aut cujusvis alterius boni gratuiti, sive illud sit beneficium, sive Officium, sive Legatum vi, vel fraude, vel mendacijs falsísque criminationibus avertit ab ea voluntate conferendi bonum personæ eo dignæ peccat mortaliter contra Justitiam commutativam cum onere restitutionis boni impediti secundum spei quantitatem, quam habebat ad ejus consecutionem, Molin. *num. 6. & 7.* Ratio: quia quísque habet ad jus strictum, ne hoc modo impediatur à consecutione boni, quo dignus est.

Dixi primò *mendacijs, aut falsis criminationibus*, quia fas est prodere verum crimen jis, quorum interest, quando crimen facit minus habilem ad tale officium, &c. aut collationem minus decoram: *jis* inquam, *quorum interest*, E. g. collatori, secùs alijs.

Dixi secundò *secundum spei quantitatem*, quia etsi quis dignus sit tali bono, si tamen non habet ullam consequendi id spem, nulla est obligatio resarciendi bonum tale, quia vis aut fraus, &c. non influxit.

Dixi tertiò, *quo est dignus*: nam etiam vi, fraude, mendacijs impedire indignum officio, &c. (hoc enim non potest conferri indigno) non est contra Justitiam, consequenter cessat obligatio restituendi, indignus enim nullum habet jus ad Officium in libera collatoris potestate positum. Less. *L. 2. cap. 12. num. 125.* meritò tamen obligans ad famæ restitutionem, è contra quisque habet jus ad hæreditatem Legatum, &c. in libera testatoris voluntate positum non absolutum, sed conditionatum, nempe si testator velit aliquem instituere hæredē, vel Legatarium dignum, ut hic non impeditur vi aut fraudulenter, aut mendaciter.

Et cum officia aut beneficia conferenda sint dignioribus impediens vi, fraude, &c. dignum ut conferantur ea digniori, ad nihil tenetur restituendū Less. *n. 126.*

Econtra qui vi, vel fraude impedit, ne testator condat testamentum ut ipse ab intestato succedat, &c, non potest postea succedere, & si successit, debet restituere.

Idem est, si Notarium, &c. à moribundo vocatum avertit, ne is testamentum scribat, Lugo *num. 91.* qui *n. 103.* pari restitutionis oneri subjicit eum, qui testatorem volentem testari in favorem alicujus spe falsâ sanitatis, aut longioris vitæ à testamento condendo distrahit, agit enim fraudulenter. Eodem refert Laym. *L. 3. tract. 2. c. 7. num. 3.* eum, qui molestis & importunis precibus impetrat à moribundo mutationem testamenti, quia inquit Sporer *tract. 4. in Decal. c. 2. num. 203.* est quædam coactio, facit enim ut se liberet ab ea molestia, hoc ipsum hic Author extendit ad maritum vehementer persuadentem uxori, ut testetur in suum aut suorum commodum.

Pariter tenetur damnum resarcire, qui vi, fraude, mendacijs, &c. abstrahit homines, ne dent labores aliquibus opificibus, aut Emptores avocat ab alijs mercatoribus, clientes ab Advocatis, &c. secùs eos abstrahendo absque vi, fraude, vel mendacijs, &c. & alliciendo ad suam officinam, Lugo *n. 109.*

372. Quæres tertiò an judices accepta munera à partibus teneantur restituere?

tuere? & quid de officialibus alijs publicis stipendiatis, ut fungantur officio, si pro expeditionibus & obsequijs suis expresè, aut tacitè prætendunt munera?

Respondeo circa primum utroque jure civili quidem *L. Plebiscito 18 ff. de Offic. Præsid.* Canonico verò in *c. cum ab omni de vita & honest. clericor.* Judicibus veritam esse munerum acceptionem ante sententiam: munera enim magni valoris communiter inducunt perversionem Judicij, aut hujus periculum, & ideo etiam jure naturali talia sunt prohibira, & refert ex communi Haunold. *Tom. 5. tract. 2. num. 61.* Nihilominus munera sic accepta ante sententiam condemnatoriam non sunt restituenda cit. Haunold. *num. 60.* ex communi Lugo *Disput. 37. num. 134.* quia communiter Judices etiam timorati non restituunt nec Confessarij obligant. Ex quo colligitur eos non reddi per citatas leges incapaces Dominij munerum, etsi accipiantur ante sententiam. Post sententiam latam liberaliter oblata licitè acceptantur, quia non est periculum perversionis.

Respondeo ad secundum eos peccare contra Justitiam, proinde teneri restituere, quia petunt pretium pro actu ex Justitia debito, nisi à Republica stipendium insufficiens sit constitutum, tunc enim possunt exigere salarium suo labori proportionatum secundum circumstantias locorum, & personarum taxandum, Sporer *tract. 5. in Decal. c. 5. n. 127. & sequent.* quem vide.

373. Quæres quartò an animus nocendi graviter imperans actionem leviter injustam inducat gravem obligationem restitutionis? Respondeo negativè cum Haunold. *tract. 2. n. 230.* Tamb. *c. 2. §. 5. num. 12.* contra Lugo *Disput. 8. à num. 74.*

Probatur: non obligatur graviter ad restitutionem, sine animo graviter nocendi, cum actio externa non influat nisi leviter, ergo nec cum tali animo obligatur graviter, quia hic animus nihil adjuvat actionem externam de se levem, esto eam graviter injustam denominet, ut enim injustitia graviter, obliget, debet esse gravis gravitate externâ.

Dices: licet temperantia non obliget, ut omittatur cœna, aut confabulatio de se licita, graviter tamen obligat, ne cœna, aut confabulatio fiat ex intentione secuturæ pollutionis, ergo etiam licet Justitia graviter non prohibeat actionem de se externam leviter injustam, graviter tamen eandem prohibet, ne positivè procuretur ex fine graviter nocendi proximo.

Respondeo disparitatem esse, quod injustitia propter jus alterius medium rei respiciat, à quo medio per actionem leviter injustam non fit, nisi levis receffus stante etiam intentione graviter nocendi, hæc enim nihilo minuit jus alterius, temperantia verò respiciat medium rationis, à quo notabiliter recedit intentio procurandi pollutionem per media alioquin de se licita.

Non nego quod aliquando actio de se indifferens per intentionem injustam determinetur ad actum injustum, ut acceptio cibi alterius animo sibi appropriandi, sic enim determinata graviter lædit jus alterius, intentióque prodit in ipsum actum externum.

# ARTICVLVS NONVS.

## *De Circumstantijs Restitutionis.*

HAs complectuntur hi duo versus.

*Quis, quid restituat, cui, quantum, quomodo, quando,*
*Quo ordine, quovè loco, quæ causa excuset iniquum.*

374. QUæres primò, quis teneatur restituere? & quid? Respondeo ad primum primò teneri omnem, apud quem est res aliena titulo, sive justo, sive injusto existens in se, vel in æquivalenti. Secundò teneri omnem injustum damnificatorem malæ fidei possessorem, & retentorem, & cooperatorem ad damnum. Etiam his à Doctoribus accensetur pauper fictus, qui simulatâ paupertate accipit Eleemosynam saltem notabilem: accipit enim fraudulenter. Unde hæc de rigore juris deberet restitui Domino, Molin. *Disput. 210. num. 6.* attamen tuta est sententia restituendam esse veris pauperibus; quia hæc est præsumpta voluntas Domini Vasq. observat autem Tambur. *L. 8. in Decal tract 4. c. 1. §. 1.* quod etsi pauper congesserit ex stipe quotidiana 25. aureos sepositos pro futuris necessitatibus, licitè tamen pergat mendicare, ut exinde quotidie vivat, quia dicta summa non excedit limites paupertatis. Tertiò hæredem defuncti, quando hic non restituit.

Respondeo ad secundum regulariter est restituenda res ipsa ablata, si extat, si non, ejus æstimatio, regulariter inquam, quia etsi res extet, si tamen eam nequeat per se sive periculo infamiæ, nec per alium reddere, sufficit restitutio valoris. Item restituendi sunt fructus juxta dicta de possessore bonæ, malæ, ac dubiæ fidei *à num. 354.* sicut & lucrum cessans, ac damnum emergens *p. 364 & 366.*

375. Quæres secundò cui & quantum restituendum? Respondeo prius ad secundum debere restitui tantum, quantum necesse est, ut compensetur jus alterius læsum.

Respondeo ad primum restituendum illi, ad quem res ablata, aut retenta, aut destructa immediatè spectabat (nisi causa rationabilis aliud petat) si vivit, eo defuncto ejusdem hæredibus, quod procedit etiam in casu viventis Domini, sed ob absentiam nequit ei reddi cum expensis moderatis, nec per litteras, &c. potest ejus voluntas explorari,

ita

ita Sporer: Tambur. verò §. 8. n. 5. vult faciendam restitutionem pauperibus, quia moraliter, perinde se habet tunc Dominus, ac si esset incertus

Responsio hæc generalis licet sit verissima, nondum tamen declarat in particulari, neque distinguit inter bona restituenda, pro horum enim diversitate diversis restituenda sunt.

Bona igitur alia sunt vacantia, alia inventa, alia incerta, eaque vel ex delicto, vel ex contractu, de quibus, & cui ea sint restituenda sufficienter constat *à num. 371.*

Insuper hic adverte quando bona incerta sunt talia ex delicto, ea in pauperes sunt distribuenda, nomine autem pauperum hic veniunt omnia pia loca, & animæ mortuorum. Secundò priusquam fiat distributio diligenter inquirendus est rei Dominus; omissâ enim hâc diligentiâ distribuens in pauperes violat jus Domini cum onere restituendi eidem denuò fors postea comparituro, nisi adhuc res pauperibus data apud eosdem extet, tunc enim hi secundum omnes tenentur reddere. At si post adhibitam debitam inquisitionem spes non affulgeat compariturum Dominum, si ejusmodi bona applicata sunt pauperibus, hi probabiliter deobligantur restituere comparenti Domino, etsi applicata bona formaliter, vel æquivalenter extent: quia res secundum rationabiliter præsumptam Domini voluntatem alicui applicata, transit in hujus Dominium, Lugo *Disp. 21. n. 102.* contra Less. Molin. probabiliter contrarios eo quod putent applicationem fieri conditionatè, nempe si Dominus non comparebit re adhuc extante.

Si obligatus restituere pauperibus sit ipse pauper, potest etiam inconsulto confessario sibimetipsi applicare, ut si necessarijs pro suo statu sit destitutus, etsi ostiatim non mendicet, quia jura solùm obligant ad dandum pauperibus, quia tamen facilè affectus in propria causa excæcat, idcirco absque evidenti inopia non fiat applicatio absque Consilio prudentis confessarij.

Quando restituenda est res deposita, commodata, præcario data, elocata &c. debet reddi non Domino, sed depositario commodatario, elocatario, &c. quia habet jus possessionis, & custodiæ, aut usus, sic artifices sunt custodes materiæ elaboratæ &c. si tamen Domino redderetur, monendus est possessor, ut sciat se deobligari restituere Domino, Trullenck *L. 7, in Decal. c. 14. dub. 3. n. 1.* At res furtiva furi subtracta non huic sed Domino est reddenda, uti & res ablatæ filiofamilias, vel Religioso spectantes ad Patrem vel Conventum Patri, aut Conventui sunt dandæ, nisi filius, aut Religiosus per se restitueret, tunc enim ut consulatur famæ ejus, ipsi debet reddi.

376. Quæres tertiò, quando res restituenda? & ubi? an capax absolutionis differens restitutionem ad tempus mortis per hæredes?

Respondeo ad primum de tempore restitutionis ex contractu justo constare ex *n. 364.* videlicet tempore præfixo, si nullum est præfixum, solvenda sunt debita saltem postquam est debitor requisitus à creditore: quæ requisitio non est necessaria, quando præfigitur tempus, dies enim interpellat pro creditore, unde ab eo tempore debitor est in mora, si non solvit, quando commodè potest, eam

eam tamen culpabilem moram, etsi creditor sæpius debitum exegisset, à culpa mortali secluso lucro cessante, & damno emergente liberat Molin. *Disp. 753. n. 1.* quod Tambur. *L. 8. in Decal. tract. 4. c. 1. § 6. n. 4.* extendit ad casum, in quo vi contractûs dies est præfixa Juramento firmata, Juramentum enim intelligitur adjectum modo morali, nempe, ut non obliget mortaliter executio, quando solutionis dilationi non est annexum damnum emergens, aut lucrum cessans.

Loquendo autem de restitutione ex delicto, certum est, quod à momento, quo quis practicè cognoscit se alienum invito Domino detinere, debeat restituere, nisi ex justa causa præsumi possit Dominum non fore rationabiliter invitum, si ad tempus differatur. Præceptum enim restitutionis indirectè est negativum per *n. 350.* consequenter obligat semper pro semper seclusâ rationabili causâ. Quare à tempore agnitæ obligationis restituendi fovens propositum non restituendi peccat mortaliter in materia gravi, hoc tamen etsi longissimo tempore continuarum, nisi interrumpatur per pœnitentiam, aut formale propositum restituendi, probabilius est unicum numero peccatum, nec interrumpi per impotentiam restituendi, aut somnum aut distractionem Lugo *de pœnit. Disput. 16. n. 549.* Actus autem externus restitutionis ex delicto debitæ non urget à momento Mathematico ad modum præfati propositi restituendi, aliàs media nocte memor obligationis deberet lecto deserto se accingere ad restituendum, sed à momento moraliter tali, id est, quamprimum commodè, sive absque damno æquali, vel graviori fieri potest, ita omnes, unde etiam ad plures septimanas, menses dilatio non est mortalis, quando creditori non est notabiliter damnosa, Molin. cit. à tempore moræ culpabilis in restituendo debitor debet totum interesse, hoc est lucrum cessans, & damnum emergens restituere una cum re debita.

Respondeo ad secundum circa locum restitutionis est distinguendum, vel enim debetur res ex contractu, aut ex re accepta, aut ex delicto: si ex contractu est reddenda in loco secundum contractum expressè aut tacitè initum, aut secundum loci consuetudinem Vid. Lugo. *hic Disput. 20. à n. 198.*

Respondeo ad tertium absolvi non posse primò eum, qui differt restituere usque ad mortem, quia non habet affectum absolutum, qualem exigit præceptum restitutionis, sed conditionatum nempe si morior, proinde habet voluntatem alienum retinendi quoad vixerit.

Secundò eum, qui dubitans de possessione legitima in vita non examinat, sed vult relinquere hæredibus examinandum. Tertiò neque illum, qui in agone constitutus, non vult ipse, etsi commodè possit restituere, sed vult onus hoc hæredibus imponere, oneris enim hujus derivatio in hæredes est per se mortalis, quia experientiâ teste ordinariè sunt morosiores ipso testatore, resque multis litibus exponitur, Molin. *Disp. 756.* & passim Doctores apud Tambur. *cit. §. 6. à num. 3.*

377. Quæres quartò quomodo res restituenda? Respondeo esse restituendam eo modo, quo perpensis circumstantijs personæ nempe debitoris & creditoris reique debitæ (salvâ famâ debitoris, & remoto scandalo, si quod est) deveniat res ad ma-

manus creditoris, aut si transmissam contingat non pervenisse, creditor nequeat esse rationabiliter invitus novamque poscere satisfactionem. Ratio: quod neque justitia nec charitas queat plus exigere.

Infero igitur primò læsæ Justitiæ satisfieri sive per se, sive per alium, sive occultè, sive publicè. Unde obligatus ex debito occulto non tenetur palam reddere ob jus conservandi famam suam, econtra publicus injustitiarius ad removendum scandalum debet publicè restituere, non titulo Justitiæ, quia occultè posset tollere debitum, sed titulo charitatis obligantis tollere scandalum.

Infero secundò debitor ex delicto ad amovendam suspitionem furti, aut periculum infamiæ, quod timet etiam ex restitutione occulta satisfacit tandundem donando creditori E. g. in ejus natali offerendo gemmam, aut vas argenteum æquivalens debito, etsi prævideat creditorem in signum gratitudinis vicissim valorem tantum redonaturum Tamb. *cit.* §. 5. *n.* 2. si enim licitè differtur, aut etiam omittitur restitutio titulo famæ servandæ, cur non sub specie doni non sit restitutio licita, talis enim restitutio non est causa directa redonationis, sed occasio, quam periculum infamiæ facit licitam.

Infero tertiò quando res debita quocunque titulo restituitur per personam intermediam à creditore designatam, debitor satisfacit, etsi res pereat casu aut malitiâ mediatoris, quia hic est moraliter una persona cum creditore. Idem est si debitor ex consensu creditoris designet personam fidelem.

Infero quartò debitor ex contractu aut re accepta rem realiter sive in specie debitam, ut depositum, precarium, pignus &c. mittens per hominem communiter habitum fidelem, etsi talis homo dispareat cum re, ad nihil tenetur, quia adhibuit moralem diligentiam, ut res perveniret ad Dominum, ultra qualem vi contractus non tenetur.

Econtra quando est debitum personale, si non constitutum sub Dominio creditoris ut pretium pro equo, etsi debitor mittat per hominem fidelem à se designatum, si perit, antequam creditori extradatur, perit Domino suo nempe debitori, Tambur. *tract. 4. c. 1. §. 5. à n. 4.* ex consensu Doctorum cum ijsdem meritò obligans debitorem ex delicto transmittentem rem sive realiter, ut equum furto sublatum, sive personaliter debitam, ut pretium pro equo vendito per hominem fidelem etiam confessarium ad iteratam restitutionem, si debitum non pervenit ad creditorem: hic enim non debet pati damnum ob delictum debitoris, éstque hæc sententia communior, ac ex principijs intrinsecis ferè certa teste Lugo *Disp. 21. n. 59.* contra aliquos, quos non omnino improbabiliter deobligare credit Lessius *L. 2. c. 16. n. 67.* quia, inquiunt, talis debitor facit, quantum in se fuit.

Amplia dictam communiorem sententiam ad casum, quo pœnitens bonâ fide confessarij erroneè inductus debitum ex delicto restituit pauperibus, dum esset restituendum Domino: adhuc enim huic debet restituere ob dictam rationem. Nihilominus in hoc casu Tambur. *n. 8.* pœnitentem deobligat, etsi in cæteris casibus, communior sit practicanda,

da, quia Dominus à pœnitente tam piè, & promptè exequente mandatum confessarii, nequit plus rationabiliter petere. Hæc Sententia est probabilis.

378. Quæres quintò quo ordine creditoribus facienda restitutio; dum debitor non est omnibus solvendo? Hic non quæritur de ordine creditorum habentium pignus, aut hypothecam, de quibus fusè disputabitur infra *à n. 415.*

Respondeo primò quando res aliena in individuo existit, cujus scitur Dominus, huic ante omnes creditores est reddenda, nam penes illum est ejus Dominium. Amplia ad casum rei alienæ injustæ adhuc existentis, cujus Dominus est ignotus, tunc enim ex ea re debitor nequit satisfacere reliquis certis creditoribus, eo quod non spectet ad debitorem, sed ad pauperes juxta dispositionem juris Canonici.

Respondeo secundò etsi Rebellus cum aliquibus debita ex delicto præferat debitis ex contractu oneroso. Valentia verò cum Cajetano, Navar. debita contractus præferat debitis ex delicto, probabilius tamen est nullum esse inter ea servandum ordinem, sed pro rata satisfaciendum, Haunold. *tract. 10. n. 403.* Molin. *Disp. 760.* Lugo *Disp. 20. n. 136.* quia nullum jus positivum præfert unum alteri, nec etiam jus naturale, quia hoc jure radix obligationis restituendi ex delicto non præfertur radici obligationis ex contractu, seu non est præstantior, nec econtra: radix enim est jus alterius nempe creditoris consideratum quoad se ipsum, sed hoc qua tale nullam fundat prælationem, etsi debitum ex delicto præsupponat allatam injuriam, secùs debitum ex contractu.

Respondeo tertiò ante omnes creditores debitore mortuo solvendæ sunt expensæ funerales, confectio inventarij, apertio testamenti, Medici, Chirurgi, Pharmacopolæ, præferuntur enim etiam privilegiatis hypothecarijs. Lugo *n. 81. ex L. penult. ff. de Religiosis & sumptibus funeralibus.*

Respondeo quartò seclusis privilegijs, qui prior est tempore creditor, est etiam potior jure, nihilominus posterior potest tutè in judicio petere solutionem prioribus creditoribus non petentibus, eoquè casu jus prælationis per sententiæ executionem posterior acquirit Haunold. *n. 406.* ex legibus sic decernentibus ob Judicis authoritatem, & ad remunerandam creditorum vigilantiam. Ratio autem primæ partis est cum eodem Haunoldo *n. 405.* & multis contra Molin. *Disput. 536. n. 41.* & alios nullam agnoscentes prælationem, quorum sententiam tutam appellat Haunold. Ratio nostra est, quod debitor E. g. Emptor equi se obliget suo creditori, quod velit solvere ex bonis suis disjunctim, id est ex hoc, aut illo suo bono, proinde ex hoc determinato fundo, si ex alijs non possit, seu si alia bona non habebit, ergo in defectu aliorum bonorum nequit se amplius licitè obligare secundo creditori ad solvendum debitum hoc secundum ex eodem fundo, quia ex vi promissionis factæ primo, fundus manet obligatus primo, proinde hic præfertur posterioribus.

Hinc probabilius est, quòd eo casu debitor sponte, seu judice irrequisito solvens posteriori creditori, ab hoc potest solutum expetere, prior creditor, Haunold., *n. 415.* ob textum apertum

cæte-

cæteris posteriorem *in L. ultim. §. 6. C. de jure deliberandi.*

Respondeo quintò debitor ad instantiam posterioris creditoris, aut extra judicium priùs petentis solutionem probabiliter potest, & debet integrè solvere debitum, quando creditores sunt ejusdem qualitatis (si priùs est hypothecarius, vel privilegiatus, secùs posterior, ab hoc prior potest repetere, ut proximè dictum. Lessius. Laym.) quia diligentia facit illum potiorem in & extra judicium, utitur enim jure suo. *L. pupillus 24. ff. qua in fraudem creditorum.* Unde Molin. *Disp. 536. n. 46.* non audet damnare debitorem. qui petenti posteriori creditori extra judicium cæteris non petentibus solvit integrè, oppositum tenet Lugo *à n. 172.* cum aliis.

Respondeo sextò debitorem non posse voluntariè solvere uni ex creditoribus non petenti, nec egenti integrè debitum aliis manentibus insolutis Lugo *n. 174.* ex communi, quia cum alijs sit par in jure, nec vigilantia in petendo faciat potiorem, debitor integrè eum solvendo præfert injustè eundem cæteris: est enim prælatio præjudiciosa, proinde contra Justitiam. Dixi *nec egenti*: nam an debitor possit creditori personali pauperiori etsi graviter non egeat (graviter egenti est priùs subveniendum Laym. *L. 3. tract. 2. c. 15. n. 7.* Less.) priùs soluere, quam diviti non egenti, etsi pauper priùs non petat, est sub lite apud Lugo *à n. 161.* estque ejus negativa sententia probabilior, quia nullum jus præfert magis indigum, sed potiùs jus naturale præfert potiorem tempore. Vide Less. *c. 15. à n. 45.*

Respondeo septimò creditor bonâ fide accipiens solutionem etiam integram oblatam à debitore non tenetur restituere alijs creditoribus etsi anterioribus, his enim nec ex accepta, nec ex injusta actione obligatur, Ita Doctores apud Lugo *n. 179.*

379 Quæres sextò ad quas expensas teneatur debitor ex delicto, si aliquæ sint faciendæ, ut res debita perveniat ad Dominum? certum est restituendam esse in eo loco, in quo eam haberet Dominus, nisi foret accepta, vel detenta, vel destructa: Unde equum mihi Græcij sublatum, quem nunc haberem Viennæ, restituendus est mihi Viennæ (aliàs non esset æqualitas inter debitum, & jus) expensis furis detractis ijs, quas ipse Dominus in eo transferendo necessario fecisset, communior cum Molin. *Disp. 752. n. 5.*

Ad quantas autem expensas teneatur, sunt Doctores divisi, Vasq. cum Cajet. obligat ad quascunque, etsi res restituenda non sit magni valoris, rigor Justitiæ non cessat obligare etiam cum tanto damno: contra quos bene arguit Lugo *n. 185.* quod rigor Justitiæ non opponatur charitati utpote fini virtutum omnium, nec rectæ rationi, charitas autem, & ratio recta non obligat debitorem, ut cum tanta jactura e. g. centum millium aureorum restituet unum aureum. Ipse autem Lugo &c. Lugo *à n. 190.* obligat ad expensas etiam in duplum superantes, quando eæ sunt necessariæ ad faciendam immediatè Domino restitutionem, ut si debes centum, quos nequis reddere Domino sine jactura aliorum ducentorum, hos debes expendere ultra debitum centum, hanc pro-

positionem, si expensæ debitoris excederent, satisfacis reddendo ejus nomine consanguineis, vel in defectu horum pauperibus. Verum etiam hæc est sententia |pacticè difficilis ac videtur nimis rigida, charitas enim non videtur obligare ad expensas duplo majores. Unde Tambur. Less. Molin. ajunt debitorem posse differre solutionem ad vitandas magnas expensas, quando spes est post aliquod tempus fieri posse Domino, quin hic notabiliter patiatur ex dilatione, seclusâ hac spe fieri debet Domino, etsi pares, aut aliquando majores damno Domini expensæ sint faciendæ, quia in pari damno, aut non multum majore est melior conditio innocentis creditoris. Si notabiliter majus damnum foret debitori restituendo immediatè creditori, quam sit hujus ex carentia rei suæ, tunc ex rationabiliter præsumpta voluntate Domini, detur res ejus consanguineis, aut pauperibus, sibi autem minimè potest retinere debitum ex delicto, nisi ipse sit verè pauper.

Denique pro Coronide hujus sat intricatæ materiæ addo ex communi sententia apud, & eum Gormaz *Disp. 17. à n. 877.* sequentem ordinem inter creditores à debitore servandum in restitutione, si res aliena quocunque ex titulo sit apud eum, debet restitui Domino suo, unde si res empta nondum soluto pretio extet, est restituenda creditori, saltem quando non est secutus fidem, vel pignus non accepit. Deinde ante omnes Reliquos creditores solvenda sunt funeralia, de quibus *n. 378.* Quando restituendum est titulo injustæ acceptionis priùs solvenda sunt debita certa, quam incerta, Dominus enim certis debentur jure naturæ incerta verò pauperibus, probabiliter ex jure solo Ecclesiastico: hinc etiam priùs solvi debent debita ex titulo oneroso, quam gratuito. In reliquis debitis servandus est, vel jus locale, vel eo non extante jus generale, secundum quod solvenda sunt primò, ad quæ bona debitoris sunt expressè obligata. Secundò dos uxoris extrahenda. Tertiò debita ad quæ bona debitoris tacitè sunt hypothecata. Quarto deposita perdita in potestate debitoris. Quintò debita promulgata. Sexta debita incerta. Septimò debita his, à quibus usuræ sunt acceptæ. Octavò Reliqua creditorum debita. Inter multos creditores temporis antiquitas est servanda, quia qui prior tempore potior est jure, solvens scienter posteriori (nisi prior petat, tunc enim diligentia facit eum priorem, nequit tamen debitor integrè hunc solvere sed omnibus pro rata oppositum â nostra sententia est probabile per *n. 378 Vers. 6. Resp. 5.*) præterito hypothecario, aut privilegiato, peccat & tenetur de damno. Hactenus Doctrina communis, licet circumstantiæ aliquando mutent judicium, idcirco ad ultimum judicium ferendum, licet multum juvet doctrina generalis, circumstantiæ tamen casuum diligenter ponderandæ

AR-

# ARTICVLVS DECIMVS.

## *Ob quas causas restitutio potest differri, aut penitùs omitti?*

380. REgula Universalissima, ac Verissima est ex Scoto: quoties creditor, aut rei Dominus debet esse rationabiliter contentus, ut restitutio differatur, aut omittatur, ea differri potest, aut omitti.

Infero primò excusare impotentiam non modo Physicam, sed etiam moralem, id est talem, cum qua non potest fieri restitutio absque summa difficultate, ut si debitor nequeat restituere sine graviore suo, aut suorum damno, quare non solùm extrema sed etiam gravis necessitas facit licitam dilationem restitutionis (nisi creditor sit in pari necessitate, & res debita sit sub ejus Dominio, tunc enim melior est Domini conditio) Less. *2. c. 16. n. 15.* ut si propter restitutionem esset vendenda res pretiosa cum gravi damno, licet non incurrat gravem necessitatem E. g. per amissionem status Gormaz *Disp. 17. n. 884.* amplians licet damnum, quod times ex restitutione, esset in eo præcisè, quod spolies te rebus alicujus debitis, vel in eo quod cessaret lucrum, quod ex re aliena percipere res verum lucrum etiam notabile cessans reportandum ex re aliena non justificare dilationem restitutionis meritò negat Molin. *Disp. 754. n. 2. vers. quando detrimentum &c.* non enim est damnum in rebus proprium *Disp. 21. n. 15.*

381. Infero secundò esse justam dilationem restitutionis ob probabile periculum notabilis damni in bonis altioris ordinis in se, aut in suis, nempe bonis animæ, ut si uxor, aut filia se prostitueret, vel ipse debitor desperaret aut si restituendo veniret in suspicionem criminis, aut periclitaretur de amittenda fama (sed huic consulitur per confessarium monet autem Molina, ut debitor exigat per confessarium à creditore Chirographum, quo testetur se accepisse debitum tacito debitoris nomine, expresso verò creditoris) ut si adultera genuit spuriũ ex occulto adulterio, de quo vide *n. 111.*

Infero tertiò debitor licitè differt restitutionem, si ex hac incurreret gravem necessitatem E. g. misere vitam toleraret, aut statu justè acquisito excideret, Ita plerique at Molin. cit. *à versu quando autem aliquis &c.* censet quidem id probabile quando debitor inculpabiliter ad eam impotentiam devenit: tunc enim retinere justè potest solùm necessaria ad parcè vivendum juxta suum statum & reservando simul, unde paulatim lucrari, ac restituere valeat, si creditor non æquale aut paulò minus damnum dilatione non patietur; si autem culpabiliter factus est impotens, obligat statim ad integram restitutionem, licet neque ægrè & parcissimè vivere posset in suo statu, sed ab eo omnino deci-

dendum foret, etsi debita non sint ex delicto, nisi spes sit, quod paulatim restituendo omnia etiam damna lucri ex dilatione cessantis solvere posset. Sed Lugo *Disp. 21. à n. 10.* tantum rigorem merito rejicit. Imò etiam necessitas minor gravi etiam in bonis fortunæ excusat à præsenti restitutione, ut si debitor ex restitutione non sit excisurus statu justè possesso, pateretur tamen jacturam, quando cogeretur vendere v. g. domum multò minoris, quam valeat, sic etiam vir nobilis cogi non potest ad restitutionem, si deberet se privare omni famulitio, equis, abstinere à consortio sui similium, aut civis primarius exercere artem Mechanicam sibi insuetam: hi tamen, & similes debent sibi subtrahere quantum possunt intra limites decentiæ statûs, ut sensim restituant.

Dixi si statu *justè acquisito excideret*, nam injustè promotus ad statum, officium E. g fraude, furtis, vel rapinis, debet restituere cum jactura statûs &c. hoc enim non est excidere statu suo, sed ad priorem sibi debitum redire, ergo debet totum reddere etiam ad mendicitatem retentis solùm necessarijs ad sublevandam extremam necessitatem, nisi periculum infamiæ excuset: Unde advertit Lessius *n. 29.* Si debitor habeatur passim pro viro probo, etsi statum suum modo illicito comparavit, attamen non obligare illico mutare, si repentinâ mutatione nempe integrâ simultaneâ restitutione se infamaret de fraudibus suis, tunc enim posset sensim restituere, quia fama est ordinis altioris. Extende dictam obligationem debitoris iniqui ad ejusdem hæredes, nisi bonâ fide cæperint possidere statum suum: Tamb. *L. 8. in Decal. tract. 4. c. 1. § 9. n. 5.*

Infero quartò facilius ob moralem impotentiam differri potest restitutio incertorum ex delicto maximè juxta probabilem sententiam, quod eorum erogatio in pias causas sit tantum ex jure Ecclesiastico (de quo vide *n. 272.*) etsi enim jure naturali sit restitutio necessaria ad salutem, non tamen videtur jure naturali præceptum, ut restitutio incertorum ex delicto fiat determinatè in causas pias, Augustinus Michel *to. 2. Theolog. Canonico Moral. tr. 6. p. 2. fol. 943. n. 10.* ex Laym. *L. 3. tract. 2. c. 12. n. 3.* & ideò facilius potest ad tempus differri solutio, aut per partes præstari, quanto simultanea non potest fieri sine damno statûs justè acquisiti, mitior enim est obligatio radicata in Ecclesiæ præcepto. Vide cit. Michel *n. 11. & 12.* ubi negat contra cit. Laym. Molin. & alios esse probabile, quod si ob paupertatem statûs sibi applicuit, extinguatur obligatio restituendi. Verum cit. Author deberet positivè probare improbabilitatem, quod non facit.

382. Causæ penitus liberantes à restitutione præsenti, & futura. Prima est interitus rei in specie, seu ut Juristæ loquuntur in individuo debitæ absque culpa ex contractu, aut re accepta tantum obligatæ, secùs debitæ ex delicto, nisi apud debitorem casu pereat similiter certo peritura apud Dominum per *n. 370.*

Secunda est creditoris expressa aut tacita condonatio spontanea facta à potente condonare extra casus, in quibus condonatio ob jus resistens nihil operatur: spontanèe inquam, quia remissio debiti quovis metu extorta irrita est, proinde magnates non sunt in conscientia tu-

tuti mercatoribus, Opificibus injustè detrahentes in pretio, esto apparenter consentiant in diminutionem solutionis ob desperationem totius justi debiti. Huc spectant simulantes impotentiam solvendi, atque adeò à creditoribus exigentes sub pretextu inopiæ remissionem partis debitorum, talis enim remissio fit ex metu amittendi totum Lugo *Disput. 21. n. 49.* Vid. *n. 44.* in fine 46. de tacita condonatione.

Tertia est compensatio à debitore facta creditori, ad quam duæ sunt necessariæ conditiones: Prima est, ut in eam præsumi debeat, aut possit saltem tacitus creditoris consensus, quod maximè potest contingere in debito ex delicto sine periculo infamiæ non restituendo. Secunda ut debitor dando æquivalens rei debitæ det animo satisfaciendi suæ obligationi: donans enim tantundem, sed immemor debiti, sive ex contractu sive ex delicto non extinguit debitum, nam gratuita donatio opponitur solutioni ex Justitia, Sanch. *L. 1. Moral. c. 13. num. 11.* Less. *L. 2. c. 37. num. 11.* vide aliquam exceptionem apud Laym. *L. 3. tract. 2. cap. 12. num. 9.*

Quarta causa est legitima superioris potestas liberantis omnino à debiti solutione, fit autem id multipliciter primò per præscriptionem per dicta *à num. 167.* Secundò per justam Judicis sententiam. Tertiò per compositionem à Pontifice, quando debita incerta sunt restituenda: tunc enim Papa potest debitori ad se recurrenti injungendo ei certam quotam statim in pias causas erogandum reliquum debitum totum remittere. De Bulla compositionis hujus vide Lugo *Disput. 21. sect. 7.* & breviter Amicum *tom. 5. Disput. 41. à n. 43.*

Quinta est cessio bonorum, beneficium cessionis est introductum à jure in remedium debitorum incarcerabilium ob impotentiam solvendi, dictum flebile, ac miserabile, ut possint unum ex duobus eligere carcerem, vel cessionem bonorum, ex quibus quantum eorum substantia patitur, satisfiat creditoribus non prodest debitoribus ex delicto, nec dilapidatoribus in fraudem creditorum. De hoc beneficio fusè disputat Haunold. *tract. 2. c. 4. Controvers. 2.* ubi *n. 445.* ex communi Theologorum notat coactum bonis cedere salvâ conscientiâ posse occultare necessaria ad tenuem victum secundum statum suum, quia sine victu saltem tenui graviter eget. Duo insuper advertunt Theologi apud Sporer. *tract. 4. in Decal. c. 4. à n. 94.* Primum est talem cessionem in foro conscientiæ non prodesse, nisi verè sit impotens. Secundum est, quod debitor teneatur in conscientia residuum solvere, si redeat ad pinguiorem sortem.

Sexta est beneficium competentiæ. Verum hoc non extinguit debitum, sed dat privilegium, ut debitores nequeant conveniri ultra id, quod commodè solvere possunt, unde est relinquenda illis competens sustentatio, competit autem parentibus conventis à liberis, Fratri à Fratre Germano, Socio à Socio, marito ab uxore repetente dotem, &, ut habet communior, Nobilibus, ac Illustribus personis, adjiciunt alij redactos ad inopiam sine sua culpa ex casu adverso. Item probabilius Doctoribus juris, Advocatis, Medicis eorúmque uxoribus & filijs vid. Haunold. *à n. 457.*

# ARTICVLVS VNDECIMVS.

## *De Restitutione famæ, & honoris.*

DE injustitia in bonis famæ, & honoris est fusè disputatum *à num. 308. ad 328.* de ejusdem gravitate & levitate *à n. 311.*

383. Quæres primò quomodò sit reparandus honor læsus per contumeliam, aut signa excellentiam alterius imminuentia, & quid si inhonoratio sit occulta citra aliud damnum?

Respondeo primò ad secundum etiam talem resarciendum esse, ita Haunold. *tract. 2. num. 563.* Lugo contra Molin. *tom. 5. Disput. 46.* quia malè hìc supponit ejusmodi inhonorationem esse malum merè præteritum habens se eo modo, quo passus injustè famam hâc superatâ eam inferens ad nihil tenetur malè inquam supponit: perseverat enim moraliter, quamdiu non satisfit competenter per oppositam contestationem, cujus signum est tristitia de contemptu nostri præterito, nisi satisfiat,ècontra non tristamur de fama pure præterita.

Respondeo nunc ad primum non sufficere, quod inhonorans familiariter conversetur cum inhonorato, cum quo antea consueverat taliter agere, nisi addantur signa specialia, quia ille communis conversandi modus non fit ad reparandum honorem, sed ut evites scandalum, ac majores declinentur inimicitiæ, Tambur. *L. 9. in Decalog. c. 3. §. 8.* requiritur ergo ea satisfactio, quæ attentâ gravitate injuriæ, dignitate personæ satisfacientis, consuetudine Patriæ, &c. sufficiat, seu æquet injuriam. Dupliciter autem resarciri potest. Primò humili Veniæ petitione ab inhonorante, sic enim maximè honorat læsum, quia se illi submittit. Secundò externâ obsequij declaratione absque petitione veniæ, aut Amicâ salutatione, vel loci honorifici concessione, vel invitatione ad mensam, aut laudatione coram jis, coram quibus est honor læsus: hic secundus modus sufficit in superioribus erga inferiores, quia ab illis facta his inhonoratio est minor, quamècontra, ergo licet inferiores quandóque obligentur ad veniæ petitionem, non tamen superiores. An gravitas culpæ aliquando exigat veniæ petitionem cum genuflexione, est incertum. Negat citatus Tambur. putans hunc modum nimis excedere culpam. Affirmat P. Rosmer *in Opuscul. de jure fol. 490.*

384. Quæres secundò quam debeat præstare restitutionem sine culpa Theologica graviter lædens famam alterius, an sit eadem obligatio restituendi

sive

sive crimine vero sive falso proximum infamâsti?

Respondeo ad primum teneri non solùm ex charitate secundum omnes, quando restitutio fieri potest sine gravi incommodo, sed probabilius etiam ex Justitia titulo quasi rei nempe famæ alienæ detentæ fovendo pravam opinionem in mente alterius exclusâ bonâ famâ, Haunold. *num. 552.* Laym. Molin. Lugo Less. contra Dicast. cujus sententiæ probabilitatem non audet negare Haunold.

Respondeo ad secundum negativè, nam quando falsum crimen imponitur, retractandum est omnibus modis non trahentibus damnum longè gravius infamatione factâ: debet igitur dicere, si simplex retractatio non sufficit, se deceptum esse, quod verum est, cum omne peccatum sit deceptio quædam, dum homo sequendo passionem ab hac decipitur Laym. si sic non proficit, debet dicere, quod proximo fecerit injuriam, aut falsum dixerit, si nec sic, cogitur fateri se menditum (ad hoc non tenetur quando infamans est vir gravis, infamatur verò longè inferior, tunc enim satis est restitutio famæ eo modo, quo reparatur ex vero crimine, Tambur. §. 4.) ac tandem etiam juramento firmandum est mendacium factum, dum aliter nequit adferri medela, at dum crimen verum vulgatum est, non ita rigidè fit reparatio, ut mox patebit.

385. Quæres tertiò, quomodo restituenda fama læsa propalatione criminis veri? & an etiam apud Authores mediatos, qui acceperunt ab immediatis, coram quibus tu detraxisti?

Respondeo ad primum multipliciter restitui potest primò: dicendo E. g. memini me de Petro hoc dixisse, sed erravi, feci injuriam: male locutus, aut deceptus sum: hæc omnia citra mendacium dici possunt, valeátque communiter apud simplices sed non apud ingeniosos, ut notat Lessius. Secundò probabilius sine mendacio potest dicere se falso dixisse, Sanch. *Lib 3. Moral. c 6 n. 28.* Haunold. *num. 560.* Amicus *Disp. 37. n 146.* contra Cajetan. Sotum, Navarrum, talis enim sermo utpote contra judicium practicum dictans non esse hic, & nunc hoc crimen revelandum fuit falsus, seu etiam mendax, quatenus, ut explicat Molina *Tom. 5. Disp. 44. num: 2.* est contrarius veritati, non sermonis, sed vitæ, quæ contrarietas in eo est sita, quod dissentiat à lege DEI, ipse verò ait se aliquando suasisse, ut dicat, quod de tali dixi, ex mea malitia id dixi, & si opus est, etiam juramento firmabo, me ex mea malitia (id est, nequitia propria locutum, qui modus nullum continet mendacium) id dixisse. Tertius modus isque omnino necessarius, si allatæ Amphibologiæ non sufficient, est, si infamans infamatum laudet tamdiu, quamdiu prudentis judicio sufficiat, ut infamia sit absersa, ad quod non sufficit laus in materia diversa ab ea, in qua est infamatio (Haunold. *num. 561.* fatetur sic non restitui famam in materia, in qua quis passus est: credit tamen siniſtram opinionem imminui) ergo debet esse in eadem materia, scilicet eum, quem dixisti fornicatum, castè vixisse, Tamb. cùm Dian. *pag. 3. tract 5. Resol. 30.*

*sol. 30.* & multis hunc modum, utpote uavem, & pœnitentibus facilem judisat, quem idcirco cæteris modis præfert etiam *pag. 11. Resol. 56.* Amicus *num. 147.*

Respondeo ad secundum, si coram tot revalâsti, ut faciant publicitatem criminis obligaris retractare coram omnibus, ad quos infamatio pervenit etiam per primos Auditores, quia non hi, sed tu, cum jam per te crimen factum sit publicum es causa totius infamationis, uti etiam, quando nondum factum est publicum, si tamen ideo propalâsti uni, aut alteri, ut per eum alijs parefiat, tunc enim es causa principalis, alij instrumentalis: seclusâ hâc intentione, & publicitate est distinguendum cum Petro Navar. si primi, seu immediati Auditores prudenter creduntur taciturni, sufficit restitutio coram illis, quia detractionis ab his factæ coram alijs non es causa, si autem sciebas esse loquaces, aut saltem dubitabas de silentio, debes restituere etiam coram cæteris: quia non minus es causa universæ infamationis, ac es causa totius damni ponens ignem cum prævisione secuturi incendij Dicastillo *L. 2. tractatu 2. Disput. 12. n. 168.* Amicus *à n. 140.*

386. Quæres quartò an cum vitæ periculo obligetur detractor restituere famam magni momenti v. g. personæ illustris, aut cum periculo paris, aut majoris infamiæ, aut amissionis bonorum fortunæ?

Respondeo primò obligari cum periculo paris, vel paulò majoris infamiæ, secùs notabiliter majoris: quia Justitia commutativa, quando agitur de damno æquali, vel parum majori potiùs obligat nocentem, quam innocentem, secùs, quando nocens pateretur cùm notabili excessu per *num. 379.* Unde infert Amicus ex communi *num. 173.* Prælatum, aut quemvis alium magnæ Authoritatis virum non obligari restituere famam Plebejo cum detrimento suæ famæ, sed sufficere, si hunc laudet in eo genere in quo illud infamavit, vel admittendo in amicabilem conversationem, vel petendo ab eo condonationem; hoc approbat etiam Dicast. *dub. 11.*

Respondeo secundò esse obligationem cum jactura bonorum temporalium resarcire infamiam gravem formaliter injustè ablatam, Dicast. *dub. 10. n. 219.* ex omnium sensu: quia jactura temporalium secluso vitæ periculo est minùs malum, quam jactura gravis famæ, sed ex proximè dictis Justitia commutativa obligat ad jacturam parem, vel paulò majorem.

Respondeo tertiò infamans tenetur cum vitæ periculo retractare infamiam, quando infamato ex infamia immineat vitæ periculum, ut constat ex Responso primò.

Et licet Sotus, Covarruvias, Rebellus obligent Plebejum cum vitæ periculo reddere famam personæ nobili, quia inquiunt, fama hujus præstat vitæ Plebeij, at rectius negant alij cum Diana *p. 3. tract. 5. Resol. 30. §. Notandum est quinto.* Etsi infamia esset gravissima E. g. de hæresi, crimine læsæ Majestatis; quia vita est bonum Superioris Ordinis, unde adultera etiam infimæ sortis nupta viro nobili, eique supponens prolem illegitimam pro successione majoratus omissis legitimis non tenetur prodere, etsi sciret profuturum per dicenda *n. 601.*

387. Quæ-

387. Quæres quintò quæ causæ excusent à restitutione famæ, & honoris? Respondeo ex communi sensu Theologorum tres requiri conditiones, ut sit obligatio restituendi famam, aut honorem. Primò ut honor, aut fama reipsa sit proximo ablata. Secundò ut sit injustè ablata. Tertiò ut non fuerit aliunde jam recuperata. Ex his conditionibus.

Infero cessare obligationem restituendi famam primò quando nulla fuit secuta infamia; ut si infamator nullius erat fidei, quod sæpe accidit, vel quia Auditores jam sciebant crimen illud.

Secundò si crimen propalatum prudenter existimetur obliteratum; at quando queat præsumi ejusmodi oblivio, difficulter Regula dari potest, lapsum temporis, v. g. ad 20. annorum non posse esse Regulam contra Azor docet Dicast. *dub. 7.* dicens, quod senex recordans se in adolescentia falsum crimen imposuisse puellæ; Ex hoc præcisè non possit prudenter concludere criminis oblivionem, sed aliæ circumstantiæ sunt perpendendæ, ut si infamans sæpe de persona infamata sit confabulatus cum jis, coram quibus detraxit, quin ullum signum recordationis advertit: tunc enim prudenter præsumitur oblivio, quæ oblivio si perpensis omnibus sit dubia, est obligatio restituendi.

Tertiò si infamatus condonet prout condonare potest, quando non redundat infamia in alios per *num. 26.*

Quartò si fama ablata sit recuperata per aliam viam E. g. gravium virorum Testimonio, aut infamia vitæ probitate pœnitùs absterſa ab ipso infamato.

Quintò si crimen verum à te injustè revelatum aliâ ratione fiat publicum, stante enim tali publicitate quisque justè loquitur de tali crimine, ergo justè primus non retractat, cum infamiam non retractare, ac eam inducere sint ejusdem rationis, at si crimine falso infamâsti, etsi postea publicatum sit per alios, non deobligaris, dummodo spes sit infamiam ablatum iri Dicastill. *Disput. 12. p. 3. dub. 9.*

Sextò si alterum infamâsti per modum justæ defensionis, ut si infamatio fuerat necessaria ad infirmandum fidem volentis te infamare, aut falsum contra te testari per *num. 27.*

Septimò si nequeat restitui sine amissione famæ longè majoris momenti, aut sine vitæ periculo per *num. 385.*

Octavò excusat justa compensatio, ut si is, quem infamâsti te pari modo infamavit, non quod fas sit infamantem reciprocè infamare, hoc enim foret vindicta, sed quod infamans vicissim infamatus non teneatur reparare, si alter nolit restituere, tunc enim potest uti compensatione, nisi longè gravior sit infamia illata à primo infamante.

Nonò quando infamatio fuit propter bonum spirituale infamati, ut si delictum manifestetur Prælato, aut alteri juvare potenti.

Decimò quando dictum tuum erat de se indifferens, sed audientes in partem malam sunt interpretati, unde malitiæ audientium imputandum, uti etiam eorundem levitati, si quis solùm narret audita, & ait se audivisse nihil addendo ex quo faceret credulitatem. Ita Raiffenstuel *Theolog. Moral. tr. 9. Distinct. 6. q. 5. n. 52. & 53*

# APPENDIX

## Ad Præcedentes Dissertationes

## §. IV. Dissertationis I. Articuli I.

### *De jure gentium.*

388. PLura huic opusculo adjecta sunt, quæ Auditoribus non dictavi, ne autem numeri Dissertationum nimis longi essent, ea, quæ cuivis loco inseri debuissent, in hac Appendice suppleo indicato numero in Dissertationibus sub quo in Appendice de omissis disseritur.

Quæ *numero 9.* de jure gentium dixi nimirum esse quasi medium inter jus naturale, & positivum procedunt spectatâ communi doctrinâ, à qua recedo, uti patebit ex mox subjiciendis.

De jure gentium, utrum sit merè positivum, & humanum, aut medium ex naturali, & positivo humano valdè disceptatur apud Wiest. *in Dissert. Proæmiali num. 51.* Raiffenst. *à n. 20. proœmio ad 1. Decretalium*, ubi illud subdividens in primarium, & secundarium, illud statuit esse naturale propriè dictum; hoc humanum, quia, inquit, etsi ratio naturalis sit ejus aliqualis origo, non tamen ex solo rationis instinctu nobis indictum, sed ex necessitate humani convictûs ita exigente ipso usu, & moribus est constitutum.

Convenit inter omnes jus gentium sic dici, quo omnes gentes, vel fetè omnes utuntur, *L. omnes ff. de just. & jure*, sic inducta sunt sedium occupatio, ædificatio, munitio, bella, captivitates, servitutes, fœdera, paces, induciæ, legatorum non violendorum Religio, &c. *can. jus gentium dist. 1.*

*Resp.* Probabilius videri, quod jus gentium non sit mixtum ex propriè naturali, & positivo humano, sed esse merè humanum Wiest. *cit. Dissert. n. 52.* post alios *à num. 53.* ita explicans considerando hominem tripliciter. Primò uti est creatura rationalis usu rationis prædita, sic regitur jure, seu lege naturali ostendente, quæ sint rationi consentanea, & præstanda, quæ difformia, & vitanda, hujus juris materia non solùm sunt prima, & per se nota principia naturalia relata *n. 20.* sub finem, & omnia,

hia, inde evidenter per Discursum immediatè, aut mediatè deducta moralia dictamina aliquid propter bonitatem ei intrinsecam præcipientia, aut propter malitiam prohibentia, idque secluso omni alio jure positivo divino, & humano, unde nisi mutentur circumstantiæ materiæ, est necessarium, ac immutabile omnes omnino homines obligans ante, aut post rerum divisionem, &c. ut præcepta Decalogi, &c. sic furtum post dominia rerum divisa est indubitate jure naturali vetitum, obligatio parendi Domino post servitutem inductam, obligatio implendi contractûs, aut simplicem promissionem, aut juratam, supposito commercio, promissione, juramento, non vendendi rem sacram suppositæ hujus consecratione.

Secundò consideratur homo ut civis, seu ut membrum politicum communitatis alicujus perfectæ seu principatûs, qua talis regitur jure in eo constituto aut recepto ad commune ejusdem Principatûs bonum sic consideratus homo subest juri civili, aut canonico.

389. Tertiò ut est pars, seu membrum totius humanæ communitatis conflatæ ex omnibus populis, etsi in varios principatus divisis, diversæque Religionis orbe toto sparsis. Omnes homines sic considerati habent inter se quandam unitatem non tantum physicam nempe specificam in naturæ similitudine, sed moralem quóque, & politicam, quam fundat naturale præceptum mutui amoris, opitulationis, &c. cum nulla gens ita sibi sufficiat, ut ad perfectam felicitatem non egeat ope alterius, communicatione mutua ad promovendum, conservandúmque commune bonum. Hoc modo considerati homines subjiciuntur juri omnibus, aut ferè omnibus gentibus communi, cujus Author non est solùm lumen naturale, seu dictamen initio conditæ naturæ rationalis inditum, sed postea tractu temporis poscente ita communi, aut necessitate, aut utilitate, suadente usu, & moribus omnium, aut ferè omnium gentium est institutum, non quidem ita, ut consensus populorum fuerit expressus, & scriptus publicè promulgatus, sed moribus instarque juris consuetudinarij communi omnium, aut ferè omnium usu inductus. Et hoc jus nuncupatur jus gentium, idque dicitur propriè tale, quod mutua inter illos obligatione est introductum: cujusmodi sunt legatorum admissio, & securitas, jus belli ad vindicandam injuriam, reparandúmque damnum illatum ab alio populo: modùsque id indicendi per Feciales, ne fontes & instrumenta belli veneno inficiantur, aut ne hostis per submissos sicarios occidatur; aut ne quis quoad effectum rerum bello captarum & occupatarum invasionis & cædium valeat puniri ut prædo, aut homicida. Ejusdem juris gentium sunt fœdera pacis, & induciarum, dum rationabiliter, ac debito modo petuntur, servitus, id est, hominibus aliàs liberis bello captis facultas pro servis utendi, libertas commerciorum apud exteros, & hostes exercendorum, jus sepulturæ, seu defunctis honorem exhibendi cadavera eorum humando.

Quando autem non ex mutua omnium, aut ferè omnium gentium obligatione, sed ob singularem gentium utilitatem intra quemvis Principatum à civibus eum constituentibus invicem, aut

ab una gente erga alteram ex obligatione obſervatur, dicitur jus gentium impropriè tale, re ipſa autem ac propriè, vel jus civile Wieſt. *num. 56.* exemplificans in modo determinato, quo DEUS ſit colendus (aliàs jure naturæ DEO debetur cultus) per ſacrificia, per inſtitutos ad ea offerenda certi ſtatûs homines, in uſu panis pro cibo, conſtructione ædium, munitione civitatum, diviſione rerum, jure poſtliminij, contractibus non paucis, & quædam alia quorum utilitas eſt quidem ex omnium ferè gentium uſu, ut finis & particulare ſingulorum bonum introducta, non tamen ut finis totius gentium omnium communitatis. Jus quidem naturale obligat ad colendum DEUM. Servanda fœdera, at non determinat modum, quo ſit colendus, uti nec jus naturale obligat ad petitionem fœderis, aut ad petiti admiſſionem, ſed jure gentium utrúmque eſt inductum, ſecùs implendi obligatio, ſed jus naturale pacta legitimè celebrata cuſtodire præcipit, forma autem in contractibus ineundis jus civile, aut municipale, ſeu cujusvis gentis proprium præſcripſit.

390. Jus gentium etſi ſit conforme rationi naturali, ac inſtar veri juris naturalis obligat homines; differt tamen ab iſto, quod iſtud invariatis circumſtantijs ſemel obligans ſit immutabile, ac neceſſarium, atque ante omnem conſenſum liberum divinum, humanúmque vim obligandi habeat, omnésque omnino gentes ita conſtringit, quin ullo mutuo conſenſu valeant ſe ab eo liberare, è contra jus gentium, ſicut eſt introductum mutuo omnium conſenſu non expreſſo, ſed tacito per *num. 389.* ſub princ. ita pari conſenſu abrogari poteſt, proinde ejus obligatio non eſt ſimpliciter neceſſaria, ſed contingens, ac mutationi obnoxia, ſicut ipſa neceſſitas, & utilitas, ob quam eſt jus gentium exortum.

Neque hoc eſt receptum ab omnibus prorſus gentibus, cum teſtentur Hiſtoriæ jura legatorum non vigere apud aliquas, imò defacto eſt ex parte mutatum etiam inter Chriſtianos, apud quos bello capti Chriſtiani non fiunt ſervi, & licet bonorum diviſio ſit juris gentium, hodie tamen apud Religioſos nulla eſt inter eos quoad bona diviſio, ſed hæc ſunt omnibus communia Wieſt, *à num. 57.*

# §. XIII. Dissertationis I. Articuli VI.

## *An Prælati Regulares possint subditis concedere usum, aut administrationem temporalium? & quid Religiosi facti Episcopi, aut Cardinales possint circa temporalia?*

391. QUæres primò an Superiores Religiosi subditis suis possint concedere bona stabilia saltem ad usum, aut administrationem? Respondetur negativè Less. *citand. num. 30. ex c. ad Monasterium de statu Monachorum*, & Trident. *Sess. 28. c. 2. de Regular.* ubi sic præcipitur, *ut nihil eis liceat suo; aut etiam nomine conventûs possidere, aut tenere, sed statim superiori tradantur, conventuique incorporentur.* Hinc etiamsi Scholastici in Societate retineant ad tempus Dominium rerum suarum etiam immobilium, administratio tamen earundem non ipsis, sed officialibus ad nutum amovibilibus committitur. Quare duntaxat mobilium usum possunt concedere congruentem statui paupertatis, quam profitentur, & quidem etiam ad usus indeterminatos juxta Less. *lib. 2. c. 4. num. 33.* contra alios, nempe si utilitas conventûs; aliave justa causa id postulet, ut si vir dives nollet profiteri, nisi aliquid peculium indulgeatur. Bassæ V. paupertas *Religiosa tom. 7. num. 17.*

Quare vitales census possunt tolerari pro usibus necessarijs ingredientium, secùs eorum administratio solis officialibus concessa Less. *n. 31.* monens posse à superioribus expendi illos etiam in alios usus, dummodo aliunde sufficienter Religioso provideantur.

392. Quæres secundò, quid possint citra voti paupertatis violationem Religiosi assumpti ad Episcopatum? *Resp.* posse eos expendere in usus proprios, non solùm necessarios sed etiam decentes, ut munera moderata, ad pias causas, secùs in res vanas, aut ad ditandos amicos, aliàs tenerentur tum ipsi, tum accipientes ad restitutionem Cit. Less. *n. 29.* Idem dic de Religioso Beneficiato quoad redditus beneficij, nisi exstet peculiare statutum eos impediens à præfatis expensis. Imò putat Navar. apud Brisac. *n. 72.* quod possit Regularis beneficiatus sicut sæcularis disponere quoad congruam sustentationem, & pias causas, verum hic semper præ oculis habenda est consuetudo est statuta Religionis.

Sic teste eodem Brisac. *tract. 3. cursus Theolog. de just. tract. 5. Disp. 1. q. 3. n. 74.* Consuetudo obtinuit, ut Regulares promoti ad Cardinalatum, aut Episcopatum etiam Titularem, aliámve Ecclesiasticam dignitatem, præsertim si hæc sit fundata in bonis distinctis à cor-

pore bonorum Ecclesiæ, quidquid quovis modo acquirunt, pertineat ad ipsorum Ecclesiam vel Beneficium, vel Cameram Apostolicam, secùs ad ordinem, ex quo sunt assumpti, cum sint ab eo omnimodè exempti.

Imò etsi Religiosi non ejecti quidquid acquirunt quovis modo lucrentur Monasterio, ejecti tamen, sive justè, sive injustè secundum Sententiam communiorem non acquirunt Monasterio, quia cessarunt esse membra illius.

# §. XVII. Dissertationis I., Articuli VI.

## *Quinque sequelæ contra votum paupertatis & totidem propositiones de paupertate in Societatis Scholis prohibitæ.*

393. VLtra Corrollaria §. *16.* concernentia votum Religiosæ paupertatis de eodem ex jactis *n. 43. & 45.* Principijs sequentes formo sequelas.

Sequitur primò violari votum à Religioso non parato ad nutum superioris cessare ab usu sibi concesso (aliàs sibi arrogaret usum independentem, esseque proprietarius, uti etsi, paratus sit, at non sine murmure, & querelis, ob quas superior tolerat continuationem usûs, ejusmodi enim licentia est nulla utpote metu extorta Sanch. *Lib. 7. Moral. c. 19. n. 18. juncto n. 62.*

Sequitur secundò non posse quidquam ex concessis superiore inscio Religiosum validè alienare *c. cum Monasterium de statu Monachor.* nec alienare, nec mutuare, nisi fortè in parvis, & crebrò occurrentibus, uti contingit in libris, vestibus &c. commodatis *per num. 56.*

Sequitur tertiò Religiosum non posse à sæcularibus accipere deposita; acceptio enim hæc est pars administrationis temporalium contra votum paupertatis) nisi depositor in se suscipiat omne periculum rei depositæ, jus Dominij, usûs & administrationis Laym. *L. 4. tract 5. c. 7 n. 4. vers. at verò* Sanch. *lib. 6. Moral. c. 14. n. 27.* nimirum secluso expresso, aut tacito, aut indubitanter præsumpto Prælati consensu.

In Societate JESU est specialis hujus prohibitio per *Regulam 64. & 69.* Præpositi Professæ Domûs: *depositum inquit pecuniæ nullum prorsus admittatur: aliarum verò rerum non nisi cautissimè, dummodo sint eorum, quibus multùm debemus, aut alioqui id officij sine magna offensione negari non possit.*

Si depositum perit, sive apud Religiosum, sive apud Abbatem sine consensu Monasterij acceptatum, ad nihil tenetur Monasterium per *num. 53.* cit. Sanch. *n. 29.*

394. Sequitur quartò esse in votum pauperratis Sacrilegum Religiosum sine facultate superioris commutantem res sibi concessas saltem cum exteris, sic enim nititur transferre rei commutatæ Dominium, atque adeò actus talis sapit Do-

Dominium, aut liberam administrationem, & licet aliqui hanc praxim excusent â mortali, dummodò fiat pro æquali, aut notabile damnum non sequatur, meritò tamen in rebus gravis momenti, huic opinioni contradicunt Sanch. *lib. 7. Moral c. 19. n. 67.* Laym. *versu sed quid Sententiam, &c.* paupertas enim non videtur solius damni Monasterio creati illatione, sed sacrilega usurpatione rei, tanquam propriæ, hoc contingit in permutatione rei magni pretij citra superioris facultate. Uterque autem monet plerumque præsumi posse superiorem non esse invitum quoad permutationes inter Domesticos ut si Religiosus cum correligioso Breviarium, togam, cistam comutet pro aliis sibi magis commodis, aut certè si superior est invitus, non est invitus quoad rem, sed quoad modum, si tamen etiam quoad modum esset rationabiliter invitus notabiliter superior, non careret culpâ mortali Sanch. Et licet Laym. liberet à mortali permutantem etiam cum exteris pro similibus, aut æqualibus, hæc tamen doctrina in Societate JESU non habet locum ex propositione secunda mox referenda.

395. Sequitur quintò Religiosum voti esse reum res sibi ad certum usum concessas applicando alijs non concessis sibi commodioribus, aut vanis, ac illicitis, ita San Gallenses *tom. 7. tract. 2. §. 3. dub. 1. n. 11.* Et sic delinquunt illi Religiosi in Academijs constituti pecunias missas pro vestitu, victu, libris, &c. expendentes in lusum, compotationes, &c. aut itinerantes, qui pecunias partim pro decentibus honorarijs, aut honesto viatico concessas strictiùs solito in via vivendo comparsas exponunt in libros, vestitum, munscula, ita Laym: *versu tertio violat &c.* juncto *n. 5.* ubi advertit, quod sententia Navarri docentis *de redditibus Ecclesiasticis q. 1. monito 33.* Religiosum extra Monasterium viventem & ex designatis sibi annuis redditibus parciùs vivendo pecunias conservantem, his posse egenis consanguineis erogare, sit intelligenda in casu rationabiliter præsumpti consensûs Prælati, aut si Religiosus administret bonâ liberè, cum independentia à Prælato prout habet, qui ex dispensatione Papæ de beneficio provisus est cum facultate in eo perpetuandi extra Monasterium.

396. Ut perfectiùs consulatur voto paupertatis sequentes quinque propositiones in Societatis Scholis doceri sunt prohibitæ à Patre Mutio Vitelleſco Generali ejusdem Societatis año 1640. die 26. May.

Prima est *Religiosus Societatis, qui inscio superiore acceptis à parentibus nummis libros emit, dummodo illos habeat in cubiculo expositos, non violat paupertatem.* Eam docuit Azor *1. Instit. Moral. lib. 12. c. 12. q. 3.*

Secunda *Religiosus commodans aliquid alteri in ijs rebus, quæ sibi adusum conceduntur non facit contra votum paupertatis, si certus est de restitutione illius. Idem dicendum de permutatione etiam cum sæcularibus modo ea, quæ permutantur non sint deteriora.* Primam partem tenuit Sanch. *cit. c. 19. n 65.* secundum Taner. *tom. 3. Disput. 6. q. 3. n. 104.*

Tertia *Religiosus accipiens ab Amico prandium, aut alia Comestibilia exigui valoris non violat votum pau-*

*per-*

*pertatis* contra citatum Tanner *n.* 105. Lugo *Disput. 2. de Just. n.* 51. extendentem etiam ad pretiosa ut præmissum est *num. 57.*

Quarta *non repugnat voto paupertatis, si religiosus absque superioris licentia petat ab Amico, ut deponat pecuniam apud aliquem, quarum Dominium manet penes deponentem cum libera revocandi depositi facultate, si solùm habeat voluntatem habendi pecunias ad manus, ex quibus accipiat, cum indiguerit de licentia superioris. Idem dicendum, si Religiosus eas pecunias apud se servet in deposito.* Est contra Sanch. *n. 50.* post Bonavent.

Quinta *Religiosus qui absque superioris licentia accipit pecuniam, ut de ea liberè disponat ejus nomine, qui dedit, non peccat contra votum paupertatis:* Sensus est, si quis accipiat pecuniam in pauperes independenter à voluntate dantis elargiendam: secùs foret, si dans daret suo nomine distribuendam ijs, quos ipse judicaret magis egentes, sed nec hoc practicandum ab ijs quibus Regula probibet etiam hoc munus, sine licentia.

## §. III. Dissertationis I. Articuli VII.

### *An doctrina superior procedat etiam de Religiosis Episcopis, & Promotis ad Beneficium inferiùs Episcopatu.*

397. Dubitatur primò an proxima conclusio procedat de Religiosis ad Episcopatum Promotis.

Ante resolutionem supponendum est Religiosum factum Episcopum manere obstrictum solenni vinculo castitatis, & obedientiæ Pontifici præstandæ ultra generalem ab omnibus Fidelibus debitam, ac ultra peculiariam vi Juramenti obediendi, quod omnes Episcopi præstant, cassatur enim materia obedientiæ Prælati Regularibus debitæ, & remanet duntaxat obedientia respectu Papæ, qui est Generalissimus omnium Religionum Prælatus, eique talis Religiosus non solùm ut Episcopus sed etiam ut Religiosus manet subjectus, ita Soarez *tom. 2. de Relig. lib. 6. de voto c. 7. n. 10.* Sanch. *lib. 6. Moral. c. 6. n. 2. & 3.* Subdens ex Vasq. quod Episcopus ex Religioso factus possit revocari ad statum Religiosum. An dispensetur in voto paupertatis est Summa controversia. Affirmat Vasq. *1. 2. Disput. 165. c. 8. n. 91. in fin. & n. 104. ex c. unico 18. q. 1.* ubi de Religioso Episcopo dicitur: *velut legitimus hæres paternam sibi hæreditatem posteà jure vendicandi potestatem habet*, ergo fit etiam Dominus reddituum Ecclesiasticorum, votum siquidem paupertatis non minus impedit Dominium Patrimonialium, quam reddituum. Secundò æqualiter pars fructuum Ecclesiæ applicatur Episcopis Religiosis, ac ex Sæculari Clero promotis, sed hi per *n. 62.* sunt fructuum Domi-

mini, ergo & illi, unde in ipsa consecratione Episcopi hæc dispensatio est inclusa, nam per consecrationem fit perpetuus administrator omnium bonorum, ac reddituum sine dependentia à superiore: hæc administratio æquè pugnat cum voto solenni paupertatis, ac bonorum Dominium, ergo sicut acquirit administrationem, ita acquirit Dominium. Tertiò alios Regulares Episcopi redditus profanantes seu in usus profanos insumentes deberent restituere suæ Ecclesiæ, uti & accipientes ab ipsis.

398. Communior negat absolvi à voto paupertatis præsertim à paritate reliquorum duorum votorum, à quibus non liberantur, quia non obstant executioni muneris Episcopalis, atque etiam eam non impedit votum solenne paupertatis, cum sufficiat libera bonorum administratio, hanc opinionem ut verissimam tuetur Sanch. *n.* 8. ubi dissolvit prioris Sententiæ Argumenta.

Ad primum negat Episcopum factum ex Monacho per Episcopatum acquirere jus Successionis, sed id antea in Monachatu existentem habuisse, ita supponitur in *Can. si qua mulier 9. 19. q. 3.*

Ad secundum negat æqualiter applicari, quia Sæcularibus Episcopis applicatur ut veris Dominis; Regularibus ut administratoribus.

Ad tertium concedit totum *n. 13.* sicut in Sententia Comuni negante etiam Clericis beneficiatis Dominium reddituum, debet fieri restitutio Ecclesiæ Beneficiati ab ipso Beneficiato eorum, quæ profanavit, accipientes autem debent reddere ipsi Beneficiato, puta in nostro casu Regulari Episcopo legitimo administratori, libera enim administratio se potest extendere ad solos pios usus. Sed cum opinio hæc possit esse plurimorum scrupulorum occasio, ut his obvietur tam Beneficiati Episcopi, quam accipientes probabiliter tutâ conscientiâ non restituent ob probabilitatem sententiæ affirmativæ His præmissis.

399. *Resp.* Ad dubit. 1. affirmativam videri probabiliorem præsertim ob Argumentum 1. & 2. ita P. Matth. de Maya in *Appendice ad Constit. select. ad tract. 6. Disput. 6. q. 1. n. 7. in fin.*

Est tamen discrimen inter Episcopos ex Clero, & Episcopos ex Religione assumptos, quod priores de jure possint disponere etiam in morte de patrimonialibus, & quasi patrimonialibus (circa fructus Beneficij quid possint constat ex *n. 68*) secùs posteriores, hi enim quovis acquisita acquirunt non Religioni sed titulo Ecclesiæ suæ, ita omnes apud Palao *p. 3. tract 16. Disp. 3. p. 19. n. 13. ex cit. Can. unic. 18. q. 1. generaliter loquente.*

Extenditur hæc doctrina ad Episcopum, cui Episcopatus datur non in titulum, sed in commendam. Secundò ad Episcopum electum, & confirmatum, etsi nondum consecratum, nec nactum possessionem Ecclesiæ. Tertiò ad Cardinalem. Quartò ad Episcopum titularem, quia omnes hi exempti sunt ab obedientia Regulari, æquum proinde est, ut acquirant non Religioni, sed Ecclesiæ: verum cum Titularis suæ Ecclesiæ non serviat, probabiliter lucratur Religioni Palao *n. 14.* probabilius autem est eum lucrari Papæ titulo immediatè subjectionis cit. Palao, Sanch. *lib. 7. Moral. c. 32. n. 68.*

400. Dubitatur Secundò Religioso Promoto ad Beneficium inferius E. g. ad Parochiam, ad quem spectent ab eo relicta. Diversimodè Doctores discurrunt apud Sanch. *à n. 71.* ipse tandem *n. 76.* distinguit inter beneficium pleno jure subjectum Monasterio, & beneficium Ordinario subjectum, in isto secundo casu omnia cedunt Ecclesiæ, talis enim Religiosus non est ad nutum Prælati amovibilis, sed beneficium possidet in titulum perpetuum, propter quam rationem juxta cit. *c. unicum* Religiosus Episcopus non Monasterio, sed Ecclesiæ acquirit, Econtra in casu priore acquirit Monasterio acquisita titulo hæreditatis, donationis, aut legati secùs comparata ex fructibus beneficij, aut sua arte, & industria, hæc enim cedunt Ecclesiæ, non vi alicujus textûs juris, sed ob hanc rationem, quod beneficiarius Religiosus, quamdiu retinet beneficium serviat Ecclesiæ, licet quoad proprietatem spectet ad Monasterium: habet ergo se instar servi ad tempus donati alteri, ut huic inserviat, sed hic acquisita pro eo tempore industriâ suâ, & operis, acquirit illi, cui servit, secùs acquisita Successione, aut dono, hæc enim spectant ad servi Dominum. Hanc Sententiam esse consulendam, & secundum eam judicandum censet Palao *n. 16.* etsi fateatur probabiliter sustineri posse, quòd in Beneficio, sive sit subjectum Monasterio, sive non, quovis modo acquisita cedant Ecclesiæ, eo quod durante Beneficio qualicúmque etiam manuali Beneficiatus sit exemptus ab obedientia, solumque videatur subjici, ut Beneficium conservet: hæc autem subjectio non sufficit, ut acquisita successione, donatione, vel legata cedant Monasterio, sicut non cedunt acquisita arte & industriâ.

Pro hac Sententia allegat. Abbat Navarrum Emanuelem Sa *verbo Religiosum. 64.*

*Resp.* Mihi arridere opinionem P. Matth. de Maya cit. *q. 1. §. 2. n. 8.* paucis ita resolventis: quod dictum est de Regularibus Episcopis, dictum puta de alijs Regularibus beneficiatis ab administratione ad nutum superioris non amovibilibus, secùs si pro libito, quia istorum bona Ecclesiastica sunt Monasterij, nec Religiosus Beneficiatus plùs, quàm eorum administrationem habet ad nutum superioris revocabilem.

Ex his deduci potest cum Wadingo *de contractibus Disput. 2. dub. 3. §. 2. n. 12.* Regulares Beneficiarios liberam fructuum administrationem habere (intellige de non amovibilibus ad nutum) non minus ac Sæculares Beneficiarios prout ex communi prius tradidit Sanch. *lib. 6. Moral. c. 6. n. 14.* cum hoc discrimine, quod Sæculares sint Domini fructuum, secùs Regulares ob votum paupertatis; quoad plenam tamen administrationem sunt pares, cumque hæc sufficiat ad celebrandos legitimè contractus (valor enim non dependet à Dominio) hinc possunt disponere inter vivos per donationem irrevocabilem licitè in usus pios. Hinc.

Plerique agnoscunt discrimen aliud, quod etsi tam Sæculares quàm Regulares Beneficiati licitè quamdiu vivunt, disponant de fructibus in pias causas, illicitè autem in profanos, attamen dispositio sæcularium sit valida ob Dominium in fructus, quo carent Regulares, consequenter peccent contra Justitiam, acci-

accipientesque ab ijs obligentur restituere Suarez *to. 4. de Relig. lib. 5. c. ultim.* Molin. *de just. D. D. 276. &c.*

Hanc doctrinam existimat Wadingus *n. 15.* non esse certam sed probabiliter dici posse talem Regularem valide posse expendere in quosvis usus, idque esse praxi conforme. Pro hac sententia stat etiam Sanch. *c. 9 n. 47.* loquens de Religioso ejecto, eumque allegat Wadingus uti & Less. *lib. 2. 41. dub. 15.*

## §. VIII. Dissertationis I. Articuli VII.

### *An Beneficiati mortaliter peccent profanando redditus superfluos.*

401. Responsio affirmativa sponte sequitur ex *num. 69. versu Ratio desumitur, &c.* Præceptum enim in materia gravi obligat sub mortali, præceptum in nostro casu de toto superfluo in pauperes aliàsve causas pias dispensando est in materia gravi, ergo.

Quæritur ulterius primò an etiam alij accipientes à Beneficiatis Summam notabilem peccent mortaliter? affirmat Sanch. *lib. 2. Consil. c. 2. dub. 38. n. 14.* quia cooperantur peccato Beneficiati. *Resp.* omnino sic esset dicendum, si Beneficiati non sint fructuum Domini, nunc enim tam dantes, quam accipientes sunt rei mortalis culpæ contra Justitiam: Unde cum Regulares Beneficiati Episcopo inferiores non sint Domini per *n. 62. versu plerique agnoscunt*, tam hi quam illis accipientes quid notabile in usus non pios, delinquunt graviter: oppositum esse probabile sustinet ibi Wadingus. Dixi *inferiores Episcopo*, quia Episcopos etiam Regulares fieri redituum Dominos est probabilius *per n. 399. versu. Resp Ad dubit. 1.* Verum cum *n. 62.* ostensum sit Dominos esse, secundum hanc opinionem.

*Resp.* Ad quæstionem negativè secundum probabiliorem cum Lugo *D. 4. à n. 48.* Moya *in appendice ad select. quæst. ad tract. 6. d. 6. q. 1. §. 4. à. n. 12.* quia per ipsam oblationem dantis consumatur malitia, proinde subsequens acceptio non est cooperatio, sed per accidens se habet, uti fusius declarat Moya.

Quæritur secundò quanta summa debeat expendi profanè ut æquet peccatum mortale? *Resp.* cum Haunold. *tract. 4. n. 91.* dictam quantitatem mensurari non posse regulâ de quantitate sufficiente ad mortale furtum, sed majorem requiri, nimis autem laxam esse quartam, aut quintam partem omnium reddituum, ita ut si tanta profanetur sit mortale peccatum, secùs si infra eam, uti censebant Molin Coninck Palao; inde enim sequitur, quod Archi-Diaconus Toletanus habens in redditibus 30000 aureorum, ultra 5000. in usus profanos dissipare posset; quapro-

propter regula melior, ac tutior vix assignari potest eâ, quam assignat Lugo *n.* 42. nempe censeri parvam quantitatem in singulis centurijs Florenorum partem vigesimam, censetur enim moraliter bene expendisse 100. superfluis quinque solùm profanatis, proinde habens 20000. superflua censetur ferè omnia piè expendisse si 1000. duntaxat in usus profanos dederit.

402. Quæritur, tertiò quinam nomine pauperum veniant in quos superflua sunt eroganda? *Resp.* venire quamvis causam piam, proinde non solos pauperes, ostiatim mendicantes, sed etiam personas illustres destitutas necessarijs ad sui statûs conservationem, item quidquid ad cultum divinum, vel misericordiam spiritualem, aut corporalem proximi spectat, ut hospitalia, suffragia pro defunctis, communes Reipublicæ necessitates, nec jus præscribit an potiùs pauperibus loci Beneficij, aut alterius sit succurrendum: in gravi tamen necessitate potius juvandi sunt Ecclesiæ propriæ præ extraneis, quia ante divisionem redditiuum ipsa Ecclesia talem ordinem servavit Lugo *à n. 38.*

An possint ex proventibus alere proles secundum Conditionem statûs aut consanguineum in studijs est insinuatum numero *68. à versu sequitur secundo.*

Quantum consanguineis indigis possint licitè suppeditare colligi potest *ex n. 67. versu. Porrò congrua sustentatio.*

Dixi *indigis* quia non posse consanguineos ex redditibus superfluis ditari à Beneficiatis juxta nostram sententiam *n. 69* defensam est evidens: oppositum asserunt obligantes duntaxat ad dimidium superfluorum, aut ad quartam horum partem apud P. Moya *q. 2. §. 5. num 19.* Imò etiam in nostris Principijs, quidquid de congrua sustentatione substraxerint, possunt impendere in quosvis usus, consequenter etiam ditare consanguineos; nam tota congrua sustentatio est de genere bonorum quasi patrimonialium *per n. 61.*

Cavendum tamen est scandalum: hoc autem præcavebitur, si Beneficiatus non minuat consuetas Eleemosynas, ita cit. Moya ex comuni monet cum Vasq. cavendum esse, ne iniquitas sibi mentiatur assignando sibi superflua tanquam ad statûs sui decentiam pertinentia, nam doctrina nostra est de subtractis ex verè necessariis ad decentiam statûs, seu ad congruam sustentationem.

Plurimorum aliorum fructus congesti ex missa, concionibus, funeribus, præsentia in choro, ex Capellania, sive hæc sit non collativa, id est, cujus Capellanus est ad nutum amovibilis, sive collativa, cujus nempe Capellanus, non est ad nutum amovibilis, uti præmissum est *n. 60.* censentur stipendia proinde quasi patrimonialia, uti loco cit. tradit Lugo, Haunold quibus addo Sanch. *dub. 45.* Moya *n. 21. & 22.* Igitur de his habent libertatem disponendi in quosvis usus etiam per Testamentum.

De fructibus commendæ, & pensionibus, an etiam accensenda sint quasi patrimonialibus est decisum *n. 66.*

403. Est communis opinio cum Sanch. *lib. 7. Moral. c. 8. n. 29.* Moya §. *6. à n. 27.* proventus commendarum militarium Equidum D. Jacobi, Alcantaræ, &c. spectare ad quasi patrimonialia, atque adeo de jis bonis liberè possunt

possunt disponere, dantur enim titulo sæculari, videlicet militari, quibus non obstat votum paupertatis, quia consuetudo antiquissima sic est interpretata ipsorum paupertatem sine superiorum contradictione.

Huc spectat observatio Wadingi *de contract. Disput. 2. dub. 3. §. 2. n. 16.* Omnes quidem militares Ordines emittere tria substantialia vota, atque adeò esse Religiosos, non tamen æqualiter perfectos, nam aliqui non vovent perfectam castitatem, sed solùm conjugalem, atque adeò nec perfectam paupertatem, cum hæc non possit stare cum statu Matrimoniali, & prolium generatione; & sic liberè disponere possunt non tantum de patrimonialibus, sed etiam commendæ fructibus, nam etiam horum sunt Domini contra Suarez secundum Sanch. *lib. 7. c 8. n. 29.* Molin. *tom. 1. de just. Disput. 141. versu. Est verò rigida ex communi contra Navar. &c.* tales sunt nominati Equites D. Jacobi, &c.

Alij vovent perfectam, eámque solennem castitatem, ut Equites S. Joannis, seu Melitenses, & Ordinis Teutonici, & hos esse Dominij incapaces propter votum paupertatis, hæc tamen non est ita rigida, uti est Religiosorum Claustralium, retinent enim bona sua, & de illis disponunt, & quidem etiam per testamentum, non tamen absque licentia sui superioris Sanch. *n. 36.* validè igitur, ac licitè contractus celebrant, Dominium pecuniæ, aut mercis, quam vendunt, in alios transferunt, at rei ab jis emptæ Dominium non acquirunt saltem ut apud eos permaneat, sed solus liber usus.

404. Quæritur quartò quo tempore eroganda superflua in pios usus? *Resp.* Non esse eundem Doctorum sensum, nam quidam cum Navarro volunt præsentibus necessitatibus esse succurrendum, quod alij cum D. Thom. *2. 2. q. 185. Art. 7. ad 4.* approbant addentes posse Thesaurizari pro aliquo pio magnifico opere, aut possessiones in eum finem emi. Alij cum Lugo non malè dant hanc regulam, tunc eroganda esse, quando Beneficiatus in Dominio utilius impendi posse judicat instar fidelis æconomi. Si pro opere insigni destinentur, admittendum, ut id fiat invita, aut cum licentia Pontificis donatione mortis causa expendantur in opera pia, vel testamentum condatur, sed nec hoc caret periculo propter lites quæ sæpe excitantur ab hæredibus, ut quotidiè cernimus. Tutissimum igitur est thesauros præmittere in Cœlum, quam cum jisdem mori, ac saginam alijs famelicis præbere.

Quæritur quintò an immobilia ex superfluis comparata sint applicanda pijs causis? *Resp.* Affirmativè cum communiore, veráque sententia apud Lugo *num. 43.* quia reditus superflui adhuc exstant æquivalenter, quod sufficit ut sint obligati causis pijs. De cætero sicut Beneficiati erant Domini pecuniæ, quâ res emptæ sunt, ita istæ sive sint immobiles, sive utensiles, mobilésque, & se moventes cadunt sub eorundem Dominium, *subrogatum enim sapit naturam ejus, cui subrogatur c. Ecclesia 3. juncta glossa init. ut lite pendente* Wiest. *de pecul. Clericor. n. 44.* In dubio, an ex proprijs aut ex Beneficialibus sint comparata, præsumitur, quod

ex Beneficialibus ; si ante Beneficium habuerunt tenue patrimonium , ècontra si pingue , Beneficium autem tenue præsumitur , quod ex patrimonio , ita West. *à. n. 46.*

405. Quæres sextò an ex superfluis Beneficiatus possit solvere sua debita , & an expensæ in litem pro defensione jurium Beneficij in defectu hujus reddituum sint supplendæ ex Patrimonio ? *Resp.* Ad sextum cum distinctione , si caret Patrimonialibus , potest solvere debita quacúnque ex causa etiam non pia contracta ex *cap. pervenit , de fidejussionibus : cap. olim 2. de restitutione spoliationum* , ubi Episcopus est coactus ex Ecclesiasticis redditibus debita solvere. Ratio , quia talis est pauper , ergo ut pauper potest redditus accipere , ac jis debita expungere. Si habet Patrimonialia , non potest ex redditibus solvere debita facta ex causa non pia , quia sic expenderentur in usus vanos , potest verò si contraxit ea pro sui sustentatione , aliavè pia causa : portio enim pro sustentatione est merces laboris , expensæ autem pro pia causa sunt Eleemosyna , quæ potest fieri ex redditibus. Resolutio tota est Thomæ Sanch. *dub. 42. jun. etc dub 38. n. 15.*

Sed an expensæ factæ in litem pro defensione jurium Beneficij in defectu reddituum Beneficij supplendæ sint ex patrimonio ? *Resp.* Cum Lugo *n. 51.* affirmativè , si defensio juris concernit commodum solius Beneficiarij ; si autem ipsum Beneficium ad parvas expensas tenetur ex proprio , quia est usufructuarius , hic autem tenetur expensis modicas pro conservatione Beneficij , secùs ad magnas.

406. Quæritur septimò an Ecclesiastici Beneficiati strictiùs obligentur ad Eleemosynas , quàm sæculares , & utrum teneantur in pauperum necessitates inquirere ? *Resp.* Ad primum affirmativè , quia sunt Patres pauperum , debéntque alijs præbere exemplum ratione statûs , & totum , quod congruæ sustentationi supereſt , in usus pios profundere *num. 69.* Non ergo possunt Thesaurizare ad suorum statum mutandum in altiorem. Et cum cura paterna jis erga pauperes incumbat , debent in hos inquirere , Raynaud. *tom. 12. cui tit. mala è bonis Ecclesiæ lib. 2. Sect. 3. c. 3. n. 23.* Vasq. *in opusculo de Eleemos. c. 4. n. 14.* saltem in generali : ab hoc indagandi onere citat. Raynaud. liberat Beneficiatos non pastores , quia raro non occurrunt egeni , in quos superflua erogent.

§. X.

# §. X. Dissertationis I. Articuli VII.

## *Quo Ordine in pias causas sint erogandi superflui redditus?*

407. PRimo pro diversitate circumstantiarum est ordo servandus inter pias causas in erogandis superfluis, nimirum primo loco juvandi sunt extremè, aut graviter egentes. Unde eo casu nequeunt superflua conservari sub prætextu piæ alicujus fundationis *can. aurum. 70. 12. q. 2. Aurum Ecclesia habet, non ut servet, sed ut eroget, & subveniat necessitatibus.*

Secundò inter ipsos pauperes præferantur magis egentes: inter pares magis justi: item qui erubescunt mendicare. Cæteris paribus consanguinei præponendi, *Canone Considerandа 17. distinct. 86.* junct. *Can. non satis 14. distinct. 86.* & *Canone cæterum dist. 86.*

Tertiò deficientibus pauperibus, si non obligatorium saltem summè decet cæteris paribus, si superflua relinquat propriæ Ecclesiæ, Lugo *de just. Disp. 4. num. 38.* ex communi *Arg. c. ut unusquisque 3. de pecul. Clericorum*, ubi præcipitur, *ut unusquisque Presbiterres, quas post dies consecrationis acquisierit, propriæ relinquat Ecclesiæ. Ecc. cum in officijs 7. de testam.* Ratio redditur: *Cum*, inquit, *in Officijs charitatis primo loco illis teneamur obnoxij, à quibus Beneficium nos cognoscimus recepisse è contra quidam clerici cum ab Ecclesijs suis multa Beneficia recrperint, bona per eos acquisita in alios transferre præsumunt &c. nos indemnitati Ecclesiarum providere volentes, sive intestati decesserint, sive alijs conferre voluerint penes Ecclesiam eadem bona præcipimus remanere.* Unde non tantum est decentia, sed omnino præceptum applicandi propriæ Ecclesiæ, quando hæc est valdè pauper, indiget decentibus vasis, ornatu, redditibus ad sustentandos congruè Ministros, ad comparanda Luminaria, conservanda sarta tecta, &c. ita cit. Lugo *juncto n. sequente* & ex illo Raiffenstuel *num. 74.* de peculio Clericor.

Dixi *cæteris paribus* si enim Ecclesiæ propriæ est sufficienter provisum, Ordinatius est, magisque meritorium succurrere alijs Ecclesijs, causisque pijs magis indigis.

Quartò quamvis honesta Clericorum sustentatio non consistit in individuali, sed ea sit taxanda spectatis omnibus prudenter spectandis, videlicet personæ, hujus dignitatis, qualitatis, gradûs, doctrinæ, temporis, Regionis, & consuetudinis locorum receptæ inter Clericos

cos ejusdem conditionis', attamen omnes præsertim nobiles, & in dignitate constituti meminerint se esse membra statûs Ecclesiastici: *se vivere de patrimonio Christi & pauperum, populi peccata comedere:* atque adeo se gerere non ad pompam, luxum, fastum & vanitatem, sed in omnibus ostendere moderationem, modestiam ac frugilitatem, uti paucis indicat *Trident. Sess. 25. c. 1. de reform.* unde cit. Raiffenstuel *num. 84.* pronuntiat illos Clericos nobiles in statu periculoso animæ versari, qui prætextu nobilitatis de bonis Ecclesiasticis æquè, aut etiam splendidius, ac similis conditionis Laici Nobiles se gerunt in victu, vestitu, famulatu, convivijs: hos acclamant pauperes verbis S. Bernardi *Epistola 42. ad Sennonensem Archi-Episcopum: nostrum est quod effunditis; nobis crudeliter subtrahitur quod expenditis, &c.*

# §. VI. Dissertationis II. Articuli I.

## *Tria de uxore quæsita expediuntur.*

408. QUæritur primò an uxor amplissimam dotem marito afferens posset suæ nutrici 40. aureos donare contra præsumptam viri voluntatem. Secundò an uxor possit etiam in sibi, aut familiæ necessaria expendere, pecuniam, quam dat maritus ad solvenda sua debita, quin obligetur de suo postmodum creditoribus satisfacere, dum maritus non est solvendo. Tertiò an uxor ex dote, alijsvè suis non potens se, & familiam alere possit moderatam sustentationem accipere ex usuris illicitis, aut furtis mariti?

*Resp.* Ad primum cum Molin. *Disput. 274. §. Ex dictis possumus, &c.* affirmativè, quando ipse maritus attentis utriusque facultatibus potest similem facere donationem remuneratoriam, præsertim si matrimonium sit initum contractu medietatis, seu ut lucra sint utrique communia. Ratio quod æquitas petat in talibus circumstantijs, ut nequeat maritus esse rationabiliter invitus. Responsio est contra Nav. *Manul. c. 17. num. 155.*

*Resp.* Ad secundum affirmativè in gravi necessitate cum Sanch. *lib. 9. de Matrim. Disput. 4. n. 30.* contra Ludovic. Lopez, quia non minus vir obligatur alere uxorem, & familiam, quam solvere creditoribus, ergo cum summa illa destinata pro solvendis creditoribus ante solutionem creditorum maneat in Dominio mariti, uxor illam expendens facit id, ad quod tenebatur maritus, sic autem non est, cur debeat postmodum creditores solvere.

*Resp.*

*Resp.* Ad tertium etiam affirmando cum cit. Sanch. junct. *lib. 10. Disput. num. 9.* Lugo *de just. Disput 16. n. 74.* addente contra alios eam id licitè facere, etsi careat animo restituendi creditoribus cum fuerit effecta sui juris. Ratio, quia pecunia illa usuraria aut furtiva der commixtionem: cum viri pecunijs transit in Dominium viri (oppositum dic si constet non esse commixtam) sed si sic, non est, cur debeat habere animum compensandi, cum viri pecunijs ex debito sustentari debeat seu quod perinde est non minùs tenetur alere uxorem cum familia, quam usuras injustas, & furta restituere.

## §. VI. Dissertationis II. Articuli II.

### *An Professus, aut exhæredatus, aut renuntians hæreditati augeat, aut minuat legitimam.*

409. QUæritur primò cum legitima augeatur, vel minuatur pro numero liberorum per dicta *n. 113. in versu. Porrò portio*, an augeat numerum Professus Religiosus, aut exhæredatus? *Resp.* Ad primum affirmativè de Professo Religionem capacem bonorum in communi, quia hujus nomine partem capit Monasterium, uti certum est.

Econtra si Religio, quam Professus est, sit bonorum in communi incapax, vivo etiam patre numerum non auget, quia fictione juris non habetur pro superstite, nec habetur de familia, dum pater moritur, atque adeò non facit partem, est enim communiter recepta regula, *qui non admittitur cum aliis, aut numerum non facit, nec partem facit, Lege plane 34. §. si duobus, ff. de Legatis.* Zoës. *de inoffic. testam. n. 86.*

410. Quæritur secundò an filius exhæredatus imminuat legitimam? *Resp.* Dum filij sunt pauciores, quàm quinque filius justè exhæredatus non est censendus in numero ad aliorum filiorum legitimam imminuendam, ut si ex tribus filijs unus sit exhæredatus, legitima reliquorum duorum erit integer triens, ita Haunold. *tr. 6. n. 493. post* Fachin. *lib. 4. controv. 31. per Novel. 22. c. 21. junctio c. 47.* Contra Bart. Paul. castrens. Ratio, quia paria sunt liberos non habere & habere justè exhæredatos, *L. 16. & 17. ff. de inoffic. testamentis:* sed si tertius filius, qui supponitur exhæredatus non esset in rerum natura reliqui duo acquirerent integrum trientem, ergo etiam in casu justæ exhæredationis.

At si filij essent plures, quam quatuor E. g. 5. & quintus justè exhæredaretur, ejusmodi exhæredatio redigeret reliquos quatuor infra numerum quinarium, nempe ad quaternarium, proinde legitima eorum non esset semis, seu medietas hæreditatis, sed triens. Ratio, quod exhæredatus habeatur pro mortuo. *L. 1. §. Etsi patronus. ff. de con-*

*jungendis cum emancipato liberis* Conf. quod cesset finis, propter quem aucta est legitima ultra trientem existantibus pluribus, quàm quatuor filijs, ne videlicet reduceretur ad minimum per divisionem trientis inter tot *per Novell. 18.* hæc autem ratio cessat, si exhæredatus habeatur pro mortuo. Hæc est ferè omnium sententia teste Haunold. *n. 495.* contra Lug. cui nimium videtur rigidum, ut tunc reliqui innocentes minus accipiant, quam si quintus non exhæredaretur. Verùm rectè reponit Haunoldus, quod id contingeret prorsus per accidens, seu non titulo exhæredationis, sed ratione variati numeri Filiorum, datque claram instantiam à casu, in quo essent octo filij, quorum semis essent 600. floreni, si eorum moriantur quatuor ex semisse fit triens, proinde legitima erunt 400. floreni, seu singulis venirent centum, cum tamen minus accepissent, si extarent omnes, sicut ergo in hoc casu id habetur per accidens, nempe ratione variati numeri, ita in nostro casu, unde rectè sequitur, quod exhæredatio nec imminuat nec augeat legitimam non imminuit, ut ostensum est initio responsi ad secundum, non auget, ut proximè probatum.

411. Quæritur tertiò, an id ipsum, quod decisum est de exhæredato sentiendum in casu, quo filius aut filia renuntiat cum juramento paternæ, & maternæ hæreditati, est controversum. Aliqui affirmant apud August. Michel *Theolog. Canonico-mor p. 2. tract. 6. Sect. 4. num. 49.* Negat Fachim. apud Haunold. *num. 496.* volens semper partem renuntiantis, sive sint pauciores sive plures, quàm quatuor accrescere Patri, secùs si in favorem fratrum prout communiter fit in familijs illustribus ad has conservandas, tunc enim pars renuntiantis sive expressè sive tacitè nempe per statum accrescit reliquis fratribus. Hæc opinio prævalet.

Additamentum *ad num. 138.* de usufructu.

412. Cum uti initio numeri cit. est dictum, usufructuarius debeat Domino cavere se finito usufructu rem integram illi restituturum, rectè facturum Dominum, si dum usumfructum constituit alteri, & fructuarius frui incipit, qualis res fuerit, in scripturam redigat, inde enim patebit postea, an sit facta deterior *cit. L. 1. ff. usufructuarius &c.*

Cautio præstanda ab usufructuario in re ad usumfructum legata remitti non potest, unde si remissa est, potest remissam hæres exigere, *L. 1. c. de usufructu.* Ratio quod jura Cautionem hanc induxerint in favorem hæredis, favori autem quis pro se, secùs pro alio introducto rectè cedere potest *L. penult. c. de pactis.*

Quando usufructus est constitutus in Sylva Cædua (hujus nomine per Legem *Sylva 30. ff. de U. S.* intelligitur, quæ in hoc habetur, ut cædatur, ac rursus ex stirpibus, & radicibus renascitur) & principaliter legatus est, tunc usufructuarius cædit arbores Brennholz, & liberè vendit, etsi forte proprietarius vendere non solebat, adhuc enim manet intra limites usus boni viri.

Quando verò ususfructus principaliter legatus est ex fundo, & Sylva Cædua tanquam pars tantum in consequentiam cedit, tunc est atrendendum, qualiter Dominus usus sit, si Dominus ipse non

non est solitus cædere, nec licebit usufructuario, nisi pedamenta, & ramos ex arboribus, aut quantum necesse est propalis in agro, aut vinea. Si Dominus solebat cædere, fas etiam erit fructuario servatâ tamen quantitate, & tempore videlicet, ut si Dominus non nisi singulis biennijs vel triennijs moderatè cæciderit, ipse quoque eum imitari poterit *L. 9. ff. fin. & L. 10. de usufruct.*

Usufructuarius nequit mutare statum, aut formam rei legatæ in usumfructum, unde ex Sylva nequit facere vineam, etsi ipsa foret quæstuosior *L. 13. §. penult. & ultim. ff. usufruct.* Gaill. *Lib. 2. observ. 67. n. 11.*

Si usufructuarius in fundo fructuario reperit thesaurum, debet medietatem proprietario tribuere. August. *Michel p 1. Theolog. Canonico-Moral. p. 1. tract. 4. §. 2. punct. 1. n. 15.* quia thesaurus non est fundi fructus, ad fructuarium autem pertinet duntaxat fructus.

Partus ancillæ datæ in usumfructum non fit fructuarij §. 37. *Instit. de rer. div. & L. vetus* 68. *ff. de usufruct.* quia dignitas hominis, propter quem natura fructus rerum omnium comparavit, non patitur.

Si contingat in flumine, qui est proximus fundo tuo fructuario nasci insulam, hujus fructus non spectat ad te, quia à fundo fructuario est separata *L. 9. §. placuit ff. de usufructu.*

## §. II. Dissertationis II. Articuli V.

### *De varijs speciebus servitutis Urbanæ, & Rusticanæ.*

413. URbana servitus est duplex affirmativa, & negativa: hæc est, dum quis in suo prædio Urbano contra naturalem libertatem prohibetur aliquid facere, vel cogitur omittere contra libertatem suarum ædium: prior est, dum in suo prædio Urbano contra libertatem naturalem quis cogitur aliquid pati, seu sustinere. Affirmativæ sunt sequentes species: Primò servitus oneris ferendi; vi cujus paries, aut columna mei vicini debet perpetuo ferre onus mei ædificij, perpetuo, inquam, quia reales servitutes sunt per se perpetuæ, & ideò si contingat collabi columnam, aut parietem sustinentem, debeat vicinus restaurare *L. 33. ff. de Servit. præd. Urban.* Germanicè dicitur Last-Tragung.

Secunda servitus tigni, seu jus immittendi trabem in parietem vicini, ut trabs requiescat in pariete tam dominantis, quam servientis prædij: Germanicè das Trambrecht. In hac (ut nec in sequentibus servitutibus) non tenetur Dominus reparare murum servientis, cui trabs imittitur: disparitatem dat August. Michel *Theolog. Canonico-Moral. tract. 4.*

*tract.* 4. §. 1. *p.* 1. *n.* 3. quod si habens jus in prædium vicini, ut onus ferat, deberet reficere, ipse potiùs serviret, quam dominaretur, secùs habens jus immittendi tignum.

Tertia dicitur stillicidij avertendi, id est, jus derivandi à tecto suo aquam pluvialem in aream aut tectum vicini.

Quarta servitus luminis, est jus in damnum vicini, ut per eam fiat fenestra, aut foramen lucem derivandi in domum meam.

Negativæ servitutis Urbanæ sunt istæ. Prima jus altius non tollendi, seu jus meum arcens vicinum, ne ædes suas altius tollat contra naturalem libertatem, quæ concedit cuivis in fundo suo ædificare usque ad cælum *L. altius 8. Cod. de servitutibus.*

Secunda est stillicidij non avertendi, id est jus, vi cujus serviens prædium non potest pro libitu derivare stillicidium, sed vel in meum hortum, ut irrigetur, vel in cloacam meam, ut ea eluatur.

Tertia servitus non officiendi lumini, id est, ne ædificet, aut plantet quid vicinus, quod impediat accessum luminis ad meum prædium.

Quarta servitus Prospectus, id est jus impediendi, ne in prædio serviente aliquid fiat impediens prospectum mihi liberiorem.

414. Ex servitutibus Rusticanis sunt pleræque affirmativæ. Prima est iter, id est, jus eundi, aut ambulandi hominis per fundum vicini, secùs jumentum agendi, aut vehiculum ducendi, cui hoc jus competit, potest etiam cum socio ambulare, gloss. *in* L. 1. *Verb. jus eundi ff. de servit.* & quidem pedes, & eques, *L.* 12. *ff. eod.* lecticâ portari, id est, in einer Sänfften *L.* 7. *eod.* quia nulla ex his modis occupat amplius spatium bipedale, quod est spatium itineris.

Secunda est actus, cujus nomine in jure hic venit jus agendi jumentum cum vehiculo per fundum vicini: Germanicè ein Fahr-Weeg durch ein liegend Guth.

Tertia aquæ ductus Germanicè Wasser Laitung: est jus ducendi aquam per fundum vicini, sive immediatè ex fonte, sive ex venis decurrentibus ad sui fundi commodum *L.* 9. & 10. *ff de servit.*

Quarta aquæ haustus, sive jus hauriendi aquam.

Quinta pecoris ad aquam appulsus, id est jus adaquandi pecus ex puteo vicini Germanicè die Viech-Tranck.

Sexta pascendi pecoris in fundo alieno, vulgò de Waid. quando simpliciter concessum est jus pascendi, possunt pasci omnes quadrupedes, secùs si conventio sit de certo genere, aut numero. Hinc pratum ejusmodi serviens non potest mutari E. g. in agrum sine consensu Domini prædij dominantis, nisi mutatio non sit tanta, quæ impediat jus pascendi.

Præter has, aliásque affirmativas servitutes rusticas sunt duæ negativæ. Prima est servitus aquæ non proscindendæ, id est, ne venæ in fundo meo exortæ intercidantur, quo minus defluant in prædium serviens Secunda servitus aquæ non sistendæ fermè coincidens cum priore, ne sistatur defluxus aquarum ex meo lacu in agrum tuum servientem, alióque derivetur *L.* 21. *de aqua pluviv. arcend.*

Quæ-

Quæres quibus modis servitutes præfatæ constituantur, aut amittantur. Resp. constitui primò per contractus emptionis, donationis &c. §. *fin. Instit. præd. rust.* at sicut rerum dominia regulariter non acquiruntur sine traditione, ita præfata jura realia, seu servitutes traditione perficiuntur, quæ in hæc materia consistit in patientia Domini possidentis fundum servientem, & usu alterius, cui servitus est vendita, aut donata.

Secundò per ultimam voluntatem, ut si hæres jubeatur non attollere ædes.

Tertiò per ipsam rei naturam, sic locus inferior ipso situ facit servire superiori, ut defluentem aquam recipiat *per L. 1. fin. ff. de aqua, & aq. pluv' arcend. & L. 2. ff. eod.*

Quartò statuto, aut consuetudine *cit. L. 1. §. fin.* aut præscriptione. *L. fin. Cod. de præscript.*

Servitus constitui potest à solo proprietario liberam habente administrationem, secùs ab usufructuario, hic enim nequit facere fundum deteriorem. Non constituitur nisi illi, qui proximum prædium habet. *L. 1. ff. communia prædior.* Habens jus servitutis in fundo vicini potest facere omnia sine quibus commodè servitute frui nequit, Zoës. *ff. de servitut. n.* 18.

## §. VII. Dissertationis II. Articuli V.

### *Cujus pignus, aut hypotheca in concursu plurium creditorum prævaleat.*

415. Sæpe eadem res pluribus separatim, ac tempore diverso datur in pignus, aut hypothecam, quis eorum potior sit, seu alteri præferendus in persecutione hypothecæ inquiritur. Universalis Regula juri utrique consona & ab omnibus recepta est ista, *qui prior est tempore, est potior jure.* Est *R. J. Can. 54.* concordat *R. J. civ. 99. quoties in utriusque lucri ratio vertitur, is præferendus est, cujus in lucro causa tempore præcedit.* Vide casum figurat. à Gloss. *c. fin. dist. 17. juncto c. 1. de major. & obedient.* Apud Püttner *in maximis juris maxima: qui prior, &c.* ubi quærit, quis inter Canonicos alicujus Ecclesiæ prior? Respondet quod antiquior per allatam Reg.

Similiter ergo hic quæstio est inter plures pignoratarios, aut hypothecarios quis prior in consequendo debito, si res debitoris jis obligata venditur.

Ad hanc quæstionem Respondetur solam diuturnitatem seu antiquitatem temporis non sufficere, nisi cætera sint inter eos paria, tunc enim, ut evitetur contentio, & sit remuneratio vigilantiæ Creditorum sibi providentium jus in rem acquirendo juvat prioritas temporis

tam in agendo, ut sibi hypothecam vindicet eam præ alijs auferendo, aut si possideat, & contra eum agatur excipiendo, & retinendo sit tutus *per text. in L. creditor, qui prior 12. ff. de pignoribus & hypothec.*

Si autem in cæteris creditores sint impares, non juvat sola antiquitas, ut si huic non accessit revera causa crediti, id est, non fuit numerata pecunia sed data hypotheca spe futuræ numerationis, huic enim etsi priori tempore præfertur tempore posterior numerans pecuniam de præsenti, ita clara est *L. potior 11. ff. eodem. Potior*, inquit, *est in pignore, qui prius credidit pecuniam & accepit hypothecam, &c.* Nihilominus sicut constitutio hypothecæ, si nondum creditum sit subsecutum, non sufficit, ut locus sit allatæ Regulæ, ita non sufficit prioritas temporis crediti, seu mutuatæ pecuniæ, sed computanda est prioritas à tempore constitutæ simul hypothecæ, unde Titius mutuans Cajo prima Januarij providens sibi de hypotheca primùm idibus Maij non præfertur Lucio idibus Februarij mutuanti, ac simul de hypotheca convenienti *L. diversis 8. ff. de pignoribus, &c.* Amplia ad hypothecam etiam conditam, dummodo conditoris eventus non dependeat unicè à voluntate debitoris, ut si mihi lacaveris domum à me occupandam primâ Januarij, do tibi in pignus servum meum stychum. Hic hypotheca constituitur sub conditione inhabitandi domum à prima Januarij, quæ non est meræ potestativa, seu dependens ab arbitrio solius debitoris, sed etiam à voluntate locatoris. Hoc casu purificatâ conditione retrotrahitur ad tempus constitutæ hypothecæ, *L. Balneum 9. ff. eod.* Secùs si conditio sit merè potestativa, id est, dependens à sola voluntate debitoris, ut si accepero à te mutuum, volo ut mea domus cedat in pignus. Hic non constituta est hypotheca à die conventionis, sed purificatæ conditionis potestativæ consistentis in acceptione pecuniæ mutuæ, Berous *lib. 1. Consil. 46. num. 15.*

416. Contra stabilitam Regulam pugnant sequentia. Primò posterius testamentum legitimum præfertur primo, idque annullat §. *posteriore 2. Institut. quibus modis testament. infir.* Idem est de lege posteriore contraria priori, huic derogat *cap. 1. de constit. in 6.*

Secundò dum successivè res eadem duobus venditur, præfertur posterior, si huic res sit tradita *L. quoties 15. cod. de R. V.*

Tertiò in judicijs non attenditur utrum alter præcedat tempore, nempe an actor, aut reus, sed habetur ratio possessionis per Regulam: *in pari 65. in 6.* & ideo est potior causa rei, quam possessoris.

Quartò in privilegijs non attenditur prioritas temporis, sed majoritas causæ privilegiatæ, pro quo hæc stat, etsi sit posterius tempore, est favorabilius, ergo etiam inter creditores antiquitas non est attendenda.

*Resp.* Ad primum quod tam testamentum, quam lex ab unius nempe testatoris, & legislatoris voluntate pendeat, à qua semel facta, cum recedere possit, ideo in testamento suprema, & in legislatore posterior prævaler priori *L. si mihi 12. §. 3. ff. de legat.* Et *Leg. non est novum 26. de legibus.* Regula præ-

præsens afficit actus pendentes à pluribus voluntatibus.

Ad secundum, quod secundus Emptor mediâ traditione fiat rei Dominus per *num. 12.* ècontra pignus, & hypotheca nullum conferat Dominium, sed jus reale puræ tentionis, seu Custodiæ pro securitate crediti per *num. 141.* si res pluribus vendita, & successivè eisdem esset tradita, ex Regula tradita prævaleret, cui priùs fuissent consignata, etsi eam possideret is, qui tardius accepisset illam; hujus enim possessionem absorbet Dominium alterius inquit Wiest. *ad Regulam juris 54. n. 5.*

Ad tertium *Resp.* Quod actor quærat lucrum cum rei damno, veniátque ad judicium, & quidem paratus, ac sponte, quando illi placet: ècontra imparatus, ac invitus veniat Reus, stétque pro eo possessio, quæ cæteris paribus præponderat.

Ad quartum Regula procedit cæteris paribus, at si unum privilegium habet magis causam privilegiatam, ut pupillus, fiscus, &c. etsi istud sit posterius, est favorabilius, consequenter prævalens.

417. Quæritur ulteriùs primò an Regulæ traditæ *num. 415.* sit locus, etsi inter duos hypothecarios posterior habeat specialem hypothecam, anterior verò generalem. *Resp.* Anteriorem præferri posteriori, etsi hujus hypotheca sit specialis, anterioris verò generalis, *L. qui generalem 2. pr. ff. de pignoribus.* Et *L. si generaliter 6. cod. eodem.* Huic doctrinæ non resistit *c. generi de R. J. in 6* quod *per speciem derogetur generi.* Quia hæc non procedit, quando per conventionem generalem est jus jam quæsitum tertio, uti in casu nostro per hypothecam generalem, tunc enim conventio specialis nihil præjudicare potest.

Amplia Responsum etsi res hypotheca sit posteriori tradita, *L. creditor 15. §. fin ff. eodem*: tunc per traditionem res transfertur cum onere suo *L. alienatio 67 ff. de contrahend. empt. quod enim nostrum est, nobis invitis, auferri non potest.*

Nihilominus ex data resolutione non sequitur, quod si anterior habeat specialem hypothecam E. g. in prædio A. simul cum generali adjecta in subsidium eventûs, si prædium A. specialiter obligatum non sufficeret, non inquam sequitur, quod sit præferendus posteriori in re alia specialiter huic obligata, quando priori creditori potest integre satisfieri ex prædio A. quia in dato casu adjecta hypotheca generalis est conditionata, nempe si prædium A. non satisfecerit, oppignoro tibi etiam omnia bona mea, ita Augustin. Michel *part. 2. Theolog. Canonico-Moral. tract 3 §. 6 p. 2. num. 5.* cum alijs.

Amplia secundò responsum ad quæstionem primam, quod Regula *n. 415.* valeat, etsi posterior hypothecarius sit fiscus, aut Respublica per expressum *in L. si pignus 8. & L. fin. in fin. ff. de pignor Leg. si fundum c. eod. si inquit fundum pignori accepisti, antequam Reipublica obligaretur: sicut priores tempore ita potior jure.*

Limita ut fiscus in dicto casu sit potior anterioribus creditoribus generaliter hypothecarijs quoad bona, quæ debitor post contractam cum fisco obligationem acquisivit *L. 28. ff. de jure fisci*, ibi:

ibi: *sciendum est, in re postea acquisita fiscum potiorem esse debere.*

418. Quæritur tertiò, an, & qui sint casus excepti, in quibus temporis prærogativa etiam in pignoribus & hypothecis non attenditur. *Resp.* affirmativè eo quod certæ personæ, etsi erga has obligatio debitoris sit posterior, proferantur anterioribus hypothecarijs ex causa specialiter privilegiata, & idcirco cætera inter anteriores, & posteriores creditores non sunt paria, in quibus quoad cætera paritate juxta Regulam memoratam prævalet prioritas temporis. Citatus Augustin. Michel *à num. 12. casus 11. numerat.*

Primò funerales sumptus præferuntur omni alteri debito (pro jis tacitè hypothecantur bona defuncti *L. etsi quis 14. §. 1 ff. de Religiosis & sumptibus fun.*) *L penultima ff. eod. impensa*, inquit, *funeris semper ex hæreditate deducitur: quæ etiam omnè creditum solet præcedere, cum bona solvendo non sint*: etiam præferuntur doti *Gloss. in L. 3. V. satisfactum & in L. assiduis 12. V. habeant eod. de pignorib.* & textus apertus etiam *L. 18 ff. de Religiosis & fun.* Unde non censetur dos ante funeralia tanquam ære alieno deducto. Quapropter cum dos vincat hypothecam anteriorem etiam expressam, etiam huic præponuntur funeralia, *quoniam si vinco vincentem te, multò magis vinco te.* Ita receptum juris Procordicum.

Prælatio hæc funeralium debet intelligi de expensis, quæ habitâ ratione tum dignitatis, tum facultatum defuncti sunt moderatæ, secùs de immodicis: ad immodicos plerique revocant convivia funebria, vestes lugubres puta fascias sericeas & pepla pro cognatis defunctorum utriusque sexûs funus comitantibus, pro famulitio, nisi consuetudo sit opposita, sed tunc moderatio in his habenda est. Funeralibus accensentur sumptus in Medicos, Medicinas usurpatas in morbo ultimo, *L. 4. c. de petit hæred.*

419. Secundò post funeralia fœmina ratione dotis præfertur cæteris creditoribus anterioribus. Excipe debitum primpili, seu centurionis primæ cohortis, olim stipendia dividentis, & annonam Legionis in officio habentis *L. 3. c. de primipilo. L. assiduis 12. c. de pignor.* & quidem ut habet communior opinio Haunoldi & aliorum apud cit. Michel *num. 13.* etsi anteriores creditores habeant hypothecam expressam.

Tertiò ex favore singulari pupillus præcedit priores creditores hypothecarios in re, quæ ejus pecunia est comparata *per textum L. idémque 7. ff. de pignor.*

Quartò cæteris præponitur creditor in re ejus pecuniâ restaurata, quia totius pignoris cum causam egerit, ne periret cæteris hypothecarijs, meritò mutuans æs eisdem præponitur *L. 5. & 6. ff. eod.* Dixi *in ejus conservationem*, nam si mutuata sit indefinite ad reficiendum, inde res determinata E. g. domus refecta non gaudet præcedentia ita Bruneman. *ad cit LL. à num. 5.*

Quintò is, qui mutuat pecuniam pro emenda certa re E. g. vinea eâ conditione, ut sibi maneat obligata, in eadem est potior cæteris anterioribus hypothecarijs *L. licet 7. c. de pignor.* Zoës. *de pignor n. 2.* quia mutuando ex dicto fine omnium hypothecariorum me-

meliorem conditionem fecit, videlicet efficiendo, ut vinea sit in Dominio debitoris. Nihilominus ut observat Zoës. *num. 9.* iste mutuans non est ita privilegiatus, sicut pupillus, ut proximè præmissum est, nam pupillo ipsum jus constituit hypothecam tacitam in re ejus ære empta, in casu autem præsenti caret hypothecâ in re empta, nisi pactus sit expressè hypothecam *lib. quamvis 17. c. de pignor.*

Sextò hypotheca posterior publico instrumento roborata anteponitur antiquioribus firmatis scripturâ privatâ *L. 11. c. de pignor* nisi privata sit munita trium probatorum testium subscriptione, tunc enim fraudis præsumptio cessat per *cit.* L. 11. *in fin.*

Septimò dum concurrit repetitio dotis maternæ ex parte liberorum prioris matrimonij cum repetitione Novercæ repetentis dotem suam ex bonis mariti præferuntur liberi utpote antiquiores textu *cit.* L. *assiduis 12. §. exceptis.* Limita nisi res aliquæ secundæ dotis allatæ à Noverca extent, in his enim Noverca est præponenda *text. in Authent. si quid fin. de pignorib.* hæc enim illi dat rei extantis vindicationem, uti & *L. in rebus c. de jure dotium.*

Octavò quando ex pluribus creditoribus hypothecarijs posterior solvit priori, prout solvere potest, aut si prior nolit accipere solutionem, potest pecuniam deponere in judicio, hoc casu posterior subintrat locum prioris in prælatione per clarum textum *L. 1. c. de pignorib. qui pignus secundo loco accepit, ita jus suum confirmare potest, si prior creditori debitam pecuniam solverit, aut cum obtulisset, isque eam accipere noluisset, eam obsignatam deposuit.* Hinc sequitur si sint tres E. g. creditores hypothecarij; si tertius solvat primum, in locum hujus succedit, quia dimissio pignoris hujus non interest oblatâ solutione, *L. Paulus 12. §. 1. ff. quibus modis pignus solv.*

Dixi *creditores hypothecarij*, quia si posterior creditor non sit hypothecarius, sed Chirographarius, hic solvens primum non subintrat vicem hujus, nisi fuerit expressè pactus cum eo, ut succedat, *L. 1. & Gloss. ibid. c. de his, qui in prior. cred. loc.*

Dictis nihil obstat etsi prior creditor sit fiscus, aut Respub. aliavè persona privilegiata *L. 2. & 4. c. eodem* est enim par ratio, nam etiam istius nihil interest dum ejus creditum est in salvo per solutionem.

420. Quæritur quartò an, dum debitor fundum hypothecatum una cum fructibus nascituris vendidit tertio fide bona fructus colligenti, & consumenti, an inquam creditor persequi possit actione hypothecariâ non solùm fundum, sed etiam fructus bonâ fide absumptos. *Resp.* primò de fundo affirmativè, quia jus reale hypothecæ non perimitur alienatione in tertium, sed transit una cum re onus hypothecæ in illum, nisi creditor consenserit in alienationem pignoris aut hypothecæ, tunc enim consensus est etiam remissio juris pignoratitij, *lib. 12. & 4. c. de remiss. pignor. lib. 7. & sequent. ff. quibus modis pign. solv.* Ratio quod debitor sine consensu creditoris, imò etiam eo reluctante possit fundum hypothecatum alienare salvo hypothecæ jure, ergo, dum cum consensu creditoris alie-

natione consensûs sit inutiliter requisitus, hic operatur remissionem juris, ita cit. August. Michel *num. 27. vers. quid quid tandem.* Ubi monet hunc consensum, ut habeat dictum effectum, debere esse expressum L. *sicut 8. §. non videtur ff. eod Resp. 2. ad q. 4.* contra fundi emptorem à creditore agi non posse actione hypothecariâ pro fructibus bona fide consumptis L. *1. §. 2. ff. de pignor.* Ratio hujus ista est, quod creditor nihil possit persequi actione hypothecariâ nisi id sit ipsi obligatum, proinde sit in Dominio debitoris, debitor in casu proposito nunquam fuit fructuum ab Emptore collectorum Dominus per *num. 136.* Cum leges citatæ loquantur de bona fide. Legistæ apud cit. Michel *num. 28.* tria inferunt. Primum est emptorem teneri de consumptis malâ fide. Secundum est quod creditor in extantes adhuc fructus habeat jus, *Gloss. ibid. V. consumptos.* Tertium, quod creditor habeat salvam actionem hypothecariam de male perceptis, & consumptis fructibus. Plura his annectit cit. Michel. *n. 29.*

Cum quo puncto tertio *n. 1.* obiter nota actionem hypothecariam, quâ quis res sibi per expressam conventionem obligat dici quasi serviariam, huic est affinis serviana ab Authore servio sic nominatâ: hac persequitur, quis res, quas inquilinus, aut colonus in prædium locatum intulit, ille enim pro mercede pacta locatori tacitè hypothecantur, unde negat contra Myns. Omnem actionem, qua res tacitè hypothecatas persequimur dici serviariam. Quando res illatæ sitæ sunt in mercibus, hæ non in specie, uti loquuntur Legistæ seu in individuo, ut ajunt Phylosophi, sed in genere hypothecantur, nam secundum speciem alienatis semper aliæ & aliæ substituuntur, consequenter genus manet hypothecatum non species cit. Michel ex Zoës. &c. *num. 11.* quia non species mercium, sed genus perpetuatur in prædio, id est, quamdiu inquilinus inhabitabit prædium, sive urbanum sive rusticanum sit, conductor prædij rusticani dicitur colonus, urbani verò inquilinus. Unde cum pecunia ad usum quotidianum non habeat perpetuitatem in sensu præfato, secùs quæ pro substantia patrimonij reservatur, hæc secùs prior illata hypothecatur locatori, ita Zoës. apud cit Michel *n. 11.*

§. V.

# §. V. Dissertationis II. Articuli VII.

## *De differentia Emphyteusis ab elocatione & reliqua de laudemio.*

421. DIffert primò elocatio Germanicè **Bestand** ab Emphyteusi Germanicè **Erb-Lechen** / quod pretium illud, quod proprædio elocato ab initio solvitur, vocetur **Bestand-Geld** sine laudemio, seu absque **Auf-** & **Abfahrt-Geld** / prout fit in Emphyteusi.

Differt secundò, quod bona elocata, seu **die Bestand-Güter** mortuo conductore redeant ad Dominum, & iterum certo pretio conduci debeant ab hæredibus demortui ( hi, ut præferantur, postulat Justitia, cum plurimum eorum pater non vili pretio conduxerit illa ) habito respectu ad prædij qualitatem, & valorem, ècontra bona Emphyteutica transeunt ad hæredes, Chlingensperger *Assert. 95. num. 5. de jure Emphyt.*

Differt tertiò, quod in locatione ratione insolitæ sterilitatis aliquando remittatur pensio L. *ex conducto 15. §. 4. ff. locat.* Secùs canon in Emphyteusi L. 1. *c. eod.*

Differt quartò, quod in locatione etiam ad longissimum tempus videatur verior opinio Chlingensspergeri *Assert. 3. num. 3.* aliorumque apud Haunold. *tract. 10. n. 450.* arbitrantium nullum Dominium etiam utile transferri in conductorem, quale tamen transfertur in Emphyteusi, fundant se præcipue *in* L. *non solet 39. ff. locat. &* L. *qui fundum 32. ff. eod.* contra Haunold. *num. 454.* Molin. & communem Theologorum, qui existimant per elocationem longi, aut longissimi temporis transferri Dominium utile, atque adeò tunc elocationem degenerare in Emphyteusim. Istorum Doctorum fundamentum dissolvit Chlingensperger *à num. 4.* si enim potest elocatio brevis stare, quin Dominium utile transferatur, etiam spectatâ naturâ rei potest subsistere tempore longissimo sine dicta Dominij translatione, proinde sufficit translatio commoditatis ususfructûs percipiendæ, nisi jus positivum oppositum decidat, quale hic nullum clarè exstat, sed valdè dubium, léxque pro sententia Chlingensspergeriana videatur stare apertiùs, nempe L. 2. *c. de præscript.* 30. annorum conductoribus etiam longissimæ possessionis adimens præscribendi jus tanquam rei alienæ detentoribus.

422. Cum jura loquentia de laudemijs sint accipienda de negotijs validis, sequitur, quòd in Emphyteusi minoris alienata sine decreto, proinde nulliter, si minor eam vindicat, non teneatur ad laudemium, uti nec in contractu, qui initio

initio valuit, sed posteà rescissus est tali rescissione, per quam retro annulletur, id est, ad præteritum retrahatur annullatio, ac reducatur ad non causam, ita citatus Doctor referens *Assert. 97. n. 6.* juxta Hartmanum Pistorium unicum laudemium esse persolvendum, quando Emphyteuticus fundus venditur cum pacto tunc inito revenditionis, tunc enim revenditio inexistit primæ venditioni quasi pars, éstque potiùs executio, quam novus contractus, ergo sicut rem ex causa pristina recuperans nequit dici novus Possessor, ita nec nova jura respectu Domini oriri possunt, proinde recipiendo laudemium pro primo contractu approbavit simul etiam causam illam (ex qua contractus secundus descendit) insertam primo, laudemiúmque etiam pro secundo recepit.

Contra est: revenditio non resolvit aut rescindit primum contractum, aliàs revendens fructus medio tempore perceptos non posset retinere, primúsque venditor in revenditione rem suam & propriam redimeret, ergo hic emit rem verè alienam, & revendens vendit rem propriè suam, ergo novæ utrinque oriuntur obligationes, actionésque, ergo sunt distincti contractus, atque adeò etiam laudemia debent esse distincta. Hæc opinio est probabilior contra Andream Knikenum de vestiturarum pactis *part. 2. c. 4. n. 212.* Unde negatur, quod pactum revenditionis acceptum pro ipso contractu revenditionis sit pars ipsius contractus, sed sumptum pro obligatione retrovendendi; hæc enim omnino inest primæ venditioni.

# §. IX. Dissertationis II. Articuli VI.

## *De alijs rem Emphyteuticam alienandi modis.*

423. DE Emphyteusis alienatione per venditionem egi *n. 163.* hic videndum an, & quibus alijs modis queat aliis donari, permutari, legari, in dotem dari, hypothecari, locari.

Difficultas est an Domino irrequisito Emphyteuta possit rem Emphyteuticam donare, permutare, legare, & in dotem dare communior affirmat apud Haunold. *à n. 547.* innitens *cit. L. 3. Cod. de jure Emphiteut.* pro hujus arduæ quæstionis, ut loquitur Christophorus Chlingenberger *in Disputatione juridica de jure Emphyteut. assert. 8.* sunt notanda sequentia.

Primò substantiam citatæ legis tertiæ, quæ est fundamentum totum, sitam esse in hisce punctis. Primò pactum si aliquod initum est, serverur; Si nihil pactæ sunt partes, Emphyteuta potest jus suum in alium transferre sub certis conditio-

ditionibus; quarum prima est, ut denuntiet Domino, quod velit fundum vendere, eique offerat prærogativam emendi. Secunda, ut novus Emphyteuta à Domino inducatur in possessionem, & investiatur. Tertia pro admissione & subscriptione detur ei laudemium, postremæ duæ interveniunt in omni Emphyteutica alienatione.

Dubitatio superest, an in casu donationis, & reliquis in difficultate propositis necessaria sit eadem denuntiatio, quæ in venditione cum prælatione? Ubi est certum, quòd si Emphyteuta velit alteri donare, aut cum fundo alterius mutare, Dominus non sit præferendus ita, ut præ cæteris ipsi in donum offeratur, aut is potiatur prærogativa permutandi. Quare solùm quæri potest, an Emphyteuta priùsquam donet, aut permutet &c. debeat intimare Domino sed id intendere, proinde offerre ipsi si velit potestatem emendi, consequenter an Dominus possit rem ad se revocare solvendo æstimationem rei?

Negat citatus Chlingensperger, & quidem non teneri in donatione probat: nam donans fortè intendit, ut suæ remunerationis extet monumentum, donatario autem fortè est gratior fundus, quam hujus pretium; non etiam in permutatione, quia Emphyteuta non assequeretur finem suum, nempe alterius prædium, pro quo vult commutare, nam pretium datum à Domino fortè non sufficeret, sed immodicum alter peteret, si mallet pro pretio fundum Emphyteuticum, aut vendere prorsus nollet, quæ difficultates non sunt in venditione, cum Emphyteutæ sit par ratio, sive Dominus, sive alius det pretium, ergo æquum est, ut Dominus præferatur, ejusque consensus requiratur, econtra in donatione aut permutatione &c. si consensus prærequireretur, facilè fine suo privaretur tam donans quam donatarius, tam permutans, quam permutatarius. Confirmatur finis Dominum certiorandi de donatione, aut permutatione &c. alius non est, quam novi Emphyteutæ admissio, ac investitura accepto laudemio, teneturque admittere ac investire, quando transfert Emphyteuta rem in personas habiles, qui finis, ut habeatur, sufficit, si post permutationem, aut donationem requirat Dominum sub pœna caduciratis, ut investiat donatarium, permutatarium, &c. ipseque donatarius &c. sub eadem pœna debet à Domino petere investituram & laudemium solvere Reiffenstuell. *de locat. n 182.*

Prætera observat Jason *ad cit. L.* generale principium: indicta lege prohiberi universim Emphyteutæ translationem juris sui in alium eo fine, ut inscio ac invito Domino non quisque, & fortè inhabilis Emphyteuta subrogetur. Hic autem finis haberi potest, etsi non prærequiratur consensus Domini ante donationem, aut permutationem, sed post, si enim donatarius aut permutarius fuerit inidoneus, Dominus non tenetur illum admittere, aliunde forma in dicta L. præscripta, ut pater à *vers. sed ne hac occasione accepta &c.* concernit solam venditionem, idque arguunt voces, *vendere*, *comparare*, *pretium accipere*, *eandem quantitatem præstare &c.* quæ in donationem, vel permutationem non cadunt.

424. *Resp.* Nunc ad difficultatem, ut Emphyteuta donet, aut permutet, non tenetur sub lege caducitatis requirere consensum Domini propter rationes, & confirmationem Jasonisque observationem, ut verò contractum consumet, debet consensum requirere, quia in omni alienatione consensus Domini pro actuali investitura sub pœna caducitatis est requirendus *L. cit.* & Jason *n. 69.* Et in hoc permutans, donans aut legans convenit cum venditore, ab hoc autem differt quod donans &c. ad ineundum contractum non debeat petere consensum Domini.

Amplia Responsum ad legatum, in quo communiter nobiscum sentiunt etiam adversantes nostro Responso. Secundò ad dotem. Ratio utriusque est, quod etiam hic finis denuntiationis, & expectationis consensus cesset: finis enim est, ut Dominus habeat prærogativam præmendi rem Emphyteuticam, qui finis locum non habet in legato & dote, eâdem tamen lege res erit data in dotem apud Maritum, quâ fuit apud dotantem; unde si Maritus negligat solvere Canonem, cadet in Commissum. Limita ut sit necessarius præconsensus Domini, si detur in dotem æstimatam æstimatione faciente venditionem; sic enim Dominus habet potestatem præmendi, Jason, *num. 108.*

Hinc Emphyteuta creditori sine consensu Domini cedens fundum Emphyteuticum insolutum cadit in Commissum: datio enim in solutum venditio esse dicitur *L. ultim. ff. de rebus authoritate Judicis possidendis.*

Ut Emphyteuta oppignoret, aut hypothecet rem Emphyteuticam, aut elocet ad modicum tempus, non prærequiritur consensus Domini, quia nullum transfertur Dominium utile rei Emphyteuticæ, id est, nulla est rei alienatio, Reiffenstuel *de locato n. 185. & seq.* sentiens oppositum de elocatione longi temporis cum communissima sententia apud *Clarum §. Emphyteusis q. 21.* Verùm huic opinioni contrarium traditum est *num. 421.*

Porrò nomine temporis modici, tempus infra decennium, nomine verò longi temporis intelligitur decennium *L. super longi 11. C. de præscript. longi temporis.*

## §. XII.

# §. XII. Dissertationis II. Articuli VI.

## *Resolutio decem quæstionum de Emphyteusi.*

425. UT plenior de Emphyteusi, canone & laudemio habeatur notitia non non nulla intermissa in Articulo de jure Emphyteutico, de quo *à n. 153. ad 166.* disputo, subjicio.

Quæres primò, an quando Emphyteusis hæreditaria, vel ex pacto & providentia (de qua vide *n 153.*) Resolvitur propterea, quòd nullibi adsint descendentes, Dominus directus teneatur ultimo Emphiteutæ successori renovare Emphyteusim. *Resp.* Probabiliùs negativè, quia per *n. 153.* Emphyteusis est contractus stricti juris, proinde legem accipit ex conventione; sed quæstio supponit, quòd in prima conventione non fuerit expressa renovatio facienda successori ultimi possessoris, dum descendentibus non relictis contractus Emphyteuticus est dissolutus, Krimer *de feudis n. 1797.* ex Laym. *lib. 3. tract. 4. c. 23. n. 17.* contra Bart. cum multis, quorum sententiam æquitati esse consonam fatetur Laym. ut filius Emphyteutæ idoneus non repellatur, aliàs plures coloni cogerentur mendicare non sine damno Reipublicæ. Econtra renovationis habet inclusus in prima investitura, seu conventione, unde Dominus directus ex vi contractus renovare debet.

Quando quis debet succedere in feudum, aut Emphyteusim, semper proximior ultimo possessori est vocandus Palao *tract. 7. de just. commut. Disp. 5. p. 22. §. 4. n. 1.* Idem dic de fidei commisso & majoratu familiæ *L. cum ita §. in fidei commiss. ff. de legatis 2.* Idcirco filius venditoris in retractu præfertur patruo suo, quia filius est proximior.

426. Quæres secundò an si Dominus & Emphyteuta paciscatur etiam de casibus fortuitis, valeat compactatio? *Resp.* affirmativè ita est definitum *L. 1. Cod. de jure Emphyteutico.*

Quæres tertiò an Dominus directus possit pro libitu expellere Emphyteutam, saltem si refundat pretium, aliàsque expensas E. g. laudemium. *Resp.* Negativè ex certa sententia, quia nemo jure suo citra causam spoliandus est, Emphyteuta autem vi contractûs Emphyteutici acquirit jus utile per *n.* 153. jusque transmittendi ad suos posteros juxta qualitatem contractûs.

427. Quæres quartò qui possint dare, & accipere in Emphyteusim? *Resp.* Ad primum posse omnes liberos suarum rerum administratores, quia his fas est inire omnes licitos contractus, talis est Emphyteuticus. Unde cum pupilli, Minoresque non sint liberi ad-

mi-

ministratores rerum suarum, nequeunt eas concedere in Emphyteusim, neque eorum Tutores, & ut Curatores absque decreto & authoritate judicijs, *L. 13. c. de prædijs &c.* nec minor &c. Raiffenstuell *de locato à num.* 137.

*Resp.* Ad secundum omnes jure non prohibiti contrahere, possunt res alienas in Emphyteusim accipere, hæc enim non est de genere prohibitorum Zoës. *ad ff de locato n. 59.* Unde pupilli & minores sine consensu Tutorum, aut curatorum non possunt accipere in Emphyteusim, prohibentur enim contrahere sine dicto consensu L. *quamvis 32. ff. de acquirend. & amittend. possess.*

Nec clerici lucri causa, qua sic negotiarentur contra *Can. 1. 14. q. 4.* lucri inquam causâ, quia quamvis contractum etiam Emphyteuticum ob suam, suorúmque necessitatem licitè, & validè celebrant, Raiffenstuel *n.* 141.

Non etiam Ecclesiarum Rectores, seu Prælati sine debitis juris solennitatibus, sive in perpetuum, sive ad tempus res Ecclesiæ in Emphyteusim concedere, Emphyteusis enim est alienatio Dominij utilis, omnis autem alienatio sine juris solennitatibus est ijs prohibita *Can. Apostolicos 13. 12. q. 2. c. nulli 5. de rebus Eccles. alien. & Extravagant ambitiosæ eod.*

Posse verò eosdem, si adsit causa legitima, & adhibeatur juris solennitas concedere res Ecclesiæ in Emphyteusim etiam perpetuam, *cit. Extravag. Ambitiosæ*, ubi permittitur etiam alienatio Dominij directi, seu proprietatis per venditionem. Contra hoc nihil facit *Novell. 7. c. 3.* statuens Emphyteusim Ecclesiasticam concedi non posse nisi ad solos descendentes usque ad tertiam generationem, aliterque factam nullius esse roboris. Ratio est, quod nulla lex civilis nominatim, ac specificè disponens de Ecclesijs pro rebus Ecclesiasticis, ac personis sit valida, etsi favorabilis sit Ecclesiæ *c. Ecclesiarum 10. de constit.* uti singulariter ad propositum notat Jul. Clar. §. *Emphyteusis q. 28. n. 7.* apud Raiffenstuell. *n. 240.*

428. Quæres quintò an fœminæ; & illegitimi succedant in Emphyteusi tam laica, quam Ecclesiastica? *Resp.* Primò de fœminis affirmativè, nisi sint specialiter ac positivè excluſæ; non excluduntur etsi instrumentum dicat: *concedo Emphyteusim pro te, & filijs tuis*, nam nomine filiorum venire etiam filios constat ex jure allegato *n. 153.* (ubi etiam est insinuatum, quod etiam nepos ex filia intelligatur in successione Emphyteutica pro masculis successoribus constituta, etsi non procedat in majoratu) confirmatur ulterius, quod sermo masculinus porrigatur ad utrumque sexum *L. pronuntiatio 195. in princip. ff. de V. S.* Ratio etiam est, quod nomine hæredum comprehendantur etiam fœminæ, ergo Emphyteusis etiam Ecclesiastica erecta pro quibusvis hæredibus transit etiam ad fœminas, ita Molin. *Disput. 474. à vers. quod ad Emphyteusim attinet, &c.* contra plures, nam Baldus negat transitum ad fœminas à paritate feudi; cui aliqui consentiunt de Emphyteusi Ecclesiastica, concordat Archi-Diaconus & communior neutram Emphyteusim transire concessam cum clausula *concedo pro te & filijs tuis.* Raiffenstuel *de locato à n. 244.* At Molin. dat disparitatem cur fœminæ regulariter non succedant in feu-

feudis, hæc enim conceduntur pro personali servitio in bello, quod fœminis non congruit, Emphyteusis verò datur pro servitio reali.

Adde quod etsi Jul. Clar. §. *Emphytheusis q. 36.* cum alijs excludat à successione in Emphyteusi concessa *pro te & filiis ac nepotibus masculis*, aut sic pro *se & descendentibus masculis* nepotem masculum ex filia ex regula illa: quod exclusâ fœmina à majoratu, aliáve dispositione etiamexcluſi censeantur masculi ex illa descendentes, attamen alij cum Alvaro Valasco opinantur contrarium, quia filius filiæ est verus descendens masculus, & nepos Emphyteutæ primi, nisi mens fuerit, ut Emphyteutica bona conserventur in familia, seu agnatione, tunc enim regula adversariorum allata procedit, siquidem in fœminis non conservatur familia capitis, secùs secluso ejusmodi intento, hoc secundum arbitratur cit. Valasco. At Molina putat ex conjecturis esse judicandum, quodnam ex illis duobus intenderit primus Emphyteuta.

*Resp.* Secundò illegitimos non succedere in Emphyteusi Ecclesiastica dixi *num. 151. vers. Ecclesiastica emphyteusis*, & quidem esi legitimati sint Rescripto Principis, oppositum dicendum de legitimatis per matrimonium subsequens, Jul. Clar. *q. 30. & 31.* In laica verò posse illegitimos succedere eo modo, quod in alia bona defuncti tradit Clar. *cit. q. 33. n. 1.* Molin. *Disput. 475.* ex communi, quia nullibi jus eos magis arcet à successione in Emphyteusi, quam in cæteris bonis, quomodo autem succedant in aliis bonis spectat *ad titulum de testam. & ad tit. de successionib. ab intestato.*

429. Quæres sextò an Emphyteusis simpliciter concessa sine mentione temporis, aut personarum transeat ad omnes hæredes tam ab intestato, quam ex Testamento succedentes etiam extraneos. De laicali affirmant teste Clar. *q. 28. n. 1.* quia in dubio, quando oppositum non constat, ex investitura, est facienda interpretatio secundum primigeniam naturam Emphyteusis, hæc est perpetua *per n. 157. in princ.* Unde à fortiori est id verum, quando conceditur cum clausula *pro te, & hæredibus tuis*, Clar. *n. 6.* Molin. *Disput. 469.*

De Ecclesiastica est major difficultas, nam simpliciter concessam transire ad solos descendentes liberos utriusque sexûs, horumque nepotes, secùs ad extraneos, docet prima opinio apud Clarum *ex Novell. 7. c. 3.* negans transitum ultra descendentes, & quidem non ultra tertiam generationem. Hæc opinio negat Ecclesiasticam perpetuari, etsi concessa esset cum clausula *pro te, & tuis hæredibus* (nisi addatur ly *omnibus*, vel *quibuscunque &c.*) eo quòd regulariter ex natura sua ultra non devolvatur; Ita communior cum Alex. Valasco apud Clar. *q. 24. n. 6.*

His contradicit Clarus *q. 28. n. 6.* Molin. *n. 3.* &c uti & Raiffenstuell *n. 238.* & seq. dans rationem, quod jus nullibi distinguat in hoc puncto inter laicam, Ecclesiasticam, proinde utraque simpliciter concessa est intelligenda juxta naturam Emphyteusis, de hujus autem natura est perpetuitas ut dictum, unde gratis dicitur regulariter Ecclesiasticam non transire ultra descendentes, cum nullum jus, sive Canonicum, sive civile, de hoc extet. *Novell. 7.* in con-

trarium adducta per *n.* 425. *vers. posse vero &c.* nullum habet robur. Econtra pro sententia Clari. Molinæ, &c. stat satis apertè jus *L. veteris 13. prin. C. de contrah. & committ. stipulat.* ibi, *generaliter sancimus omnem stipulationem, sive in dando, sive in faciendo, sive mixta ex dando, & faciendo inveniatur & ad hæredes, & contra hæredes transmitti, sive specialis fiat hæredum mentio, sive non.* Ergo hoc ipsum sentiendum de contractu Emphyteutico Ecclesiastico saltem, dum fit cum præfata clausula, de qua allegati Doctores loquuntur, at Raiffenstuell videtur sentire id ipsum etiam seclusâ datâ clausulâ, consequenter pariformiter responso dato de Emphyteusi laicali, uti colligitur, ex ejusdem *n. 234. junctis n. 238.* & sequent.

*Resp.* Me approbare hanc sententiam spectato jure, & natura primigenia Emphyteusis, at si defacto mos, seu consuetudo alicubi aliter ferat, huic oportet se accommodare, & hujus moris paucis memini *n.* 153.

430. Quæres septimò quibus in rebus possit constitui Emphyteusis? *Resp.* In solis immobilibus, uti patet ex definitione ejus *n.* 153. & quidem primitus in solis sterilibus, ac desertis concessis, ut industria Emphyteutæ meliorarentur; res autem mobiles regulariter non coluntur, nec meliorantur, & ideò non in his, nec in juribus etiam illis, quæ immobilibus æquiparantur, uti sunt perpetui redditus potest constitui, ita Haunold. *tract 9. n.* 472. Si tamen res mobiles fundo Emphyteutico adhæreant, possunt cum hoc dari in Emphyteusim, nam adhærentes fundo sunt pars hujus *L. fructus 44. ff. de rei vendicat.* Raiffenstuell. *de locat. n.* 143. An in rebus Ecclesiasticis possit constitui, mox apparebit ex quæst. sequente.

431. Quæres octavò an res Ecclesiasticæ possint à suis Prælatis dari in Emphyteusim, & quid observandum, ut liceat sic alienare, *Resp.* Posse Prælatos in rebus immobilibus. Ecclesiæ aut Monasterij novam etiam perpetuam Emphyteusim constituere sevata debita Juris Canonici solennitate insinuatum est *n.* 427. Jul. Clar. §. *Emphyteusis q. 6. n. 4. ex extravagant. Ambitiosæ allegata cit. n.* 427. In quibus autem consistat juris solennitas fusè discussimus *à n. 261. ad n. 266.* Dixi *novam Emphyteusim*, quia Emphyteuses olim legitimè concessæ, si redeant ad Ecclesiam possunt à Prælatis absque juris solennitate novis Emphyteutis concedi dummodo eadem, aut similis utilitatis causa adsit, quia similis concessio non æstimatur esse nova alienatio, sed ordinationis veteris executio, Abb. *inc. ut super n. 11. de reb. Eccles. alien.* Clar. cit. Pirhing *de locat. n. 46.*

Citata *Extravag.* poscit evidentem Ecclesiæ utilitatem & ideò ex cit. Abb. Raiffenstuell *n. 263.* negat si fundus incultus pro modico canone concessus in Emphyteusim, postea excultus redeat & frugifer, quod possit pro eodem canone in Emphyteusim concedi sine renovatione solennitatis juris, tunc enim nec eadem, nec similis utilitatis causa existit.

Si petas quandonam censeatur Emphyteusis vetus? discordant Canonistæ apud Raiffenstuell *n. 265.* nam cit. Abb. est contentus, quod res semel sit in Emphy-

phyteusim concessa. Contra est, quod *Extravag. Ambitiosæ &c.* expressè loquitur de re, *quæ ab antiquo in Emphyteusim dari est solita*, sed semel tantum concessa non est dari solita, ita Clar. cum alijs requirentibus, quod res saltem fuerit bis concessa, vel si semel tantum saltem 40. annis duraverit Emphyteusis. Huic opinioni ut probabiliori acquiescit Raiffenstuell notans quod *Extravag. Ambitiosæ &c.* sit posterior *c. 2. de feudis*, ubi plus non requiritur, ut possit sine solennitate res dari in feudum, nisi hoc, quod priùs fuerit feudalis, proinde huic Capitulo illa deroget. Acquiesco & ego.

Limitanda est responsio data de Emphyteusi antiqua, si redeat quod possit alteri, dari sine renovatione solennitatis, videlicet eam non subsistere, si bona Emphyteutica resolutâ priore Emphyteusi incorporentur mensa Episcopi, vel Prælati, vel Ecclesiæ, aut Monasterij, quia sic induunt naturam, & qualitatem bonorum, quibus incorporantur, sed hæc non possunt sine juris solennitate dari in Emphyteusim per *n. 425.* Pirhing *de locat. n. 49.* Azor &c.

Quæ autem bona pertineant ad mensam Ecclesiæ, Capituli, aut Monasterij, & quæ ad mensam Prælati, aut Episcopi Respondet Raiffenstuell *n. 267.* ad primum spectare redditus destinatos sustentationi Ministrorum Ecclesiæ, Canonicorum Capituli, & Religiosorum Monasterij. Respondet ad secundum illos proventus spectare ad mensam Prælati, aut Episcopi, qui constituti sunt pro alendo Prælato, aut Episcopo. Bona igitur reversa Emphyteutica applicata ad aliquam ex dictis mensam, nequeunt dari in Emphyteusim,

Hinc bona illa, quorum Dominium directum est penes Ecclesiam, aut Monasterium, utile verò penes extraneum non sunt de mensa Ecclesiæ, aut Prælati, *Gloss. in Clement. 1. § Ad mensam de Excessib. Prælat.* Abb. *in c. super n. 9. de reb. Eccles. alien.*

432. Quæres nonò an Pater Emphyteusim possit prælegare uni ex liberis, aut extraneo? Molin. *Disp.* 478. affirmat de hæreditariæ, id est, concessa pro se, & quibusvis hæredibus, dummodo id fiat sine præjudicio, seu imminutione legitimæ, talia enim bona Emphyteutica pari passu procedunt cum alijs bonis proprijs, unde Laym. mox citandus annumerat ea potius liberis, seu allodialibus, quam Emphyteuticis. Negat verò de Emphyteusi ex pacto, seu providentia, etiam cum consensu Domini Directi. Rationem disparitas dat, quod in hæreditaria perinde ipse habeant bona illa, ac bona omnino libera, secùs in Emphyteusi ex pacto &c. quia ad hanc liberi ex investitura vocantur. Laym. *Lib. 3. tract. 4. c. 23. n. 16.* assentitur Molin. etiam quoad Emphyteusim familiarem, seu ex pacto & providentia veterem, id est, transeuntem à primo Emphyteuta ad alios, quia in prima vestitura vocati sunt successores, atque adeò jus ad eam acquisiverunt, saltem postquam primus successorum transmittit ad secundum, cui juri nequit præjudicari etiam consensu Domini directi. At si Emphyteusis est nova, videlicet impensis ipsius primi Emphyteutæ comparata aut saltem intuitu ejus acquisita censet cum Clar. *q. 16. n. 1.* contra Molin.

*Conclus. 2.* posse cum Domini consensu uni ex liberis prælegare, aut adhuc in vivis de ea pro arbitrio disponere. Ratio est, quod comparando Emphyteusim novam pro se, aut suis filijs non sibi manus ligaverit ad liberè disponendum de ea, quoad vixerit, seu quo minus eam resignet filijs, aut certæ generationi. Eandem sententiam amplexus est Raiffenstuell *de locat. n. 253. & sequentibus duobus.*

433. Pro complemento hujus §. quæri potest decimò, an contractus *libellaticus, seu libellarius seu libella* ut eum vocat Haunold. *tract. 9. n.* 473. sit distinctus ab Emphyteusi. Observat Lessius *lib. 2. c. 24 n. 6.* quod *libellus* seu *libellus* seu *contractus libellaticus* passim sumatur pro Emphyteusi, aut feudo; proprie tamen sit contractus, vi cujus simili contractu, quo accipit Emphyteuta (idem de Feudatario) tradit tertiò pro certa annua pensione sibi retenta inquit Haunold. ponens differentiam ab Emphyteusi, quod dans in Emphyteusim habeat directum Dominium, secùs Emphyteuta dans in subemphyteusim (sic enim Less. vocat *libellum*) item emphyteusis non renovatur sine novo possessore, *libella* verò possessore immutato anno vigesimo nono est renovanda solutâ arbitrio viri boni certâ pecuniâ. Quid Germanicè hic contractus significet, ignoratur teste Casparo Manzio.

Molin. *Disp.* 10. convenit cum citatis DD. circa significatum vocis libelli propriè sumptæ, & eum, qui ab Emphyteuta accipit rem eandem pro annua pensione vocat *libellarium.*

An Emphyteuta sine consensu Domini directi possit livellare, seu subemphyteuticare, seu præfatum cum tertio inire? negat cum comuniore Molin. *Disput.* 471. *n.* 1. quia Subemphyteuticatio est translatio Dominij utilis, quod accipit Emphyteuta à directo Domino, in libellarium pro annua pensione, ex qua solvit Domino Directo debitum Canonem, residuum sibi reservat. Unde cum Dominium nequeat stare simul penes duos, in Emphyteuta nihil remanet præter jus exigendi novam pensionem libellario impositam, Molin citat. *vers. His ita constitutis*

§. XIII.

# §. XIII. Dissertationis II. Articuli VI.

## *An usufructus Professi transeat ad Monasterium?*

434. DE usufructu dissertum est *à n. 135.* an exstinguatur per Professionem, paucis data est resolutio *n.* 41. *&* 137.

De Peculio Castrensi, vel quasi Castrensi per Professionem transmitti in Monasterium successionis capax est certum per omnes apud Sanch. *lib. 7. Moral. c. 13. n. 37.*

De adventitio etiam est certum transire quoad proprietatem, attamen quoad usumfructum non transire, quamdiu pater vivit, sed remanere penes patrem cum plerísque tuetur Sanchez *n. 39.* Professio enim etsi tollat patriam potestatem, non tamen extinguit usumfructum, sed morte Patris consolidatur cum proprietate Monasterij, ususfructus enim semel acquisitus non cessat cessante patriâ potestate *L. fin. cod. ad Tertull. & L. 3. cod. de usufructu*, quare illud cessante causâ cessat effectus, procedit de jis, quæ à causa dependent in fieri, & conservari.

Quomodo autem ususfructus non solùm patris in adventitia filij bona, sed cujuscúnque usufructuarij, si profiteatur in Monasterio capaci transeat ad Monasterium, non caret difficultate, cum sit jus personale, atque adeò non transeat de persona in personam *per cit. n. 315.* Unde non desunt Doctores apud Sanch. *num. 47.* negantes transire in Monasterium, nec eum in profitente usufructuario Monacho remanere, cum vi Professionis fiat incapax cujusvis proprij temporalis habendi.

Huic opinioni resistunt omnes alij longissimo catalogo relati à Sanch. qui *num. 50.* ex præmissis *num. 5.* tradit transire ad Monasterium non ex voluntate usufructuarij profitentis (eo quod, ut dixi, sit jus personalissimum adhærens ossibus usufructuarij, proinde prior ususfructus extinguatur in usufructuario) sed voluntate Domini directi, & proprietarij novus constituatur in Monasterio. Hæc doctrina est indicata cit. *num. 41.*

Verum ex ibi dictis cum Haunold. *Resp.* Quod non sit opus, ut transeat de persona Professi ad Monasterium tanquam ad personam distinctam, quia Monasterium non est persona distincta moraliter à Monacho, sed eadem: aut dic transire ex Authoritate juris disponentis, ut omnia jura Monachi transferantur in Monasterium *Auth. Ingressi c. de sacrosanct. Eccles.* vel dic cum Krim. *de feudis n. 1719.* quod fructus

*sit jus personale*, id est, quod non transseat de persona una in aliam, sit intelligendum de transitu per cessionem, aut transmissionem in alterum, secùs si cum ipsa persona transeat in alium illud jus habentem solùm per consequentiam personæ, hoc ipso enim quod leges concedant sine exceptione omnia jura transire cum Professo, eo ipso declarant non esse sic personale, ut cum Professo non maneat, quamdiu ille vivit.

Quando directè relinquitur usus-fructus Ecclesiæ, aut Monasterio, tunc omnino durat centum annis, minime autem quando Ecclesia indirectè succedit in jus alterius, ut fit quando usufructuarius profitetur, tunc enim cum contemplatione hujus succedit Monasterium, non extenditur ultra vitam profitentis Sanch. *n. 48. & 50.*

# §. XIV. Dissertationis II. Articuli VI.

## *An Monasterium Professo succedat in fidei commisso cum exclusione substituti.*

435. AD hanc quæstionem paucis respondi *num.* 41. latius eam examinat Haunold. *de jur. & just. tract. 4. à n. 29.* respondétque affirmativè ad quæstionem, & quidem primo in casu substitutionis conditionatæ sub hac conditione: *si hæres institutus sine liberis decesserit.* Fundamentum hujus præbet *Auth. de sanctissimis Episcopis* (quæ est *Novell. 123.*) *c. 37.* ibi: *Sancimus si personæ talibus conditionibus subjectæ sive masculi, sive fœminæ Monasteria ingrediantur, tales conditiones invalidas, & pro non scriptis esse.*

Respondet secundò etiam pro non adjecta haberi istam conditionem, *si hæres institutus Professus fuerit in Religione capaci successionis*: quam sententiam priùs amplexus est Fachin. *lib. 4. contr. c. 56.* etsi constet de contraria voluntate testatoris quam redigit in hunc Syllogismum: nam hoc testator vult, ut si hæres institutus absque liberis moriatur, succedat substitutus, sed hæres ingrediens Monasterium absque liberis moritur, ergo testator vult, ut in hoc casu succedat substitutus, non autem Monasterium.

Probatur utrumque responsum: contra testatoris dispositionem in favorem Religionis statuit Imperator Justinian. ut Monasterium succedat titulo Professi hæredis instituti cum substitutione sub conditione, si sine liberis decesserit, ergo etiam ob eundem favorem censen-

censendus est voluisse Monasterium successionis capax succedere, etsi testator exprimat se velle, ut tunc substitutus succedat, & non Monasterium.

Idem tamen Imperator excipit, videlicet ut Monasterium non succedat, si substituatur captivorum redemptio, aut egentium alimenta: Doctores extendunt ad aliàs causas pias, ut si substituatur Ecclesia, Hospitale, ídque procedit, etsi causa substituta sit minus pia, quam Monasterium, Sanch. *n. 35.* amplians *n. 36.* Pal. citandus etsi causa pia mediatè substituatur ut si immediatè substituatur tertius, & huic causa pia, tunc substitutio tertij non excluditur à Monasterio, ne causa pia in perpetuum sit exclusa. Amplia secundò, etsi cum causa pia simul etiam substituatur causa profana, substitutione causæ piæ non perit, sed augetur evanescente substitutione profanæ, Palao *num.* 13. Sanch *n. 37.* quem consule, Quia inquit Raiffenstuel *de testam. n. 627.* si privilegiatus concurrit cum privilegiato, tunc privilegijs non attentis observandum est jus commune, atque adeò si hæredes profiteantur sine liberis, hæreditas juxta substitutionē conditionatam devoluitur ad causam piam *Arg. c cum causa de præbend.*

P. Sanch. *lib. 7. Moral. c. 16. n. 12.* approbatus à Raiffenstuel *n. 625.* Molin. *Disput. 190. vers. hæc verò* Pirhing. *de testam. n. 76.* negat substitutum perpetuo excludi à Monasterio in casu relictæ hæreditatis, si hæres institutus absque liberis decesserit, solvítque argumenta sententiæ oppositæ, ac in specie ad allegatam *Novell.* dicit, non esse mentem Imperatoris, ut ea conditio sit invalida, & inefficax, & quasi non scripta ex sola præsumpta voluntate testatoris, præsumitur enim eam conditionem non oppositurus, si Professi meminisset. Dicit *perpetuo*, quia fatetur ibi, negaríque non potest, quod durante vitâ Professi Monasterium fruatur.

Huic Responso contradicit dispositio Justiniana, cum hæc non nitatur voluntate præsumptâ testatoris, sed favore speciali contra voluntatem testatoris prosecutus est jura Religionis, an Ecclesiæ Imperator. Ratio itaque ob quam Monasterium præfertur extraneo substituto non fundatur in præsumptione sed in favore legis indistinctè loquentis quoad omnes substitutos exceptâ causâ piâ.

436. *Resp.* Sententiam Haunoldi, Fachin. &c. esse juri conformiorem. Proinde Monasterium in perpetuum excludit substitutum, ita etiam sentit Palao *p. 3. tract. 16. Disp. 3. p. 4. n. 4.*

Pro solvendis argumentis oppositæ sententiæ innitentis varijs juribus, hæc non Adversari opinioni nostræ, primò non adversatur *Canon fin. de Judæis dist. 45.* quod nemo invitus cogatur benefacere, nam in nostro casu testator lieberè res suas relinquit hæredi, hic autem per Professionem easdem res, & jura secùm defert ad Monasterium, quam delationem nequit impedire testator per substitutionem ita disponente in favorem Religionis Imperatore.

Non adversatur secundò *c. verum de condit. oppos.* vi cujus testator potest instituendo hæredem Ecclesiam adjicere conditionem, aut modum, quo non observato hæreditas non remaneat penes Ecclesiam: nam casus hic est prorsus nostro dissimilis, ac diversæ rationis.

Non

Non adversatur tertiò quod *lex prima cod. de sacrosanct. Eccles.* permittat testatori pro suo arbitrio de suis rebus disponere omissis enim alijs restrictionibus sufficiat, quod Justinianus in nostro casu restrinxerit facultatem testatoris.

Demum non obstat *lex DEO nobis cod. de Episcop. & Cleric.* permittens Patri, ne ultra legitimam relinquat Professo: Exinde enim non concluditur, quod universaliter possit ita substituere, ut substitutus excluso Monasterio succedat in hæreditatem quoad dictum excessum post allegatam *Novellam. 123.* quæ cum sit posterior codice restringere leges codicis, uti restrinxit in casu nostro.

Dices ergo saltem filius à testatore substitutus excludet Monasterium, uti cum pluribus docet Sanchez *à num. 39. Resp.* Negando illatum cum Haunoldo *n. 36.* Pal. *n. 9.* & pluribus, quos adducit Sanch. *n. 38.* quia favor Justiniani est Universalis, seu indefinitè loquens de omnibus substitutis exceptis causis pijs, ipsúmque jus Canonicum hanc controversiam definivisse colligitur *ex c. in præsentia de probat.* ubi Monasterium excludit duos fratres testatoris teste Molin. *Disp 190. vers. multi quos. &c.* Et hic est unus ex casibus à jure expressis, in quibus Monasterium habetur loco filij ad excludendum substitutum, secùs ad excludendos hæredes, quibus legitima debetur. Haunold. *n. 24.*

437. Si testator hæredi substituat extraneum simpliciter, sive nullâ adjectâ conditione, & hæres profiteatur in Ordine capace successionis, an Monasterium in hoc casu substitutum in perpetuum excludat, vel verò post mortem naturalem Professi debeat fidei commissum substituto extradi. Plures affirmant apud Sanch. *n. 18.* tunc post mortem Professi excludi à Monasterio. At verius excludi negant Sanch. *n. 82.* Pal. *n. 4.* Molin. *Disput. 190. num. 33.* Assertionem clare eruens ex decisione Imperatoris *in cit. Novell.* dicens, quod si à principio fuisset facta substitutio simpliciter, ac sine conditionibus, postea adjicerentur conditiones, tunc substitutio esset nulla, ergo supponit valituram substitutionem factam sine adjectis conditionibus.

In principio huius numeri statuimus, quod hæres gravatus ad extraneum transmittere hæreditatem: *si absque liberis decesserit*, extraneus substitutus perpetuo excluditur à Monasterio, si in hoc profiteatur, ergo etiam in casu non adjectæ verbis expressis præfatæ conditionis, hæc enim conditio semper subintelligitur in fidei commisso Universali, id est, dum tota hæreditas, aut certa quota substituto est restituenda, taciti enim, & expressi est idem judicium. *Resp.* Cum Haunold. *num. 34.* Nego consequentiam, ad probationem negatur cum cit. Sanch. idem operari expressam, & tacitam conditionem, quando tacitam suppler jus favore solius prolis, uti supplet hic, nam si tali hæredi gravato nasceretur proles, substitutus excluderetur. Deinde ut observat Haunold. falsè supponitur ab Adversarijs nempe, quod quando conditio illa exprimitur, favor Justiniani fundetur in præsumpta voluntate testatoris, quod est falsum, sed ex mero favore Religionis sic disposuit, ut conditio expressa pro

pro nulla haberetur. Plures limitationes hujus doctrinæ producit Palao *à num. 6.*

De majoratibus institutis pro conservanda familia cum exclusione Monachi, aut Clerici est recepta sententia Religiosos non succedere ( conditio enim eos excludens non eo tendit, ut à Religione retrahat : sed ut splendor familiæ non intereat Sanch. *c. 15. n. 6.* ) sed à die Professionis devolvi ad vocatum idem *num. 10.* Idem dic quando jurisdictio est annexa in aliquod oppidum, villam, &c. etsi Religio sit capax jurisdictionis temporalis, quia præsumitur fuisse hæc voluntas institutorum, ex opinione probabiliore contra aliquos Sanch. *num. 12.* At si majoratus caret jurisdictione E. g. Ducali, Comitatûs, &c. manet majoratus cum suis fructibus penes Monasterium usque ad mortem naturalem Monachi hoc mortuo transit ad proximè vocatum Sanch. *num. 16.* à die Professionis, quando Religio est succedendi incapax, Idem *num. 17. & 18.* at *n. 19.* ut probabiliorem sequitur negantem, dum majoratus est institutus ob conservationem familiæ.

# §. XV. Dissertationis II. Articuli VI.

## *An hucúsque elucidata ex jure communi habeant locum etiam in Societatis JESU Religiosis ?*

438. *Resp.* Minimè ob speciale jus, quo Societas utitur. Ex hoc duo sunt certa. Primum est, quod Religiosi Societatis post vota biennalia emissa fidei comissum retineant, & etiam acquirant si à testatore sint substituti. Alterum est, quod Professi Societatis, & formati coadjutores non possint succedere, nec Societas ratione ipsorum. Hoc utrumque ex constitutionibus Societatis liquidatum est *à num. 32. ad 36.*

Dubium supereſt an Societatis Religiosus fideicommissi Dominus validè, & licitè valeat fideicommissum in favorem Societatis ante Professionem renuntiare ita ut in perpetuum exclusus maneat substitutus. Ratio negandi, quod privilegium concessum à jure communi *in Auth. de sanctissimis Episcopis, & in c. in præsentia de probat. loquantur de successione Monasterij* ob gravati ingressum per Professionem, qualiter non ingreditur Scholasticus Societatis, ergo titulo præcisè ingressus non potest excludi substitutus, non etiam titulo renuntiationis, nam jura agunt de successione non ex renuntiatione, sed ex Professione.

*Resp.* Affirmativè, ita satis verosimile censet Palao *p. 3. tract. 16. Disp. 3. p. 4. num. 17.* post Sanch. *n. 22.* Ratio

quia jus commune videtur duntaxat spectâsse, an gravatus fideicommisso sit ingressus Religionem, si ita, voluit ut secum deferat omnia jura, hæcque transeant ad Monasterium, ergo cum Scholasticus Societatis per vota sua efficiatur verus Religiosus, retineátque fideicommissum velut hujus Dominus, si renuntiet Dominium in favorem Societatis, validè transit in Societatem non titulo præcisè renuntiationis, ut bene tangitur in ratione negandi, sed titulo renuntiationis factæ ob ingressum in Societatem: quod iste ingressus non sit Professio, hoc non habetur ex jure communi, sed speciali Societatis, quod ei obesse non debet, ne Societas JESU deterioris conditionis, quam aliæ Religiones.

An dicta de fideicommisso procedant etiam de majoratu? *Resp.* Secundum jus commune de Novitijs cujusvis Religionis est indubitatum eos retinere jura majoratûs, quia nondum sunt Religiosi, & ideo eos non excludit clausula excludens à majoratu Religiosos, nam in odiosis Novitij non comprehenduntur nomine Religiosorum, Sanch. *lib. 7. moral. c. 15. n. 2.* At de jure speciali Jesuitico *in Congreg. V. generali, Can. 14.* statutum est, ne deinceps ad Societatem admittatur habens majoratum in Hispania sine Licentia Patris Generalis, sicque donis talibus præditus ut post biennalia vota possit admitti ad solennem trium votorum Professionem, & vel sic Professus fiat incapax omnino & tuto succedat sequens vocatus.

# §. XVI. Dissertationis II. Articuli VI.

## *An feudum jus Patronatus, jus nominandi ad Emphyteusim, & jus retractûs, transeat ad Monasterium successionis capax? ubi de statuto seculari excludente Religiosos à Successione.*

439. QUæres primò quid sit feudum? feudum tripliciter sumitur, nempe vel pro ipso contractu feudali, quo res in feudum datur; vel pro ipso jure, quod resultat in Vasallo, seu feudatario ex dicto contractu, vel pro ipsa re in feudum concessa. Concedens feudum dicitur Dominus directus, seu feudi Dominus Germanicè Lechen-Herr: accipiens vocatur *Vasallus*, aut *Feudatarius* Germanicè Lechen-Trager, aut Lechen-Mann. Feudum ipsum sumptum pro re feudali dicitur Germanicè Lechen / aut Lechen-Gut.

Feudum sumptum pro contractu definit *Clar. §. Feudum q. 4. Quod sit benevola, & perpetua concessio rei immobilis, aut ei æquivalentis, quâ istius Dominium utile ejus proprietate* reten-

*retentâ in alterum transfertur sub obligatione fidelitatis, & servitij, sive obsequij personalis.* Dicitur primò *benevola*, quia regulariter gratis conceditur Vasallo, ut hujus fidelitatem Dominus habeat sibi obligatum. Dicitur secundò *perpetua*, quia communiter extenditur ad omnes masculos descendentes; unde concessum ad tempus non est propriè feudum. Dicitur tertiò *rei immobilis*, ut castrum, prædium, civitas, &c. aut *rei immobilis æquivalentis*, cujusmodi sunt jura incorporalia, quæ immobilibus accensentur, ut jus piscandi, venandi, lignandi, decimandi, alijvè annui redditus. Dicitur quartò *Dominium utile*, hoc duntaxat transit ad Vasallum, proprietas verò remanet penes feudi Dominum. Dicitur quintò *sub obligatione fidelitatis*, finis enim principalis est, ut feudatarius constanter sit fidelis feudi Domino, nihil contra hunc unquam, sive quoad ejus personam, sive honorum machinetur: fides hæc est de substantia feudi: *Feud. lib. 2. tit. 3. §. fine.* Dicitur sextò *servitij, sive obsequij personalis* videlicet liciti, ut defensio contra hostes per se, aut per alium, si ex causa justa ipse impediatur. *Feud. lib. 2. tit. 23. in fin.*

440. Quæres secundò an Clerici, & Religiosi sint feudi capaces? *Resp.* Primò Clericos, & Religiosos ex recepta in germania consuetudine succedere in feuda annexa Ecclesiasticæ dignitati est indubitatum, cum plures Episcopi, & Abbates in Germania possideant feuda propria Imperialia, hæcque ad eorum successores transeant,

Quare dispositio opposita de Clericis in sacris constitutis ac Relioiosis *lib. 2. feud. tit. 30.* & *tit. 26. §. si quis.* Ibi: *Qui Clericus efficitur, aut votum Religionis assumit, hoc ipso feudum amittat*, non habet locum in Germania, nullibi autem in Novitijs per *num. 437.* nec in Clericis minoribus, hi enim possunt redire ad statum sæcularem; non etiam in Religiosis non Professis, nempe in Societatis JESU Scholasticis, hi enim retinent Dominium, possunt sæcularizari per dimissionem: pariter non in Clericis initiatis sacro Ordine quoad feuda Franca, seu talia in quibus servitia sunt remissa Krimer *de feud. n. 1704. Resp.* Secundò tam Clericos, quam Religiosos profitentes Religionem capacem successionis succedere posse in omnibus feudis Francis, hæreditarijs Germanicè Erb-Lechen vel eigenthumblich Lechen (hæc dicuntur illa, quæ vigore investituræ alicui pro se & quibusvis hæredibus tam extraneis, quam suis concessa sunt) ac fœmineis (hæc Germanicè dicuntur Weiber oder Gunggel-Lechen / súntque illa, quæ concessa sunt ut masculis deficientibus etiam linea fœminea succedat, aut quæ primitus sunt collata fœminis, & ideò patiuntur fœmineam successionem) item in illis, quibus nullum servitium personale, sed reale est annexum E. g. pensio pecuniaria: Imò & in exigentibus obsequium personale non] incompatibile cum statu Clericali, & Religioso, aut etiam incompatibile, ita tamen, ut vi investituræ, aut ex speciali indulto Domini possit peragi per substitutum, ita communis Sanch. *lib. 7. morab. c. 15.*

*à n. 36.* Fachin. *lib. 7. contrav. c. 35.* Fagn. *in c. quæ in Ecclesiarum 7. de constit.* Ratio, quod in his omnibus cesset ratio, ob quam arcentur Clerici, & Religiosi à successione in feudis.

Quapropter Monasterium capax successionis succedit loco Professi, quamdiu hic naturaliter vivit, post ejus obitum feudum devolvitur ad proximos agnatos, aut in horum defectu ad Dominum, *cit. Fagn. n. 60.* Pirhing. *de feud. n. 25.* Feuda enim regulariter tantum ad hæredes sanguinis transeunt, Raiffenstuel *de feud. n. 102.* nisi, subdit ibidem, sit feudum perfectè hæreditarium, in hoc enim non minus Monasterium, quam alij hæredes potest perpetuo succedere.

441. Quid si Professi oppida, & castra habeant annexam jurisdictionem, talia non transire censet esse probabilius Sanch. *n. 12.* idque de majoratu attingimus *n. 437.* in fin. dum asserit esse probabilius, eo ipso oppositam sententiam esse probabiliorem insinuat, quam plures amplexi sunt apud eundem *num. 11.* eique novissimè subscribit Raiffenstuel *de feud. n. 104.* cum Barbos. *lib. 3. juris Ecclesiastici univers. c. 10. num. 2.* Fundamentum hujus est Regula Generalis, ut Monasterium in omnia Professi bona, & jura succedat, *Auth. Ingressi cod. de sacrosanct. Eccles.* à qua non est recedendum nisi clarius oppositum jus producatur, idcirco hi Doctores volunt suam opinionem esse juri conformiorem; Aliunde ejusmodi Monasteria sunt capacia jurisdictionis temporalis, consequenter feudorum, quibus hæc est annexa. Nec refert, quod fortè Officium judicandi Monachis videatur prohibitum, per hoc enim non arcentur ab exercitio jurisdictionis, & Justitiæ per officiales idoneos, idque videmus consuetudine, quæ est optima legum interpres practicari & quidem etiam in causis criminalibus, quando Dominium habet annexum jus gladij, seu sanguinis, prout habet Collegium Iabacense Societatis JESU in Dominio suæ fundationis Pletria dicto olim ad PP. Carthusianos spectante.

442. Ex dictis infero primò professum in Religione capaci successionis retinere omnia jura suitatis, & agnationis, eaque transmittere ad Monasterium, sicut transmitteret ad alios hæredes, idcirco Monasterium nomine Professi retinet omnes qualitates, & prærogativas filiorum. Sanch. *c. 12. n. 5.*

Infero secundò Professum retinere suam Nobilitatem contra Joañem Andr. Hostiens. Abb. &c. quia nobilitas est quoddam sanguinis jus, & subinde naturale, unde quod sit mundo mortuus, intelligendum est quoad contemptum, & quoad eas dignitates, quæ Professus nequit administrare ut Ducatun, Comitatum, &c unde ejusmodi Nobiles dignitates sæculares Professum amittere *ex c. scripsit 27. q. 2. & c. præsens 20. q. 2.* fatemur uti etjam nobilitatem competentem ex publico officio, seu hujus administratione, secùs non dependentem ab administratione ut Doctoratus ex gradu, &c. & à fortiori retinet nobilitatem suæ familiæ, nam quoad naturalia jura non censetur mortuus, ita Sanch. *n. 13.* refertque decisum à Rota, ampliatque ad Professum in Ordine Minorum, quoad hoc enim non est mortuus, sed quoad successiones.

Infe-

Infero tertiò Professum talem cum suis bonis, quibus est annexum jus Patronatus, transferre id in Monasterium. Item jus nominandi ad Emphyteusim, hoc enim jus est pretio æstimabili, Haunold. *tract. 4. n. 28.* negans transire jus retractûs, finis enim privilegij concessum proximiori consanguineo rem alienatam extra familiam revocandi persoluto pretio est, ut res retineantur in familia, Monasterium non est in familia

Illatio hæc tertia quoad omnes tres partes traditur etiam à Sanch. *c. 14.* & quidem quoad jus patronatûs *n. 6.* ita ut exstinguatur cum morte Professi, quando est hujus personæ annexum. Postea *à n. 7.* ait quoties jus Patronatûs transit ad Monasterium, nequit validè secluso privilegio, aut consuetudine Abbas sine consensu conventus validè præsentare ex *C. novit, &c. c. quando & c. ea noscitur de his quæ fiunt à Prælato.* De jure nominandi ad Emphyteusim expressit *n. 17.* de jure verò retractus *n. 27.*

Infero quartò cum jus succedendi sit mere humanum, potest ei derogari contrariâ consuetudine quadragenariâ (minori tempore non præscribitur contra Ecclesiam) talis consuetudo viget in Gallia, & in pluribus alijs Provincijs excluduntur, Monachi à successione teste Wadingo *de contract. Disput. 4. dub. 5. §. 4. n. 6.* proinde profitentis Religionem bona migrant ad viciniores propinguos Sanch. *n. 14.*

443. Quæres tertiò: an valeat statutum sæculare, quo Religiosi excluduntur à successione Parentum. Ratio affirmandi: si consuetudo potest eos excludere validè, potest etiam statutum, sed consuetudo potest ut proximè Concessum, ergo etiam statutum. Confirmatur, quia quod lege civili est inductum etiam ex causa justa potest cassari, jus autem successionis quoad Religiosos in parentum bona est inductum Lege civili, *L. fin. c. de Episcop. & Cleric.* Ob hæc affirmant plures apud Sanch. *c. 12. n. 16.* alij distinguunt affirmantes, quando statutum afficit illos ante ingressum, ut si sub hac forma sit conceptum, *ingrediens Religionem non succedat*, quia cadit supra illos ut adhuc sæculares, negantes verò, si cadat supra jam factos Religiosos, nempe sub ista, aut simili forma *Religionem ingressi, non succedant:* ita Bartol. Bald. Paulus, &c.

*Resp.* negativè cum Sanch. *n. 18.* quia sub quacunque forma concipatur statutum & reddat incapaces, debet in eos dirigi, vel ut nondum Professos, aut ut jam Professos, sed utroque modo est irritum, ergo statutum sub quacunque forma concipitur, est irritum. Major est ex terminis minor probatur: si dirigatur in eos ut nondum Professos, dirigitur in eos ut adhuc capaces successionis, sed directum in eos ut adhuc capaces successionis, est irritum: etiamesse irritum directum in eosdem ut jam Professos, est Manifestum, quod Professi sint exempti à jurisdictione potestatis statuentis, atqui statutum directum in exemptos à jurisdictione statuentis est irritum. Nihil ergo probat, quod statutum formetur tempore, quo nondum existit Professio, quia sufficit ad nullitatem illud dirigi in tempus Professionis; cum ex jure constet idem esse aliquid fieri tempore inhabili, & ejus effectum conferri in tempus habile *L. quod sponsæ c. de donat*

*donat. ante nupt.* Non obest illud argumentum Ferdinand. Vasq. Monasteria esse satis opulenta, proinde non expedire ipsis amplius ditari : Nam detur hoc, ad non rectè sequitur Principem laicum posse impedire, nam ad eum non spectat correctio Ecclesiasticorum Wading. cit.

444. Ad rationem affirmandi *Resp.* negando Majorem, ut enim statutum valeat, debet esse rationabile tempore, quo, & pro quo fertur, at ut consuetudo fit rationabilis, necesse non est, ut Principium ejus sit rationabile, aliàs nulla consuetudo præscribet contra legem, quia ejus principium, seu actus primi, à quibus incipit consuetudo, sunt irrationabiles utpote oppositi legi nondum abrogatæ. Deinde etsi statutum tale sit nullum directè gravans Clerum progressu tamen temporis ex tacito consensu, & quasi acceptatione Cleri, & Papæ potest transire in consuetudinem validam invalidantem Successionem Religiosorum Covar. apud Wading. cit. credentem hoc modo multas leges in Codice Justiniani ex consuetudine Ecclesiæ obligare. Addit in antiquis statutis præsumi posse interveniisse authoritatem Ecclesiæ, etsi Clarè non constet nobis.

Ad confirmationem *Resp.* majorem esse veram respectu subditorum, secùs respectu personarum exemptarum à jurisdictione Imperatorum, personæ Ecclesiasticæ, & Religiosæ sunt extra jurisdictionem Imperatorum, ergo postquam Ecclesia, nempe Pontifices acceptarunt legem civilem disponentem ut Religiosi omnia sua jura, & bona secùm deferant, & transferant in Monasterium, nequeunt revocare, est enim ab omni veritate, & Christiana pietate alienum inquit cit. Sanchez quod Imperatores concessa Ecclesijs, & Ecclesiasticis privilegia, & ab illis accepta eadem possent auferri sine consensu Pontificio cum sit impium, ac injustum tollere non subditis jura sua.

Dices valet statutum in successione præferens masculos fœminis, etsi ex his fiant postea, aut antea fuerint aliquæ Moniales. Item si secundum omnes valet statutum generale minuens filiorum legitimas, tale afficit etiam Clericos, & Religiosos. Item institutio majoratuum, fit ex filiorum legitimis relinquendo duntaxat alienata sufficientia cæteris natu minoribus, hoc statutum afficit etiam Clericos, & Religiosos etiam statutum excludens Clericos & Religiosos à successione est invalidum. *Resp.* Ad omnia tria negando consequentiam cum Sanch. *n. 19.* disparitas est, quod in casibus antecedentis statutum sæculare sit generale nulla facta mentione status Clericalis, aut Regularis, cumque sit in bonum commune omnes æqualiter obligat, proinde Ecclesiasticos qua tales solùm indirectè, qualiter licitè posse impediri successionem per statuta generalia docet ex communi cit. Wadingus *n. 7.* E contra statutum excludens Religiosos, & Ecclesiasticos directè afficiat istos, quos afficere non potest, ut argumentum nostrum efficaciter demonstrat.

Si petas an si Monasterium vendat rem huic incorporatam per Professionem Monachi, an hujus proximiores consanguinei habeant jus eam revocandi ab Emptore. *Resp.* Negativè, quia per Professionem desijt esse res Monachi, consequen-

sequenter etiam exijt ex familia, Sanch. *num. 28.* ex Anton. Gomez. referente, quod licitè agitâ tribus sententijs fuerit sic decisum.

Rursus si petas an Scholasticus Societatis, aut Novitius cujusvis Religionis, cum sit Dominij capax, habeat jus revocandi, *Resp.* Sanch. *num. 29. & 30.* affirmativè de Novitio, quia cum nondum sit Religiosus potest sibi acquirere negativè verò de Scholastico, quia nequit sibi acquirere ad retinendum, sed hoc ipso non habet jus retrahendi defectu finis, quem leges respiciunt concedentes facultatem retrahendi.

# §. XVII. Dissertationis II. Articuli VI.

## *An Emphyteusis ad Monasterium successionis capax devolvatur.*

445. AD hanc quæstionem responsum est affirmativè *num. 49.* cum Sanch. *lib. 7. Mor. c. 15.* Haunold. *tract. 4. n. 25.* ex hac ratione, quod reliqua bona Professi transeant, nec ullibi excipiantur bona Emphyteutica, gravetur tamen Monasterium, ut si ita velit Dominus Directus teneatur Monasterium alienare transferendo in personam non magis privilegiatam, aut potentiorem, aliàs nunquam Emphyteusis reverteretur ad directum Dominium, cum Monasterium sit immortale, nec laudemium persolveretur, cum nulla fieret unquam mutatio; si autem alienatio fieret in magis privilegiatum, aut potententioren, deterioraretur conditio directi Dominij, facilè enim contingeret denegari canonem, &c.

Verùm cum Emphyteusis sit multiplex *per n. 153.* videlicet laicalis, & Ecclesiastica, hæreditaria, & non hæreditaria.

Dubitatur primò an Sententia affirmans subsistat de quavis Emphyteusi, quando nullum est adjectum pactum ne in Ecclesiam, aut in potentiorem personam transeat.

Sanch. *à. n. 53.* quadruplicem refert in casu, nullum pactum est annexum. Prima est Navar. *Commentar 2. n. 55. fin. de regular.* Concedentis transitum Emphyteusis sæcularis Cujusvis, secùs Ecclesiasticæ. Secunda Abb. *in c. in præsentia n. 70. de probat.* affirmantis de utraque revocabiliter, id est, quod penes directum Dominum sit optio, ut consentiat translationis vel ut cogat Monasterium ad Emphyteusis alienationem in personam non magis privilegiatam. Jul. Clar. §. *Emphyteusis q. 33.* docet aut neutrum transire, aut si transit, transire cum onere transferendi in personam privatam. Tertia Innoc. *Cit. c. in præsentia n. 5.* & aliorum admittentium transitum utriusque

citra

citra facultatem revocandi. Quarta Sanch. cum Bald. Decio. Azor. *p. 1. Moral. lib 12. c. 8. q. 4.* opinantis sæcularem absolutè, seu irrevocabiliter ad Monasterium, Ecclesiasticam verò revocabiliter, hoc est, est Ecclesiæ liberum, aut ad se illam revocare, aut transitum permittere, dat disparitatem, quod Ecclesiæ sit indulta revocandi potestas intra biennium, *Auth. de alien. & Emphyt.* è contra nullibi jus hanc facultatem revocandi concedat in Emphyteusi sæculari; fit quidem sic deterior conditio directi Domini, sed sibi imputet, quod non deduxerit in pactum. Monet *num. 59.* suam sententiam procedere de Emphyteusi hæreditaria potente transire, de non hæreditaria negat transire, nisi solos fructus ad vitam Professi, sed succedere in investitura ad eam vocatos.

446. *Resp.* Primò transire tam Ecclesiasticam quàm sæcularem hæreditariam, ita Doctores tertiæ, & quartæ sententiæ contra Navar. Probatur Reliqua bona transeunt, ergo etiam Emphyteutica, quia nullibi excipiuntur; gravatur tamen Monasterium alienare per *num. 41.* Hæc alienatio non est prohibita, utpote non libera, sed necessaria. Vide Haunold. *tract. 4. n. 25.*

*Resp.* Secundò utramque non transire revocabiliter contra Authores secundæ sententiæ, sed duntaxat Ecclesiasticam, sæcularem verò irrevocabiliter, ita Sanch. *num. 56.* ob fundamentum ab eo proximè relatum.

Dices primò cum Palao *pag. 3. tract. 16. Disp. 3. p. 4. §. 3. n. 8.* & *p. 1. tract. 4. de fide Disput. 5. p. 8. num. 9.* Negante Ecclesiæ istud revocationis privilegium exceptâ Emphyteusi concessa ab Ecclesia Constantinopolitana, de qua sola loquitur allegata Auth. §. *1. de alien. & Emphyt.* *Resp.* Cum Jul. Clar. §. *Emphyteusis q. 29.* & Bald. *in Auth. nisi rogati n. 13. vers. sed quæro, &c.* quidquid in Ecclesiæ alicujus favorem est statutum, intelligitur esse jus generale, nisi contrarium reperiatur expressum, *Auth. de non alienand. §. hæc ergo.* Sed de alijs Ecclesijs non reperitur clarè expressum contrarium.

Dices secundò nisi Emphyteusis cum Professo revocabiliter transeat ad Monasterium, conditio Domini deterioratur, frustratur enim laudemio, cum non transeat de persona in personam, seu non fiat mutatio Emphyteutæ: deinde deficit spes aliquando consolidandi Dominium utile cum proprietate, seu ut utilitas redeat ad Dominium directum. *Resp.* Laudemium de jure non est debitum post datam semel Emphyteutæ investituram, nisi Emphyteusis transeat de persona in personam, qualis transitus non est in nostro casu, siquidem Monasterium est eadem persona cum Professo per *num. 41. & 434.* igitur titulo laudemij non deterioratur; titulo amissæ spei reuniendæ Dominium utile cum Dominio proprietatis, fit quidem conditio deterior, verum sibi imputet, quod non deduxerit in pactum, ita cit. Sanch.

*Resp.* tertiò ad dubitationem primam. Emphyteusim non hæreditariam (quæ etiam ex pacto, & providentia dicitur per *num. 153.* antiquam seu talem, quæ à primo possessore Emphyteuta jam transijt ad alios, non transire ad Monasterium cum Professo, nisi quoad fructus, & commoditatem, quamdiu

diu Religiosus vixerit, eo mortuo succedunt illi, qui sunt in investitura vocati ita Sanch. *n. 59.* Molin. *tom. 2. de just. Disput. 482. vers. quando Religiosus.* Unde etiam cum Domini consensu nequit à Monasterio alienari, quia hoc cederet in præjudicium cæterorum, qui in prima investitura sunt vocati, Raiffenstuel *n. 255. & 258.*

447. Dubitatur secundò, si Emphytevsis, sive sæcularis sive Ecclesiastica ante ingressum sit concessa pro se, & suis hæredibus, an transiret in Monasterium perpetuò, & irrevocabiliter. Affirmat Sanch. *c. 15. n. 62.* quem sequitur Krimer *de Feudis n. 1777.* quia potuit Dominus Emphytevsis cogitare possessorem Emphytevsis, nempe Emphytevtam posse Monasterium habere hæredem, ampliat Krimer ad Emphytevsim à Professo acquisitam per hæreditatem post Professionem.

In oppositam opinionem inclinat Palao *tit. Disput 3. p. 4. n. 10.* quod verba testatoris debeant sumi in propria significatione. Monasterium nomine Religiosi succedens non est propriè hæres, seu jure hæreditario non succedit, ut fert communis approbata etiam à Sanch. *c. 12. n. 33.* ergo nomine hæredis non venit Monasterium quod adhuc verius est contra Berojum de Emphytevsi constituta *pro se & filijs suis*, cum Monasterium extra casus in jure expressos non veniat nomine filij fatente itidem Sanch. *c. 15. n. 63.* ex communi.

*Resp.* Fateor hoc argumentum videri efficax, nihilominus dico ex Doctrina Krimer *n. 1790* Monasterium omnino non esse propriè hæredem Professi ob identitatem personæ, nec esse *loco Filij*, si sensus sit, quod Monasterium habeatur tanquam *filius personæ in id translatæ* per Professionem, eique succedat *ut ejus filius*, aliàs Monasterium esset in potestate Professi sui, esse tamen hoc sensu *loco Filij*, quod Monasterium titulo sui Professi stet *loco Filij* respectu ejus, respectu cujus ille Professus habetur filius. Ratio quia Professus omnia jura sua secùm defert, inter quæ etiam est, quod sit filius, ergo Monasterium etiam stare potest *loco Filij* ratione sui Professi, proinde in casu dubitationis isto titulo capit Emphytevsim in perpetuum, nisi ex aliqua causa fiat caduca.

448. Dubitatur tertiò, quamdiu duret apud Monasterium Emphytevsis, quando ab Ecclesia non revocatur, dum revocari poterat per *n. 446. vers. Resp. 2.* ad hoc dubium dico cum Sanch. *num. 58.* cum Baldo, Decio, Felin. durare ad vitam Professi, ab eo transit ad alios vocatos, si nullus restat ex vocatis, redit ad Dominium directum. Non ergo durat centum annis penes Monasterium contra Tapia *ad Auth. Ingressi* arguentem à paritate ususfructûs, qui Ecclesiæ legatus durat centum annis *L. in usufructu ff. de usufructu.* Verùm nec ususfructus nisi de novo constituatur pro Monasterio, durat annis centum, sed ad vitam Professi, ut enim valeat centenaria duratio, requiritur, ut ususfructus, aut Emphytevsis directè relinquatur Monasterio per Legatum aut donationem, &c. aut Emphytevsis nova constituatur pro Monasterio, uti *n. 41.* est insinuatum, & de hoc casu lex proximè allegata loquitur, secùs dum Monasterium indirectè succedit, uti fit, dum nomine Professi possidet *per n. 434.*

449. Dubitatur quartò an si adjecta sit conditio Emphyteusi, ne transeat ad *Ecclesiam* vel *Monasterium*, vel *Potentiorem Personam*, conditio hæc excludat Monasterium. Affirmant Palao cit. *p.* 4. *n.* 8. Haunold. *tract.* 4. *n.* 27. Et alij probantes id ex fine opponentis hanc conditionem, qui est, ne Dominus directus, ob Ecclesiæ, aut Monasterij privilegia, aut potentiam privetur obsequio debito, aut laudemium non consequatur, quæ ratio invertit distinctionem Sanch. *n.* 65. & aliorum interpretantium præfatam conditionem de translatione directa & libera in perpetuum proveniente ex voluntate possidentis, secùs de necessaria, seu quæ fit ex juris dispositione in consequentiam translationis personæ pro hujus vita, & ideò indirectè solùm transfertur in Monasterium.

*Resp.* Talem conditionem non impedire Monasterium à successione cit. Sanch. Krimer *de Feud. n.* 1778. Ratio Adversariorum est soluta *n.* 446. *versu dices secundo.* Ratio autem est quod jure illo Monasterium possideat, quo Professus possideret in sæculo, sed ille toto vitæ tempore possideret non obstante pacto, ne transeat ad Ecclesiam, aut Monasterium, ergo eodem jure possidet Monasterium.

Dubitatur quintò an dicta in decursu hujus §. etiam subsistant in Religiosis Societatis? *Resp.* Societatem ratione suorum Religiosorum non procedere secundum jus commune uti aliæ Religiones circa successiones, sed juxta suum speciale jus per *n.* 438. ubi disputatum est de fidei commisso: ibi dicta hic etiam applicanda sunt, est enim par ratio, cum Religiosi Societatis non Professi, nec formati coadjutores, sint æque capaces Emphyteusis, sicut fideicommissi, proinde omnia bona, quorum capacia sunt Monasteria ratione sui Professi retineant, & acquirere possunt Religiosi Societatis non graduati, Sanchez *num.* 61.



§. XVIII.

# §. XVIII. Articuli VI. Dissertationis II.

## *An Monasterium teneatur ad laudemium, dum ad id à Professo transit Emphyteusis, & an laudemia à prædecessoribus insoluta obligetur compensare.*

450. REsolutio partis primæ §. patebit ex generali doctrina ad quæstionem, quibus in casibus sit præstandum Domino directo laudemium, fundamentum hujus est breviter insinuatum *n. 157. vers. Resp. 3.*

Porrò fundamentum hujus est *Lex 3. cod. de jure Emphyt.* ita statuens: *Ne avaritia tanti Domini magnam molem pecuniarum propter hoc efflagitent, non amplius eis liceat pro subscriptione sua, vel depositione* (per hanc glossa ibi intelligit quamcúnque scripturam) *nisi quinquagesimam partem pretij* (quando venditur ait glossa) *vel æstimationis loci* (nempe ut glossa exponit, quando alio titulo transfertur, & hoc dicitur hodie pro renovatione dari) *qui ad aliam personam transfertur accipere.* Scilicet addit glossa à novo Emphyteuta.

Ex hac constitutione habetur, quod sit solvendum laudemium, quando locus seu fundus transfertur de persona una ad aliam venditione (idem dic si donatione aut permutatione Less. *lib. 2. c. 24. n. 57.*) porrò titulus solutionis laudemij fundatur investitura novi Emphyteutæ, seu pro possessione, quam à Domino accipit in compensationem laboris pro scriptura hujúsque subscriptione. Ex hoc.

Infertur primò ut præstetur laudemium non sufficere mutationem solius rei, sed necessaria est mutatio Emphyteutæ, & ideò cum in prima Emphyteusis concessione nulla sit mutatio Emphyteutæ, nullum debetur laudemium ita D. Christophorus Chlingensperger Professor. Ingolstad. *in Disp. Juridica de jure Emphyt. Assert. 95. n. 2.*

Infertur secundò non debet præstare laudemium hæres necessarius titulo hæreditatis rem Emphyteuticam accipiens quando plures hæredes necessarij inter se dividunt illam, aut filiæ titulo dotali datur, ita cit. Less. Ratio quod in alienatione necessaria non debeatur laudemium de jure communi, uti communis est opinio DD. utriusque juris apud Krimer *de Feud. n. 1765.* sed involuntaria, in casibus autem memoratis est alienatio necessaria, id est, ad quam lex civilis adigit, hæc autem cogit, ut hæredibus necessarijs detur hæreditas, data si nolint in communitate permanere, dividant, filiæ dotentur. Confir-

matur hæredes necessarij possunt authoritate propriâ adire hæreditatem, ergo non egent labore Domini, ut immittat in possessionem.

Infertur tertiò non deberi laudemium, quando fundus Ehytevticus redit ad venditorem resoluto contractu ex pacto redimendo, quia iste reditus est inclusus in ipsa tali venditione, consequenter est necessarius, Less. cit. Verum oppositа opinio est probabilior per *num. 157.*

Infertur quartò non solvi quando emptio, & venditio propter immodicam læsionem annullatur Authoritate legis, *L. 2. cod. de rescindenda vendit.* Quia annullatio fit ex quadam necessitate, contractúsque ejusmodi quasi tacitè imbibit dictam annullationem velut conditionem, ut perinde sint omnia, ac si nihil esset alienatum, *L. videamus 38. §. 3. ff. de usur.* cit. Chlingensperger *Assert. 97.*

Infero quintò quoties qui succedit in Emphytevsi est comprehensus in prima investitura, non tenetur ad laudemium, quia non est novus Emhytevta strainius *p. 2. in summa juris can. tit. 10. §. 2. n. 4.* Ex his.

451. *Resp.* Ad partem primam quæstionis in §. propositæ Monasterium non obligari ad laudemium durante vitâ naturali Professi, sive hic eam jam habuerit ante Professionem, sive post hanc ex paterna hæreditate sit devoluta Emphytevsis. Hoc debent omnes asserere, qui sectatores sunt illationis primæ, secundæ & quintæ. Probatur nullus hæres necessarius solvit laudemium, nec Emphytevta, nisi sit novus, nec in alienatione necessaria, sed dum Monasterium recipit Emphytevsim sui Professi, Monasterium est hæres necessarius, nempe hoc sensu, quod jure suitatis capiat Emphytevsim, siquidem jura suitatis Professus non ammittit, sed ex privilegio juris etsi sit emancipatus, succedit Patri tanquam hæres suus per *n. 49.* in fin. ergo sicut Religiosus si non fuisset, Professus laudemium non solvisset, ita Monasterium solvere non debet: quod cum non sit persona moraliter distincta à Professo, fit, ut Monasterium non sit novus Emphytevta. Demum si aliqua mutatio vel alienatio foret, ea esset necessaria, cum jus utrumque Professum ad eam adigat.

452. Objicies primò jus Styriæ à Ferdinando II. concessum 1624. die 9. Augusti, ut per totam Styriam in omni *venditione* vel *mutatione* (in Verkauffung/ oder Veränderung) pro laudemio decimus nummus exigi valeat, sed dum transit Emphytevsis à Professo ad Monasterium fit vera *mutatio*, hæc enim sita est in translatione rei Emphyteuticæ in Monasterium per Professionem.

Responsioni præmitto: quæ fuerit occasio Decreti Ferdinandæi generaliter concessi. Fuerat Cæsari exhibitum, quòd plures Emphyteutæ in vineis ob plura jis imposita onera ex vineis faciant novalia, aut vicissim, quin Emphyteutæ in venditione novalium, & novarum vinearum ab Emphytevtis præstetur laudemium, hinc Ferdinandus II. decrevit, ut deinceps novus Emphyteuta in omni *venditione*, vel *mutatione* solvat laudemium Dominis Directis: Verum cum hi nimium ampliarent vocem *mutatio*, seu Veränderung/ fuit quærela deposita apud Cæsares Ferdinan-

nandum III. & Leopoldum I. rogatíque sunt, ut declararent, quis sit sensus vocis *mutatio*, seu Veränderung præsertim respectu Erb-Fall / & successionis hæreditariæ. Huic quærelæ obviavit uterque Imperator declarando ly *mutatio* vi generalis Rescripti Ferdinandi II, quod non habeat locum primo quando Pater, aut Mater unum filium aut filiam, aut nepotem relinquit: nec secundò, quando sunt relicti plures liberi, aut nepotes, quamdiu manent in communione, seu indivisim excolunt vineam Emphyteuticam: nec tertiò dum recedunt à communione per divisionem, sed si post divisionem vinea, vel ad unum ex illis, vel ad extraneum venditione devolveretur, tunc enim, & non priùs censeretur vera mutatio, proinde tunc deberi laudemium, uti & si vinea transeat in Novale, dum alienatur, aut ex non vinea fit novale. Unde cum circa hanc terræ Emphyteuticæ mutationem E.g. vineæ in non vineam fuerint exortæ lites circa laudemium, ut has Cæsar tolleret, declaravit tunc laudemium deberi. Quapropter cum Rescripti interpretatio sit eruenda ex materia subjecta, hæcque fuerit vinea vetus mutata in Novale, aut ècontra ly *mutatio* seu Veränderung / sumitur materialiter, seu pro materia supra quam cadebat mutatio, cui prius fuit annexum onus laudemij: Circa autem ipsam mutationem, de qua loquimur *n. 150.* & sequetibus nihil est immutatum, proinde manet ejus usus secundum jus commune. Ex his.

*Resp.* Primò negando majorem, si loquitur sine exceptione, vera est ad summum, quando est mutatio libera, secùs dum est necessaria per *n. 150. vers. Infertur secundò.*

*Resp.* Secundò transmissâ majore. Distinguo minorem fit vera mutatio translativa juris Emphyteutici de persona priore ad aliam nego, est mutatio præcisè consistens in translatione juris Emphyteutici cum ipsa persona concedo: hæc autem non est vera mutatio in sensu juris communis, cum Professio non æquivaleat morti naturali in Ordine Capaci successionis, Monasterium enim repræsentat personam Professi, ècontra cum Monasterium successionis incapax nequeat repræsentare Professum, idcirco Professio hujus æquivalet morti naturali Sanch. *lib. 7. Mor. c. 3 n. 69.*

Objicies secundò si maritus donet uxori rem Emphyteuticam, est laudemium solvendum, ergo etiam in nostro casu saltem, dum post Professionem Emphyteusis pervenit ad Monasterium. Tertiò in rescripto non fictio juris, sed pura veritas debet inspici, atqui filius profitendo amittit filiationem naturalem, consequenter etiam jura. *Resp.* Ad secundum negando consequentiam, disparitas est ex pluribus capitibus. Prima uxor cum marito non est eadem juridicè persona cum Marito secùs Professus cum Monasterio. Secunda translatio vineæ in uxorem est voluntaria, necessaria verò Emphyteusis in Monasterium. Tertia Monasterium titulo sui Professi stat ut hæres suus, ut notat Krimer. *de Feud. num. 1786.*

*Resp.* Ad tertium transeat major, universaliter enim non subsistit, aut nego minorem ex dictis *n. 442.* ubi probatum est retinere omnes prærogativas, maneréque Filium naturalem æquè, ac

ante Professionem, votum enim solenne paupertatis non inducit ullam ex natura rei incapacitatem, sed jus positivum Pontificium, ubi definit Gregor. 13. in bulla *Ascendente*, uti demonstravi *num. 32.*

Objicies quartò in casu, quo Religiosus legaret vineam Monasterio, hoc teneretur ad laudemium post naturalem ejus obitum, ergo etiam quando ejusdem Professione transit ad Monastarium. *Resp.* Esse discrimen, quod in casu legati transeat facto hominis ad Monasterium, non ex juris dispositione, neque Monasterium caperet vineam ut *hæres suus*, ècontra ut per Professionem fiat Monasterij, jus disposuit, & hoc est hæres suus. An & quo sensu Monasterium sit loco filij, vide *n. 447. vers. Resp. fateor.*

453. Restat ut enodetur altera quæstio in §. proposita, an Monasterium titulo rei Emphyteuticæ debeat satisfacere pro restantijs Domino Directo, cui prædecessores non solverant laudemia. *Resp.* Cum distinctione affirmando in Emphteusi hæreditaria, secùs in non hæreditaria ex pacto, & providentia (vide *n. 153.*) ita Raiffenstuell *de locat. n. 256. & seq.* Haunold. *tract. 9. n. 574.* quia Creditores solvendi sunt ex bonis hæreditarijs, non ex bonis alio titulo, quam hæreditatis competentibus, nempe si Emphyteusis vi primæ investituræ devolvitur ad successores, tunc enim Emphyteuta nihil potest de Emphyteusi disponere, non enim est pars hæreditatis. Eandem Sententiam prius tradidit Jul. Clar. §. *Emphyteusis q.* 43.

Hinc colligo quod in casu, quo Religiosus Societatis positus in votis simplicibus legaret Emphyteuticum bonum hæreditarium Societati E. g. Collegio, hoc obligaretur ad laudemium, nam est propriè, veréque mutatio non necessaria, sed libera, cum non teneatur quidquam relinquere Societati, neque faciat unam personam cum Societate.

# §. VI. Dissertationis III. Articuli I.

## *Resolvuntur sex quæsita de quibusdam rebus, an sint impræscriptibiles.*

454. ANte Justinianum Imperatorem solæ res corporeæ poterant præscribi, secùs res incorporales, quod hæ per se naturaliter possideri non possent, nec traditionem recipere, Zöes. *ff. de usucapion n. 13.* at cum post constitutionis Justinianeas etiam incorporalia possint quasi possideri, fit etiam hæc præscribi posse *L. 2. & penult. Cod de servitut. & L. fin. cod. de præscript longi temporis.* Omnes igitur res defacto, sive corporeæ, sive incorporeæ sunt præscriptibiles exceptis, quas jus vetat præscribi

bi. Quales autem prohibeantur præscribi, recensui quasdam *à n. 178.* atque inter eas numeravi immunitatem à tributis ordinariis contra Principem. Verum punctum hoc fusiorem poscit tractationem, ac distinctionem inter jura, & res competentes Principi Supremo.

Ex rebus igitur spectantibus ad Principem aliæ sunt intrinsecæ dignitati Principis, aliæ non intrinsecæ, attamen illi reservatæ Zoës. *de usucapionib. n. 22.* Intrinsecæ sunt, quæ sunt propriæ Principis ut Principis, proinde manantes velut proprietates ex essentia statûs, & sunt ab inferioribus debitæ supremæ ejus Jurisdictioni in recognitionem subjectionis, ut obedientia, appellatio à tribunalibus inferioribus ad ejus tribunal, tributa, seu census, &c. ejusmodi res sunt inseparabiles à dignitate sine corruptione, seu imminutione dignitatis.

Non intrinsecæ, Principi tamen reservatæ, ut indictio collectarum, jus armorum, militum lectio, jus fœderum, monetæ cudendæ, officiorum distributio, legitimatio illegitimorum, aliaque Regalia, quæ recensetur *cap. super §. Præterea de V. S. & lib. 2. Feudor. tit. 56.* qui est de Regalijs.

Aliæ sunt nec intrinsecæ, nec reservatæ, quia de jure communi possunt possideri etiam à privatis, sunt tamen competentes Coronæ, Zoës. *n. 23.* ut Castra, Urbes, Prædia, Arces, Sylvæ, Vivaria, &c. seu spectant ad Patrimonium Principis, hujusque sustentationem & recognitionem Augustin. Michel *tom. 2. Theolog. Canonico-Moral. tract. 1. §. 4. p. 4. n. 11.* Aliæ debentur Principi alio titulo quam recognitionis supremi Dominij, ut ad bellum sustinendum, extruenda præsidia, pro sumptibus Aulæ.

455. Quæres igitur primò an bona Principis intrinseca possint præscribi? *Resp.* Negativè cum Laym. *lib. 3. tract. 1 c. 8. n. 6.* Molin. *de jure tract. 2. Disput. 74. Conclus. 3.* Zoës. *num. 22.* Augustin. Michel *n. 6.* Abb. *in C. cum nobis &c. ad audient. de præscript.* quia horum præscriptio corrumperet dignitatem Principis. Unde nec Principem posse concedere censet Bald. apud Molin. eo quod hoc sit eviscerare, & destruere, imperium. Addit Molin. loco cit. circa finem, cum præscriptio non sit de jure naturali, nec gentium, sed civili, consequens est præscribi non posse exemptionem à tributis, & censibus in Signum subjectionis Principi debitis, & ab alijs potestati ejus innatis seu intrinsecis, nisi vigore legum ejusdem Principis (aliæ enim leges vim nullam habere possunt respectu subditorum Principis) sed præsumi non potest, quod mens sit Principis, ut quis ex subditis manens subditus præscribat omnimodam exemptionem à potestate Principis supremi vide Molin. *Disput. 75. vers. illud etiam, &c.*

Dixi manens *subditus*, quia potest subditus temporis diuturnitate immunitatem præscribere, quâ desinat esse subditus cit. Laym. Covar. *Reg Professor. p. 2. §. 2. n. 10.* Augustin. Michel *n. 6.* potest, inquit, à subdito tandem præscribi exemptio ab omni superiore Principe sæculari, Imperatore &c. prout quam plurimi statûs olim Romano Imperio subjecti præscripserunt.

Potest idem subditus partem aliquam jurisdictionis præscribere, alioquin

quin de jure communi spectantem ad superiorem E. g. ut Capitulum in prima instantia suos Canonicos, & Officialas judicet, sed non nisi spatio 40 annorum cum titulo colorato, hoc secluso requiritur tempus immemoriale propter præsumptionem juris stantem pro Principe, Episcopo, &c. Laym. cit.

Ex dictis ad hanc quæstionem deducitur evidenter, quod adversus Pontificem nullus possit præscribere exemptionem à jurisdictione spirituali, quâ pollet erga universos fideles etiam supremos Principes Molin. *Conclus. 1.* quia nulla etsi immemorialis consuetudo, aut præscriptio currit contra Pontificem in ijs, quæ illi concessa sunt à Christo jure Divino, sed jurisdictio spiritualis in cunctos fideles est jure divino concessa Pontifici, ergo nulla currit præscriptio exemptionis à jurisdictione spirituali Pontificis

456. Quæres secundò an bona non intrinseca dignitati, reservata tamen illi præscribi possint? *Resp.* affirmativè cum titulo annis 40. sine titulo non nisi tempore immemoriali, ita Zoës. cit. *ex cap. 1. de præscript. in 6.*

Rationem reddit cit. Michel *n. 8.* quod licet reservata sint, non tamen ita, quin salvâ Principis dignitate queant concedi privilegia, huic autem æquivaleat præscriptio quadragenaria cum titulo, at sine hoc merito exigitur immemorialis, quia stat præsumptio juris in his pro Principe jusque eorum possessioni in privatis resistit *arg. C. 1. de præscript. in 6.*

457. Quæres tertiò an Coronæ, bona, seu Patrimonialia Principis ut Principis, quibus Princeps sustentatur, ejusque relaxationi inserviunt, præscribi valeant? *Resp.* Cum communi Legistarum Molin. *Conclus. 4.* cit. Michel. *n. 11.* Zoës. *n. 23.* præscribi posse, at non nisi centenariâ præscriptione *ex L. inter Divinum 20. cod. de sacrosanct. Eccles.* ubi non currit præscriptio nisi centenaria contra Ecclesias, Hospitalia, pias causas, & civitates in rebus, quæ eis hæreditate obveniunt, donantur, legantur venduntur.

Hæc Lex licet sit correcta *per Auth.* quas actiones immediatè dictæ legi subjectam quoad Ecclesias, & pias causas, non tamen civitates, quia harum non meminit, at bene Ecclesiarum, contra quas Romanâ inferiores vult valere quadragenariam, ergo quod civitates manet cum titulo (hunc requirit Molin. *D. 75. vers. quoniã*) centenaria concessa *à lege cit. 20.* ergo multo magis adversus Regnum, aut Provinciam, horumque Principes nequit præscribi quod præfata bona Coronæ Patrimonialia, quam Doctrinam cit. Michel admittit in quatuor solùm titulis, quos recenset allegata lex 20. nempe hæreditatis, legati, donationis, & emptionis, quia in his duntaxat quatuor casibus Justinianus dedit privilegium præscriptionis centenariæ. Ex hoc.

Infertur quod bona civitatum, Principum & Coronarum aliis titulis distinctis à quatuor proximè memoratis acquisita præscribantur annis 40. per *apertum textum L. 4. cod. de quadragen. præscript. cit. Michel n. 11. in fin.*

458. Quæres quartò an bona debita Principi non titulo recognitionis supremi Dominij, sed belli sustinendi extruendi præsidia, aut pro aulæ sumptibus, valeant præscribi. Affirmativa est communis apud cit. Michel *n. 7.* ejus tamen

tamen Authores discordant, an ad hanc præscriptionem necesse sit, ut præscribens fuerit interpellatus pro præstatione, & recusârit; Affirmat Alex. *in L. cum scimus Cod de agric. Bart. ibid.* negat communuis opinio cum Baulo de Castro *lib. 1. Consil. 303.* contenta, quod 40. annis Cives non solverint, etsi nulla intervenerit interpellatio specialis.

His contradicit Molin. *Disp. 75. vers. cum. tributa, &c.* ubi loquens de tributis, quæ in Reipublicæ subsidium, & ad onera illius portanda à subditis solvuntur, vult ea continò adjudicari Principi, nisi prætendens præscriptionem sufficienter probet sibi donata, aliove titulo ad se pertinere, aliàs præsumptio stat pro Principe non minus quam dum agitur de jurisdictione Civili, & Criminali: si tamen stetur in solo jure communi, non præscribuntur cum fide bona, nisi præscriptione immemoriali sine titulo, uti dicetur de præscriptione jurisdictionis civilis, & criminalis *n. 462.*

Ego distinguerem inter tributa indicta ob belli necessitates, ob præsidia munienda, & pro Aulæ sumptibus. De primis negarem præscribi, quia talia à subditis exigi non possunt cessante necessitate belli, ac reparatione præsidiorum. Affirmarem de exactis pro Aulæ sustentatione, quiæ hæc habet latitudinem sustentationis splendidæ Summæ, infimæ, & mediæ, cum Princeps posset esse contentus sustentatione media, potest adversus portionem correspondentem summo splendori præscribi cum bona fide spatio 40. annorum.

459. Quæres quintò an bona Principis ab eo ut à privato possessore possessa possint præscribi, ejusmodi est proprium patrimonium aliunde, quam ex Corona Regni aut fisco ad ipsum spectans? *Resp.* Affirmativè, quia talia bona quoad præscriptionem regulantur sicut cujusvis alterius personæ privatæ (de quibus vide *n. 182. & sequentes*) quia quoad hæc, bona talia Principum se ita habent, sicut patrimonialia Clericorum, contra qualia currit Ordinaria juris præscriptio, Michel *n. 12.* cum Baldo, Jasone, Covar. Molin. *Disput. 74. Conclus. 5.*

460. Quæres sextò an adversus Principem possit præscribi jurisdictio, merum, & mixtum Imperium? Resolutioni præmittenda est definitio jurisdictionis fori externi (de hoc enim procedit quæstio) meri & mixti Imperij, de quibus Legistæ *in libro secundo Digestorum titulo primo, qui est de jurisdictione* apud Zoes. *h. t.* sed satis confusè, uti videre potes apud eundem.

Ego in expositione jurisdictionis, meri Imperij & mixti Sequar Molin. *Tom. 4. de jur. tract. 5. Disp. 2. & 5.* in illa *n. 1.* definit jurisdictionem fori externi latè sumptam cum Bart. ex *Gloss. in L. 1. ff. de jurisdiction: omnium Judic. Quod sit potestas de publico introducta cum necessitate jurisdicendi, & æquitatis statuendæ.* Sensus est, quod sit facultas alicujus Authoritatem, & eminentiam super alios habentis ad eorum regimen, & gubernationem.

*In Disp. vero 5. à n. 1.* jurisdictionem sic definitam dividit ex Bart. & Panor. immediatè in Imperium, & in jurisdictionem presse sumptam.

Imperium *est jurisdictio, quæ exercetur officio judicis nobili*: jurisdictio verò presse talis ab jisdem defini-

tur : *Jurisdictio est, quæ exercetur Officio judicis mercenario.* Officium istud mercenarium Judicis secundum eosdem est, quod deservit actioni merè civili, hæc enim propriè actio dicitur, eâque litigatur de interesse partium, ad quam illarum pertineat illud : dicitur mercenarium officium, quia ut mercenarius operi, ita Judex mercenarius, est quasi mancipatus, seu serviens actioni civili, cujus natura est, quod Judex non motu suo proprio moveatur ad exercitium sui muneris, sed ad instantiam partium, de quarum interesse litigatur : quapropter Judex vi mercenarij Officij nullum beneficium præstare potest E. g. Ecclesiæ, aut minori concedere beneficium restitutionis in integrum, &c.

Officium judicis nobile ab jisdem dicitur esse, quod non deservit actioni præfato modo, sed per se stat, & ex illo Judex procedit aliquid faciendum aut concedendum sibi vi muneris sui competens, sive procedat ex solo suo motu, ut inquirendo in aliquod crimen, ferendo legem, &c. sive ad alicujus petitionem E. g. concedendo beneficium restitutionis in integrum emancipando, puniendo ad instantiam partis offensæ, &c. punire enim delicta Reipublicæ noxia spectat ad munus nobile Judicis, etsi pœnam urgeat pars læsa, hoc enim per accidens se habet respectu Officij nobilis cum punire possit, ac debent, etsi nemo restet.

Imperium subdividitur in merum, & in mixtum : merum allegati Doctores definiunt : *quod sit jurisdictio quæ exercetur Officio judicis nobilis publicam utilitatem respiciente* : sic est actus meri Imperij condere leges, punire delinquentes, &c. utrumque enim dirigitur in bonum commune delicto læsum, etsi simul intendatur satisfactio læsæ partis.

Mixtum Imperium ab jisdem definitur, *quod sit jurisdictio, quæ exercetur Officio Judicis nobili privatam utilitatem respiciente*, sic actus hujus sunt restituere in integrum emancipare, ætatis veniam concedere, & similia in utilitatem particularium immediatè cedentia, mediatè verò in commune bonum redundant, sicut quævis alia Judicis Officio etiam mercenario exercita. Zoël *num. 13. de jurisdictione ex L. 3. & 4.* Eodem loco enumerat mixti Imperij sequentes actus dare possessionem bonorum, in eam mittere, dare Judicem, jubere caveri, exequi suas, & à se datorum Judicum sententias, mulctare, judicatum solvi, &c.

Ex his colligitur differentia inter jurisdictionem strictè sumptam ac imperium, inter merum, & mixtum Imperium ; nam jurisdictio exercetur Officio mercenario, Imperium verò nobili: merum Imperium respicit immediatè bonum publicum, mixtum autem commodum privatorum : Dicitur autem mixtum, quod participet aliquid de Imperio, aliquid de jurisdictione strictè sumpta, de hac quatenus respicit commodum privatum, de Imperio, quatenus exercetur Officio nobili.

461. Varios gradus meri, ac mixti Imperij recenset Molin. *tract. 5. Disput. 6.* ad primum cúmque maximum gradum meri Imperij revocat sequentia jura potestatem condendi leges pro tota republica, cudendi monetam suo nomine, indicendi bellum ; cognoscen-

gnoscendi ultimo die omnibus causis per appellationem ; instituendi Tabelliones, seu personas publicas habentes Officium scribendi instrumenta super contractibus, alijsvè rebus ad faciendum super jisdem fidem ; aliósque Ministros publicos, indicendi tributa ( *Tom. 1. tract. 2. Disput. 75 vers. Cæterum cum, &c.* addit ) concedendi minoribus veniam ætatis, potestatem illegitimos, legitimandi, restituendi infami suam famam, seu restituendi infamem in statum pristinum ; remittendi pœnam delicti ; quando pars læsa non accusat, aut quando Reipublicæ expedit illam condonare, concedendi ut procedatur in aliqua causa appellatione remotâ, permittendi, ut cognoscatur de causa, quæ jam transivit in rem judicatam, atque adeo revocandi sententiam, quæ in rem judicatam transivit.

Gradus primus, & maximus mixti Imperij est ex Barr. concedere minoribus ætatis veniam, & reliqua proximè enarrata ex Molin. *Tom. 1. Disp. 75. &c.*

Ratio enumeratorum, quod spectent ad Imperium merum, aut mixtum eruitur ex definitione utriusque, & cum plura recensita pro primo gradu meri Imperij sub uno respectu respiciant immediatè utilitatem publicam, sub alio privatam, hinc recensentur spectare ad gradum primum tam meri quam mixti Imperij ; ideò autem dicuntur spectare ad gradum maximum, quia Princeps ad illa non solet alijs potestatem concedere, inquit Molin. cit. *Disp. 6. num. 2.* & ideo, uti expressit proximè allegata *Disp. 75* nulli concessa censentur sine expressione, etsi concessio esset generaliter clausulata, quâ dicatur concedi *omne merum, & mixtum Imperium alicujus loci*, proinde hæc clausula extenderet se solùm ad gradus inferiores, quos reperies apud Molin. cit. *Disp. 6.* Ratio autem est, quod sub generali concessione non comprehendantur, quæ speciali indigent concessione jurisdictionis presse sumptæ actus nullus recensetur, eo quod nullus sit soli Principi reservatus, cit. Molin. *num. 2.* Nunc procedamus ad quæstionis sextæ decisionem.

462. *Resp.* Primò adversus privatum, si quæ ex jurisdictionis meri, aut mixti Imperij gradibus spectant, præscribi possunt intra tempus à jure concessum sicut res aliæ, nempe cum titulo inter decennium inter præsentes, inter vicenium inter absentes, intra annos 30. sine titulo, Molin. cit. *Disp. 75. vers. Dictum est, &c.* contra Principem an currat in recensitis præscriptis est difficilius.

Zoës. *adff. de usucapionib. n. 24.* post Jason Covar. &c. simpliciter affirmat non tamen sine tempore immemoriali. Assertum hoc est nimis generale, ideo distinctius est respondendum.

*Resp.* Igitur secundò posse præscribi adversus Principem primò gradus primo inferiores quoad jurisdictionem tam criminalem, quam civilem meri, & mixti Imperij est communis. Secundò quædam ex spectantibus ad primum gradum meri, & mixti Imperij ut jus creandi Tabelliones, indicendi vectigalia, legitimandi & his similia, quia etsi raro, & paucis, attamen solent concedi à Principe, ergo etiam possunt præscribi. Ut autem sit in his legitima præscriptio, si adest titulus requisitur centenaria secundum Molin. At sufficere

quadragenariam constat ex *num. 457.* at sine titulo opus est immemoriali tempore, tunc enim præsumitur titulus interveniſſe in principio, sive is fuerit ex parte Principis scientia, & patientia usûs juris, quod præscribitur (quam tamen scientiam non esse probandam à præscribente) censet Molin. contra Covar. Bart. Panor. apud cit. Auguſt. Michel *num. 10.* consentientem Molinæ & contentum præsumptâ sine onere probandi. Tota responsio est Molin. cit. *Disput. 75. vers. Communis est & sequentibus duobus.*

At potestatem condendi leges pro tota republica, instantiam ultimam appellationum & his affinia, ut nomine proprio cudendi monetam, concedendi processum remotâ appellatione, revocandi sententiam, quæ transivit in rem judicatam non posse ab ullo præscribi, quia nunquam conceduntur, censet cit. Molin. vers. *Aliqua etiam, &c. & tract. 5. Disput. 6. n. 6.*

Quæ autem de jure communi Præsidibus Provinciarum alijsque Judicibus Ordinarijs concessa sunt, potes legere apud Molin. *cit. n 5.*

Obiter hic adnoto cum eodem *num. 6.* quod in casu, quo Princeps supremus Ecclesiæ Romanæ, aut alijs Particularibus Ecclesijs donat Dominium alicujus Territorij cum jurisdictione sæculari eas eximendo ab omni jurisdictione sua temporali, uti donavit Constantinus Imperator suum patrimonium Ecclesiæ Romanæ, uti fert communiter recepta opinio, similque modo est facta donatio Ecclesiæ Toletanæ, ac alijs pluribus apud Molin. eo, inquam, casu in causis criminalibus, ac civilibus ejusmodi Dominij, nec potest appellari ad Principem sæcularem ejus Provinciæ, sed ad Superiores potestates Ecclesiæ, nempe ad Ministros ab eis deputatos, ut à Ministris Episcopi ad Archi-Episcopum, ab hujus Ministris ad Pontificem. Rationem dat, quod Respublica Ecclesiæ sit distincta à rebuspulicis sæcularibus Christianis, hæque sint subordinatæ Reipublicæ Ecclesiasticæ, ergo ab hac ad illas non datur appellatio, nisi Princeps donasset Dominium reservato sibi jure meri, & mixti Imperij primi gradûs qualiter solent regulariter reservare.

§. VII.

# §. VII. Dissertationis III. Articuli I.

## *An jus Patronatûs, & jus supremæ Advocatiæ in Ecclesias adversus supremum Principem præscribi possit? & an vicissim valeat Princeps præscribere jus eligendi, aut nominandi Episcopos aliosve Rectores Ecclesiarum in suo Territorio?*

463. Suppono primò jus Patronatûs, & jus Advocatiæ aliquando sumi pro uno eodémque jure ut *in c. cum autem 24.* & Fagnan. *ibid. n. 3. c. 6. de jure patronat.* Laym. *ibi num. 1.* Hinc jus Canonicum de utroque tractat sub eodem tit. cum ad Patronum Ecclesiæ spectet eandem defendere; ideo in jure æquiparantur eo, quod utrumque jus sit Ecclesiæ beneficio concessum, utpote jus spirituale consequenter annexum *c. de jure 16. h. t.* cujus de se sunt laici incapaces.

Suppono secundò regulariter tribus modis aliquis fit Patronus; *Fundatione, Ædificatione*, & *Dotatione* Glos. recepta *in can. piæ mentis 26. 16. q. 7.* quos complexa est versu sequenti.

*Patronum faciunt dos, ædificatio, fundus.*

Dixi regulariter, quia etiam privilegio Apostolico, & præscriptione potest acquiri patronatus; Apostolico inquam, quia solus Pontifex id potest concedere *c. 2. de reb. Eccles. non alienand.* Hic titulus est à Trid. *Sess. 25. c. 9. de ref.* abolitus, nisi fuerit privilegium ex causa onerosa datum Wiest. *h. t. n. 152.* aut id habuerint personæ Imperatoriæ, aut Regiæ aut Supremæ dignitatis jura imperij habentes, aut fuerit concessus in favorem Generalium studiorum cit. Trident.

Item acquiritur præscriptione *C. querelam 24. de Elect.* non tamen sine distinctione, nam contra Patronum laicum præscribitur tempore tanto, quanto cætera ejus jura & bona Molin. *de just. Disp. 70. §. quando* contra Ecclesiasticum ab Ecclesiasticis absolvitur præscriptio lapsu 40. annorum *C. 4. 6. & 8. de præscript.*

Dixi *ab Ecclesiasticis*, quia laicus non potest præscribere patronatum contra Ecclesiam liberam, nec contra patronum Ecclesiasticum, nisi à tempore immemoriali fuerit in quasi possessione secundum Sententiam Fachin. *lib. 8. controv. c. 24. vers. licet enim.* Quia laicus est incapax quasi possessionis juris patronatûs extra casus à jure concessos proximè relatos. At melius distinguit Wiest. *n. 174.* cum Barbos. Affirmans, quod ante Trident. laicus contra patronum

num laicum potuerit præscribere non minus, quam reliqua immobilia: contra Ecclesiasticum spatio annorum 40. per cc. tria proximè Capitula, uti, & contra Ecclesiam liberam cum titulo (hoc secluso præscriptio requiritur cum tempore immemoriali) quia jus Canonicum laicos fecit capaces patronatûs tam quoad proprietatem *c. quoniam 3. & c. nobis 25. h. t.* quam quoad possessionem *cit. c. querelam, &c.* ibi: *cum constiterit., &c.* At post Trid. nequit laicus præscribere nisi lapsu temporis immemorialis, nec sic, nisi adhibitis authenticis scripturis, quibus ostendat annis 50. fuisse præsentationes continuatas cum effectu cit. Trid.

464. Quamvis per numerum priorem jus patronatûs, & jus advocatiæ promiscuè in jure Canonico sumantur, hodie tamen sumpta propriè distinguuntur; hinc antiquitus residebant in eadem persona, nunc sæpe separantur subjectis, cum non rarò ad unum spectet patronatus, ad alium jus Advocationis; Advocatus enim, nisi sit simul patronus, nequit præsentare, quare glos. *in c. 23. verb. Jus Advocationis h.t.* ait: *alij dicuntur patroni, & alij Advocati.*

Distinctio hæc desumitur ex diversis utriusque operationibus; nam præcipuus actus juris patronatûs est jus præsentandi ad vacans Beneficium Clericum idoneum; juris verò advocatiæ effectus primarius est *jus defendendi* Ecclesiam contra violentos oppressores, nempe hæreticos, aliósve fidei hostes, & curandi, ne bona Ecclesiæ dissipentur: ea enim de causa Advocati vocantur *Custodes & defensores Ecclesiarum.* Hinc bene describit Advocatiam in genere Martinus Magerus de Schönberg J. C. & Consiliarius Archiducis Leopoldi *in suo tomo de Advocatia Armata c. 5. n. 22. quod sit jus in Clientelam susceptos, eorumque bona contra vim, & injuriam defendendi sub annuo plerúmque honorario, vel jure constitutum, vel conventione, alijsve modis introductum.*

Advocatus sic sumptus à Germanis vocatur Vogt-Herr (in Cæsareis Provincijs regulariter dicitur Grund-Herrschafft / Grund-Obrigkeit Burgfried apud Beckmannum *in statutario Styriæ verbo Vogteja*) seu Dominus Jurisdictionis alicujus Territorii à jurisdictione criminali separatæ, Est ergo Vogteja se hodie jurisdictio civilis, ac inferior non se extendens ad Capitalia, sed his inferiora delicta puniendo. Vogteja verò circa Ecclesiam est *jurisdictio civilis circa Ecclesiam, & hujus bona conservanda.* Ita cit. Author. *verb. Advocatia* (definitionis hujus falsitas constabit *à n. 468.*) qui *verbo Vogteja* credit, quod Advocatia antiquitus duxerit Originem exinde, quod Domini Territoriales tam Ecclesiastici, quam laici tempore belli, aliarumve calamitatum, ut essent securiores adversus violentias, subjecerint se, suosque subditos ad tempus, vel perpetuo potentioribus (quorum armis deferentur) reservantes sibi jurisdictionem territorialem: si ad tempus vocatur Advocatia precaria, seu ad nutum revocabilis, cujusmodi nunc rara datur in his Regionibus teste Beckmann, si est perpetua, est hæreditaria, solétque vocari jus clientelare transiens ad hæredes. Si est Advocatia juncta incolatui, cliens ejus est etiem subditus Advocati, & Protecto-

rectoris sui, secùs cliens sine *incolatu*, seu Domicilio nam per Domicilium juris sortitur forum hujus, secùs cliens sine Domicilio.

465. Jurisdictio Vogteutica teste Beckmanno *Verb. Vogteja* est duplex: Superior, & Inferior. Prior est quoddam Regale Supremi Principis; posterior competit inferioribus Dominis.

Item est *Ecclesiastica*, *& Sæcularis*: prima dicitur talis, quando protegendi sunt Ecclesiastici, etsi Protector sit Sæcularis, ècontra Sæcularis est, dum clientes sunt laici, etsi Protector sit Ecclesiasticus.

Superior Advocatia jam à temporibus Coronæ Occidentalis Imperialis ad Germanos à Pontifice translatæ exordium sumpsit, fuitque hæc Imperatorum creatio in eum finem instituta, ut essent Patroni, ac Defensores Ecclesiæ Catholicæ contra hæreticos, aliosvè quoscunque fidei hostes extirpandos, &c. quapropter circa hæc, & alia Juramentum fidelitatis Imperatores Electi præstare solent Pontifici, Molin. *tom. 1. tract. 2. Disp. 24. vers. licet autem circa fin.* Suprema Advocatia Imparatoriæ dignitati ex Privilegio Pontificio annexa se extendit ad Ecclesias totius Romani Imperij, ac ditiones Cæsareas. Eadem competit Regibus, &c. in suis Regnis. His præsuppositis.

466. Respondeo primò ad quæstionem §. Patronatum prout contradistinctum ab Advocatia superiore contra quemcunque Principem etiam Imperatorem præscribi posse non minus, quam quævis alia jura, & bona Principis non ut Principis, sed ut possessoris privati (de quibus *num. 459.*) præscribi posse, quia circa hoc Principes non habent ullum speciale Privilegium, ejusmodi patronatus sunt illi, quos Principes comparant uno ex tribus modis *num. 463.* in suppositione secunda expositis.

De Advocatia suprema idem videtur dicendum, nam hæc cum sit gratia sedis Apostolicæ, non est ex rebus dignitati Principis intrinseca, nec reservata, &c,

*Resp.* Nihilominus secundò præscribi non posse, pro hac assertione nullum reperio Authorem, etsi diligenter inquisitum, eam tamen colligo ex fine supremæ Advocatiæ, favetque Laym. *in c. præterea 23. n. 1. h. t.* ubi in terminis tradit patronatum sine consensu Ecclesiæ donari posse loco Religioso, secùs jus Advocatiæ dans rationem, quod multùm interfit Ecclesiæ, qualem habeat Advocatum, seu Protectorem, secùs qualem habeat Patronum, ergo cum Pontifex Protectioni Imperatoris subjiciat Ecclesias Romani Imperij adversus hæreses, &c sine consensu Pontificis expresso, aut tacito, sive legali nequit Imperator abalienare suam universalem Advocationem, hoc ipso autem etiam præscribi à nullo potest (nisi fortè à Principe paris potentiæ) cum præscriptio nulla esse possit sine quasi possessione Advocatiæ, hæc autem nequit esse legitima, cui resistit mens Pontificis.

*Resp.* Tertiò ad quæstionem posse præscribi jus eligendi, ac nominandi Episcopos, cæterosque Ecclesiarum Cathetralium, ac Collegialium Rectores, sed non nisi præscriptione immemoriali per suppositionem secundam ita Molin. *Disp. 75. vers. quando Ecclesia, &c.* ex hoc capite justificans Regis Hispaniarum

rum etiam Collegialium in Hispanijs cæterisque annexis Provinciis, quas Ecclesias ipse erexerunt, & dotarunt; præsumitur enim justus titulus, videlicet quod vel tempore fundationis fuerit res in pactum deducta approbante Pontifice, aut postea privilegiante: huic decisioni apertè favet *Cnobis de jure patronatûs & c. generali de elect. in 6.*

467. Ex his resolvi potest non pridem proposita quæstio, an jus Patronatûs, & jus Advocatiæ competens Imperatoriæ dignitati sit abalienabile.

*Resp.* Distinguendo inter Patronatus, quos acquisivit Cæsar uno ex tribus capitibus, videlicet fundationis, aut donationis, aut ædificationis, ac ex confiscatione bonorum habentium annexum jus patronatûs. Posse abalienari primo donatione, *per c. illud 8. h. t.* aliquando cum, aliquando sine consensu Episcopi est certum: quando donatur, aut legatur res E. g. Castrum, cui est affixus patronatus, non requiritur consensus (quia donato Castro, ad cujus utpote rei temporalis donationem nullus necessarius est consensus) ergo nec propter annexum patronatum utpote accessoriè, ac indirectè donatum. Si autem jus patronatûs est personale, est subdistinguendum, an donatarius, vel legatarius sit locus pius E g. Monasterium, aut etiam Clericus nomine Ecclesiæ, aut dignitatis, aut Beneficij, vel verò sit laicus: si laicus (idem est, si donetur Clerico jure, & nomine proprio, secùs Ecclesiæ) necessariò requiritur consensus *c. unico h. t. in 6.* quia ad Episcopum pertinet judicare, an variatio patroni expediat Ecclesiæ, vel non: quæ ratio cum cesset si cedatur compatrono ideò Episcopo irrequisito fieri potest donatio, &c. Cum non mutetur patronus: in donatione, si fit loco pio mutatur quidem patronus laicus in Ecclesiasticum, sicque melioratur conditio Ecclesiæ, ideò tunc non est necessitas consensûs Episcopi Wiest. *hoc tit. n. 157. & seq.*

Similiter potest abalienare permutatione *arg. c. nemini Regum 16. q. 7.* ut si Princeps permutet bonum cum bono, quorum utrumque gaudet patronatu. Item abalienari potest *venditione* fundi, cui adhæret patronatus dummodo idcirco non augeatur pretium, sic enim foret venditio Simoniaca arg. c. cum Sæculum de jure patronat.

Demum est alienabile jus patronatûs *præscriptione per n. 463.* Tota Responsio superior approbatur etiam *in Cod. Austriaco part. 1. Lit. J. fol. 584. à §. 17.*

Loquendo autem de jure supremæ advocatiæ, proinde etiam de patronatu universali, seu in omnes Ecclesias (sic enim convertitur cum jure Advocatiæ) dico non posse alienari propter rationem datam *n. 466.* ob quam præscribi non potest transit tamen ad successores, quia ex privilegio Sedis Apost. est annexum hoc jus dignitati, proinde censetur reale, consequenter non extingui cum persona.

§. VIII.

# §. VIII. Dissertationis III. Articuli I.

## *Examinantur jura moderno tempore à Patronis, & Advocatis prætensa.*

468. OLim Ecclesiæ consensu fuit Laicis Advocatis concessa administratio bonorum Ecclesiæ cum jurisdictione civili, ac criminali ob defectum, ac impotentiam Ministrorum, post auctam potentiam, ac copiam personarum Ecclesiasticarum tota Dominatio, ac Administratio est laicis. Adempta respectu rerum Ecclesiasticarum *Can. si quis 16. q. 7.* ac sub anathemate omnem jurisdictionis usurpationem circa redditus, obventiones, &c. Tam Clericis, quam laicis parronis *etiam Imperiali aut Regali dignitate refulgentibus interdicit. c. 4. h. t.* quam pœnam extendit ad resistentes Administratori Beneficiato. Idem decernit Tridentinum *Sess. 24. c. 3. de reform.* ne se immisceant, nisi quatenus iis competit ex institutione, & fundatione, sed Episcopi ipsi hæc faciant: & *Sess. 25. c. 9. de reform.* circa med. *nullatenus* inquit, *nullavà causa vel occasione* se ingerant. ( in perceptionem proventuum ) *sed illos liberos Rectori, seu Beneficiato non obstante etiam quacunque consuetudine distribuendos dimittant.* Plura de hac re infra *num. 471. Conclusione secunda.*

Observat Raiffenstuell *h. t. n. 127.* clausulam dictam Tridentini *non obstante, &c.* derogare consuetudini introductæ ante Tridentinum, secùs consuetudini legitimè introductæ post Tridentinum. Hinc licet de jure communi administratio Gazophylacij, & aliorum bonorum nullatenus ad Patronum spectet Laym. *lib 4. tract. 1. c. 13. n. 11.* attamen eadem administratio præsertim cumulativa cum Rectore vi consuetudinis potest Tridentinum ad Patronum spectare valet.

Ex allegatis juribus liquet falsitas definitionis Beckmanni *verb. advocatia* definientis Advocationem in genere per jurisdictionem civilem in Ecclesiæ bona, ut præmisi *n. 464.* quia vi Advocatiæ nulla Advocato, sive Ecclesiastico, sive laico in Ecclesiam competit jurisdictio etiam civilis secundum allegata jura.

469. Hæc Doctrina est conformis praxi Summi Imperij Tribunalis Cameræ Spirensis, quod omnes Imperij status pro cynosura respiciunt. Ex hujus Tribunalis processu judiciario Andreas Gaill J. C. postea Cæsareæ Majestatis Consiliarius scripsit tomum practicarum observationum Rudolpho II. dicatum Anno 1578. in quo *lib. 2. observat 54.*

de jure Patronorum, & clientelarum, ita scribit *n. 1.* juspatronatus seu protectionis, vel Advocatiæ nullam patrono, seu Advocato in clientes suos tribuit jurisdictionem, & ideo clientes non efficiuntur subditi: sed clientes, subdit *n 3.* sub jurisdictione Ordinaria sui Magistratûs manet per textum *in cap. recipimus de privileg.* & *n. 6.* jus protectionis nullam tribuit subjectionem, etsi in ea re quandoque perniciosè peccetur, & jus Advocatiæ plùs æquo extendatur. Ita ille.

Consentit Tobias Baurmeister *de juridict. Lib. 2. c. 9 à n. 24.* quia, inquit, hodie ipsi Rectores Ecclesiarum etiam in temporalibus investiuntur, secùs olim, & *ideo olim* non autem *hodie* habebant Advocati Administrationem & Jurisdictionem. Hinc exempla veterum Advocatorum nihil juvant modernos Advocatos, quibus sublata est jurisdictio. Quam etiam Bald. *in L. 1. c. de excusat.* ijsdem abnuit dicens *submissio in protectionem non tribuit jurisdictionem.* Confirmatur ex Martino Magero de Schönberg. *C. 10. de jure Advocatiæ n. 385.* jus Advocatiæ, & Confœderationis æquiparantur ex communi sensu, sed jus Confœderationis nullam jurisdictionem in fœderis socios tribuit. Deinde separatorum nulla est communitas, Bald. *in L. ampliorem n. 2. c. de appellat* sed jus jurisdictionis, & jus defensionis, seu Advocatiæ sunt diversa, atque adeo separabilia.

Nulla igitur etiam civilis Jurisdictio competit Advocatis vi juris Advocatiæ in clientes, & in his subjectos contra Modernos plures Legistas, inter quos Beckmann allegatus *n. 464.* quibus non favet Bald. apud cit. Mager. *n. 453.* asserens nomine *protectionis* comprehendi plenam judisdictionem, nam loquitur non indefinitè de Advocatia, cui non competere jurisdictionem ipse loco proximè cit. negat sed de *speciali associeta incolatui*, cui concessimus jurisdictionem *n. 464.* Hujusmodi enim Advocatis attribuitur jurisdictio non jure Advocatiæ, sed jure territoriali, seu quia simul habent jurisdictionem in Territorio.

470. Dices: Nicolaus Beckmann Jurisconsultus, ac Primarius pluribus in Academijs Professor famosus olim Acatholicus, postea veritatem fidei Romanæ amplectens *in suo statutario verbo Vogteja fol. 546. ibi* darum nimbt/ &c. Advocatis sequentia jura juxta consuetudinem Provinciæ attribuit: Primò ad certas Robottas. Secundò ad steuras Land-Steur / nisi territorialis Dominus ab antiquo sibi reservaverit. Tertiò in al quibus locis jus nundinarum, id est Kirchtag Schutz. Quartò jus obsignandi & inventandi bona Parochorum mortuorum, tecta sarta conservandi, ac ex relictis bonis, si egent, reparandi. Quintò quotannis semel, aut bis exigendi Rationis in domo Parochiali ab Administratoribus ( vulgò Kirch-Propsten / und Zech-Leuthen ) ad quem actum communiter etiam invitatur patronus. Item sequentes addit *verbo cit. fol. 547.* ex Laym. *lib. 4. tract. 2. c. 13.* ( quem etiam *verbo Advocatia Fol. 11.* citavit ) Primus est installatio, seu traditio temporalium, sive introductio in bonorum possessionem vulgò vocabulo barbaro investitura in temporalibus. Secundus traditio Urbarij. Tertius Hereingebung der Re-

vers.

vers. Quartus confectio inventarij. Quintus expeditio (Abhandlung der Verlassenschafft) hæreditatis à defuncto Parocho relictæ. Sextus inspectio fabricæ. Septimus exactio Rationum. Sed actus enumerati sunt actus Advocatiæ tutelaris, ergo Advocati Tutelares habent jurisdictionem civilem in clientes Vide codicem Austriacum *parte 1. Lit. J. Fol. 583. §. 14. & 15.* ubi Patrono datur jus exigendi Rationes, expediendi hæreditatem, & installandi in temporalibus.

471. *Resp.* In Germania passim hæc in usu esse quotidie experimur. Verùm quæstio est an jure, & quo? an jure præcisè Advocatiæ, aut jure consuetudinario, aut præscriptionis, aut conventionis in limine fundationis, aut ex privilegio sedis Apostolicæ?

Jus exigendi Robottas, Steuras à subditis Territorij non nego competere Advocatiæ conjunctæ cum incolata, uti nec jus nundinarum, sed actus reliquos relatæ ad Ecclesias, horumque Rectores. De his.

Dico primò falsò imputari Laymano quod actus numero *470.* recensitos attribuat Advocatis, sed oppositum, dum *n. 11.* cum Abb & Gaill. nullam administrationem, vel jurisdictionem, vel curam Gazophylacij in illis agnoscit.

Dico secundò Advocatis vi præcisè Advocatiæ nullum actum ex præfatis competere, uti colligitur ex ejus Origine relata *n.* 464. ex ipso Beckmanno. Secundò ex juribus productis *num.* 469. quæ à jure Advocatiæ quâ tali excludunt omnem adminstrationem, & jurisdictionẽ in temporalia Ecclesiarum, horumque Rectorum, sed actus Præfati, quos Beckmann attribuit Advocatis Tutelaribus sunt actus administrationis, vel jurisdictionis, uti est manifestum. Antiquitus fuisse penes illos ejusmodi jura, non nego, eadem jura nunc perseverare non agnosco. Andjatur laudatus Martinus Magerus *C. 2. à. n. 232. usque ad n. 240. Advocatorum munus antiquitus erat Clientum suorum nomine non modo criminalem jurisdictionem, ac judicium exercere, sed etiam civilem, seu habere curam, ac administrationem rèddituum Ecclesiasticorum ne dilapidarentur, postquam tamen Episcopatuum ac Monasteriorum opes magis creverunt, ac Episcopi, aliique Præsules potentiores facti à Ludovico Pio Caroli Magni filio in Principes Imperii cooptati sunt, & de universa Jurisdictione instar Principum sæcularium investiti fuerunt, mansit quidem in usu vetus nomen Patronorum ac Advocatiæ, omnis tamen opum administratio abiit in desuetudinem cum devolutione ad præsules immunitatem ac libertatem amotis hujusmodi Administratoribus recipientes sub Paschale II. Cujus causa aureum nummum ad Lateranense Palatium quotannis mittere jussi fuerant teste Avent. Annal. Bojor lib. 6. Unde hodiernis moribus regulariter nulli Advocato, seu Protectori prætextu Advocatiæ ulla administratio, aut alia potestas in Ecclesiis ipsorum defensioni subjectis competit, sed nudum nomen defensionis retinet, nisi ex speciali conventione, fundatione, investitura, inveterata consuetudine, vel legitima præscriptione quid amplius permissum sit. Ita ille.*

472. Dico tertiò Advocatis etiam vi legitimæ consuetudinis, aut præscriptionis, nisi esset immemorialis non competere jura prætensa adducta *n. 470.* Krimer *h. t. num. 3142. junct. n. 3127.* quia ut consuetudo det jus, requiritur tacitus, seu legalis consensus Principis, cujus constitutioni opponitur, & ad præscriptionem veram est necessaria pacifica possessio, sed dispositio laicorum de bonis Ecclesiarum opponitur constitutione Papæ, qui non consentit, sed reclamat sub pœna Excommunicationis *per n. 468.* uti & alij Ecclesiastici saltem tacitè ob metum erga potentes non audentes apertè, sufficere autem tacitam reclamationem tradit Farinaceus, *Decis 146.* ibi: *tacita enim omnem interrumpit præscriptionem murmuratio: quia timens non affirmat, quando sine periculo reclamare non potest.* Et ideo talis possessio non est juridica, seu legitima sed potiùs violentia insufficiens ad præscribendum, ita Andr. de Isernia *de Feudis.* Pacianus *de probat.* Magerus *C. 10. n. 189. §. 2. extenditur.*

Consonat Ægidius Rambeck *Panopliæ libert. Ecclesiast. D. 2. c. 7. Corollar. 1.* cujus verba, cum codex sit rarus, hic adscribo, *se immiscentes, inquit, investituris quoad temporalium traditionem Principes, agunt contra immunitatem Ecclesiasticam, nisi probetur hujusmodi temporalia, quorum investituram prætendunt, transiviſſe ad Ecclesias jure Feudali ab ipsis Principibus aut aliis Dominis donata eo pacto, ut hæc temporalia tradendi prærogativa sit penes Magistratum Sæcularem, vel solùm, vel una cum aliis v. g. Episcopo loci, vel id probetur ex concordatis à sede Apostolica approbatis. In dubio autem, an præfata bona sint feudo subjecta, vel cum indicato onere, ac pacto attributa sint Ecclesiis, tollerari potest praxis investiendi per Sæculares, si hæc sit immemorialis cum titulo ad minimum colorato, cui fama communis adstipuletur in quieta possessione vel quasi, his seclusis in dubio bona Ecclesiarum censentur gaudere privilegio immunitatis C. Ecclesia S. Mariæ de Constit.*

Et ratio ulterior est, quod accipiens investituram ab aliquo recognoscat possessionem temporalium ab eo dependere, atque adeò aliquam in eo supponat jurisdictionem, quâ Advocatus ut sic caret præsertim in personas Ecclesiasticas, & bona Ecclesiastica juxta Gaill. aliósque productus *n. 409.* Hinc nec consuetudine, postquam bona Ecclesiis liberè, & absolutè sunt donata, potest acquiri jurisdictio à potestate sæculari, cum consuetudo contra libertatem Ecclesiasticam nulla sit citatus Rambeck *à n. 13.* item *à n. 20.* reprobat praxim sæcularis potestatis inventantis, & obsignantis bona Prælati, aut Parochi defuncti, cum nullo jure edoceri possit competentia ejusmodi juris obsignandi, ac inventandi, non feudali nec Avocatico ut proximè dictum, non jure territoriali, jurisdictio enim territorialis se non extendit ad Ecclesias Monasteria & horum bona.

473. Dico quartò cum conventiones legitimæ servandæ sint, omnia ea exercere possunt Advocati circa Ecclesias harumque bona, quæ sibi in limine fundationis cum consensu ordinariorum reservârunt, aut permissa sunt supremis Principibus tanquam supremis Advocatis,

vocatis, aliove titulo singularis præeminentiæ aut titulo immemorialis possessionis. Krimer *h. t. n. 3143.* Sic Fridericus Imperator fundator Episcopatûs Labacensis omnem potestatem sibi tantum, suisque hæredibus & ex certa scientia deputandis in bona Episcopi, Canonicorum, Vicariorum, & homines, vel eorum colonos specialiter reservavit exclusis Capitaneis, Vice-Dominis, & alijs quibuscunque, ita habetur in fundationis litteris §. *volumus quoque*: ac in Confirmatione Privilegiorum facta à Ferdinando II. apud Krimer *n. 3138.* attestantem se legisse in Originalibus.

Item ea quæ continentur in recessu inter Leopoldum Cæsarem, & Archiepiscopum Salisburgensem de anno 1671. 12. Novembris fundantur in immemoriali possessione Augustissimæ Austriacæ Domûs. In eodem recessu est resoluta præcedentia Comissariorum Cæsareorum præ Commissarijs Salisburgensibus etiam Ecclesiasticis, quando hi cum illis procedunt cumulativè circa temporalia propter qualitatem personæ, quam præcedentiam habebant etiam Archi-Duces Prostriæ possidentes interioris Austriæ Auvincias.

Hanc præcedentiam præcedebant Advocati etiam inferiores seu privati, sed eis non est attributa, uti Idem Augustissimus 1674. 29. Aprilis resolvit, sed ut illi in concursu commissariorum Salisburgensium cedant istis, cum hac tamen restrictione, ut si privati hi patronatus, ac Advocatiæ aliquando rediret ad Cæsarem hujus Commissarii in omnibus præcederent.

474. Resolutioni huic inferiores Ecclesiarum Advocati se subjicere nolebant, tum quod Cæsarea resolutio non sit publica, tum quòd propter suum interesse non sint auditi. Hinc supplicatum fuit eidem Augustissimo, ut in ijs etiam locis publicaretur, adstringerenturque reliqui etiam Advocati deinceps se accomodare factæ resolutioni. Exaudivit preces Cæsar, mandavitque anno 1678. 12. Novemb. per decretum missum Excelso interioris Austriæ Regimini, & Cameræ Cæsareæ, ut in Diœcesi Salisburgensi omnes privati Ecclesiarum Advocati incunctanter illi se submittant; atque adeò ejusmodi Advocati, ubi cumulativè procedent in susceptione. Rationum, &c. Nullum jus habent præcedendi in sessione, vel subscriptione respectu Ordinariorum aut Ecclesiasticorum Commissariorum. Hæc quæ ex recessu inter Cæsarem & Archiepiscopum relata sunt, legi possunt apud Krimer *h. t. à n. 3144.*

Ex dictis toto isto §. deduco eos Advocatos privatos, qui exorbitant sub prætextu Advocatiæ, exinde errare, quod indefinitè, ac universaliter trahant ad Advocatos ea, quæ Advocatis non ut sic, sed specialibus competunt ex aliquo accidente: ut contingit, quando Advocatia est associata incolatui *per n. 469.* vel si in limine fundationis jus aliquod cum consensu ordinarij fuit reservatum, aut titulo immemorialis consuetudinis, aut permissa sunt ab Ordinarijs supremis Advocatis.

475. Estne Advocato debitum honorarium? cujus mentio facta est in descriptione Advocatiæ *n. 464. Resp.* cum Martino Magero *in Advocatia Armata c. 14. à. n 179. Protectoris officium* esse gratuitum, proinde non habet jus ad

defensionis Salarium exigendum extra conventionem in fundatione ab Ordinario approbatam. Unde Bodinus apud cit. Magerum scribit quod *Principes, qui alios in clientelam suscipiunt, nihil præter dignitatis, ac veræ laudis jucundissimos fructus sperare, sed clientes opibus, & auxiliis adversus hostium copias sine mercede tueri debent.* Imò Advocati Tutelares Ecclesiarum non solùm jure communi, sed etiam speciali Pontificum, ac Imperatorum prohibentur pacisci de temporali mercede, uti probat cit. Magerus *à n. 185.* Licitum tamen esse honorarium, ubi consuetudo id introduxit, prout postmodum fuit introducta teste Krimer *n. 3136.*

Pro coronide materiæ patronatûs & Advocatiæ quæritur quid sit census emigrationis ( vulgò Abfahrt-Geld / in Austria superiori dicitur Trey-Geld / in civitatibus Romani Imperij & in Styria die Nachsteur ) an justus, à quibus, & quantus solvendus? De hoc distinctissimè agit Bechmannus *in suo statutario verbo* Abfahrt-Geld. Speidelius vocat postremum discedentis tributum introductum in tota Germania, & Provincijs laudabili usu, aut jure municipali, sive statuto, quale in multis Imperij civitatibus vigere testatur Gaill. *Lib. 2. Observat. 36. n. 10.* ut civis volens deserere civitatem, domiciliúmque alio transferre cogatur de omnibus bonis suis certam pecuniæ summam civitati pensitare.

*Resp.* Igitur ad primum cum Andrea Crusio *in jure suo* sic definiente, quod sit potestas Domino Territorij, vel Magistratui civitatis, aut loci ex inveterata consuetudine competens tum circa bona subditorum Domicilij locum mutantium, tum circa hæreditates à peregrinis hæredibus aliunde transferendas, ita ut in hisce casibus tum Domicilij locum mutantibus, quam peregrini hæredes ex bonis aliunde transferendis certam partem Territorij Domino aut Magistratui civitatis aut loci in tedhostimentum exhibitæ protectionis, & imminuti ob discessum tributi.

*Resp.* Ad secundum esse justum ob inveteratam consuetudinem in tota germania receptam: Dixi *ob consuetudinem*, quia vi præcisè clientelæ exigi non potest, ita Magerus *c. 10. n. 207.* quia imponere jus emigrationis definitum, est actus jurisdictionis, sed nulla competit Advocatis vi clientelæ præcisè jurisdictio in clientes per *num. 468. & sequent.*

*Resp.* Ad tertium esse solvendum à mutantibus domicilium, seu cum mobilibus se transferentibus ad aliud Territorium. Ab hoc onere mulierum dos est immunis à censu emigrationis per Generale Rudolphi II. Imperatoris de Anno 1597. die 8. Maij. Præterea monet Bechmannus ex Ordinatione Excelsi Regiminis Interioris Austriæ 7. Septembris, & 26. Novembris 1680. & prius ex Ordinatione Cæsarea 12. Novembris Anno 1678. nullum incolam alicujus loci Cæsarei teneri ad hunc censum, si de una Provincia hæreditaria migret in aliam, aut hæreditatem transferat. Hinc Domini territoriales etiam in Styria non possunt exigere censum emigrationis in casu, quod unus subditus se transferat ad Territorium alterius Domini,

ni; nisi ab immemoriali soleat solvi, aut ad minimum 32. annis fuerint in pacifica hujus juris possessione.

*Resp.* Ad quartum quantitatem hanc esse diversam pro diversitate locorum, nam alicubi est pars centesima, vel quinquagesima, vel decima, ut in Styria, aut etiam quinta bonorum pars: & hæc, aut pars sexta in Styria est solvenda ab efferentibus exteris bona, unde debent jurare quantitatem acceptæ hæreditatis. Ita Beckmann.

# §. V. Dissertationis III. Articuli III.

## *Plura pacta bonis moribus repugnantia expenduntur*

476. OMnia pacta pietatis læsiva, bonisque moribus contraria referuntur ad pacta de materia impossibili, quia in jure habetur pro impossibili, quidquid sine peccato nequit impleri *L. filius 15. de conditionibus Instit.* qualia sunt omnia quæ ad delinquendum sollicitant, uti sunt, quibus injuriæ, doli, & cujusvis delicti primùm, committendi actio, vel accusatio remittitur *L. si unus 27. §. de pactis.* Spes enim immunitatis est vitiorum illecebra *L. contractus 23. ff. de R. J.* Dixi *nondum deliquit*: quia post delictum licet cum eo pacisci de non instituenda actione. *L. 27. §. pacta ff. de pactis*, nisi delictum vergat in damnum publicum, &c.

Dico primò in casu duorum litigantium super jure dubio Beneficij, nullus eorum licitè jure cedere potest sub conditione, ut cessionarius cedenti solvat expensas in litem, annuamvè pensionem constituat, quia est pactio Simoniaca, cedens enim remittit jus spirituale pro temporali *C. cum pridem 4. de pact.* nisi interveniat Authoritas Papæ, qui uti habetur in parte posteriore hujus Cap. potest indulgere aliquid temporale E. g. annuam pensionem, & provisionem de novo Beneficio.

Advertit August. Michel *tom. 2. p. 2. tract. 1. §. unico n. 25.* in curia liti ejusmodi non debere dicere, quod cedat sub pacto cum collitigante inito, ut fiat expensarum in litem refusio, quia in priore *cit. c.* parte hujusmodi compositio velut pravam illicitæ pactionis speciem continens reprobatur, ut indigna confirmatione, quæ petebatur, sed præcisè supplicare debet Pontifici, qui inspectâ justâ causâ cedentis necessitate sustentationis gravibus expensis in litem pacéque per cessionem stabilita, statuet id, quod pro ejus utili expedire judicarit.

Ex eodem principio est Simoniaca resignatio Beneficij eâ lege, ut resignatarius resignanti refundat expensas ab isto factas in Beneficij consecutione, si enim

enim est Simoniaca cessio juris incerti, seu litigiosi, multo magis cessio certi juris pro temporali.

477. In resignationibus beneficialibus, aut cessione litis circa Beneficij cum reservari nequeat pensio, aut exigi expensarum refusio seclusâ Authoritate Superioris nunquam partes antecedenter posse absolutè, sed solùm conditionatè desuper tractare E. g. hoc modo: *Cedo liti, si Superior Papa, aut Episcopus mihi statuerit pensionem, aut expensarum refusionem.* Hoc sensu citatus Michel *num. 28.* intelligit Soarez *lib. 4. de Simon. c. 51. n. 20.* Hujusmodi tractatus non est tam compactatio, quam conventio de ineunda mutua concordia desistentia à litè Superiori insinuanda, ac imploratio ejus Officij, vi cujus pro stabilitate pacificationis rogatur, ut uni Beneficium, alteri pensionem adjudicet. Ad hunc effectum sufficere judicem Ordinarium, vel delegatum cui compedit de Beneficio provisio docet Pirching. *de pactis n. 20.*

478. Dico secundò nulla esse pacta privatorum juri publico derogantia *C. si diligenti 12. de foro compet.* Unde irritum est pactum volentium, ut quis in suis Ecclesijs, non alibi sepeliatur, quia est jus commune Ecclesiarum, vi cujus quisque sibi possit eligere sepulturam in quavis Ecclesia quartâ funeralium Parochiali relictâ *c. 1. de sepult.*

Dico tertiò Episcopum aliumve collatorem Beneficij extra limen fundationis invalidè pacisci cum Beneficiato de onere novo subeundo, sive personali E. g. ut deinceps plures missas celebret, sive reali obligando illum, ut annuatim certam partem fructuum pendat *c. unico* §. *omnibus, ut Ecclesiastica Beneficia sine diminutione conferantur*, & *prohibemus 7. de censib.* Trid. *Sess. 25. c. 5. de ref.* Ibi, *quapropter ratio postulat, ut illis quæ bene constituta sunt* (nempe in Beneficiorum fundatione) *contrarijs ordinationibus non detrahantur*: detraheretur autem novi oneris impositione.

479. Dico nihilominus quartò valere statutum (idem dic de consuetudine) vi cujus fiat exactio à noviter admisso in possessionem Beneficij E. g. à Canonico, ut primi anni fructus applicentur fabricæ Ecclesiæ cathetralis necessitate id exigente, aut in augmentum cultûs divini, aut in alios pios usus E. g. pro Seminarij conservatione, aut pauperum, Eleemosyna secùs in usus non pios, ita comunis cum Abb. *in cap. Jacobus 44. n. 2. & 3. de Simon.* ubi etiam reprobatur consuetudo exigendi prandium à receptis in Canonicos. Omnes ejusmodi consuetudines detestatur etiam Tridentinum *Sess. 24. c. 14. de ref.* mandans Episcopis, ut quævis hujusmodi, *quæ in pios usus non convertuntur, Simoniæ labis, aut sordidæ avaritiæ suspicionem habentis fieri non permittant*, ergo à contrario sensu nulla est suspicio labis Simoniacæ, aut sordidæ avaritiæ, dum applicatio fructuum fit in pios usus, Raiffenstuel *n. 14. ad tit. ut Ecclesiastica Beneficia, &c.*

480. Dico quintò pactum est Simoniacum, ac invalidum, dum quis ut obtineat Beneficium collatori, aut institutori Beneficij offert majorem pensionem, quàm fuerit soluta ab antecessore *C. cum Cleri in 6. de pactis.* Si Dicas textus dicit: *sic paciscentes remotâ appella-*

*pellatione taliter adeptis Ecclesiis spolietis*, ergo ipso jure collatio aut institutio non est invalida. *Resp.* Cum Pirhing *de pactis n. 20.* ly *spolietis* non sonare privationem propriè talem, talis enim supponit possessionem legitimam, sed nudam à possessione Beneficij remotionem, quia si obtinentes nullum jus, aut titulum acquirunt, cum ipso jure sit nulla collatio Glos. *in cit. cap. verbo paciscantur.*

Dico sextò pactum causidici cum cliente paciscentis de quota litis (idem est si redimit spem litis certo pretio cit. Michel *num. 34.*) non tenere *L. 20. C. mandati L. 53. ff. de pactis* Zoës. *eodem n. 20.* quia invitat ad delinquendum, præsumitur enim dolis, mendacijs usurus, ut lucratur quotam litis aut litem cujus spem redemit.

Hæ igitur leges fundantur in præsumptione, quod Advocatus non juxta causæ meritum, sed calumniosè tentabit litem ad exitum perducere. Haunold. *tract. 8. n. 245.* unde si scitur præsumptionis falsitas, & quota in pactum deducta non excedit laborem spectatâ eventûs incertitudine, pactum non censetur reprobarum, hujusque exemplum in facti contingentia adducit.

481. Dico septimò negativum de non succedendo in paternam hæreditatem, ut si filia renuntiet contenta dote congruâ, est annullatum jure communi Civili *L. fin. de suis, & cogit. hared. & L. pactum 3. C. de collat.* vi quorum renuntians filia Patri succedit ab intestato, dummodo nomine dotis accepta ad massam hæreditariam conferat cum fratribus. Ratio hujus non desumitur ex turpitudine periculi captandæ mortis (cum non inhietur viventis hæreditati, sed spes adipiscendæ præscindatur) sed quod retrahat liberos ab obsequio paterno, ad quod potiùs spe successionis provocandi, quam pactionibus avertendi, sitque tale pactum potiùs reverentiâ paternâ extortum, quàm spontaneum. Demum, & principaliter, quod nolint jura hæreditates pactis, quæ privatorum cautiones sunt, deferri, aut aufferri, sed legum authoritate cit. *L. fin in fine.* Zoës. *ad ff. de pactis n. 36.* Wiest. *eod. n. 45.* cit. Michel *n. 51.* Nihilominus de jure Canonico valida est renuntiatio jurata *cap. quamvis de pactis in 6.* Sive filia renuntians sit major, sive minor. Huic juri etiam in foro civili locus esse debet, agitur enim de materia peccati Canonistica *in C. contingat de jure jurando*, quos sequitur Zoës. *n. 37.*

Hæc simplex renuntiatio hæreditatis non excludit filiam à petitione legitimæ per *n. 113.* estque communis Legistarum sensus apud Zoës. *n. 39.* contra eundem Covar. ac cit. Michel. *n. 57.*

Dixi in conclusione *de jure communi*, quia passim in Provincijs juri huic derogatum est consuetudine contrariâ teste Mevio *part. 3. decis. 270.* apud familias illustres, quarum filiæ in favorem extantium masculorum ad conservandas familias jure consuetudinario habentur pro renuntiantibus. Jure Austriaco, & Styriaco factæ renuntiationes etiam non juratæ habentur pro validis apud Beckmann *in statutario Styriaco verbo Pactio.* Ex Doctrina hujus septimæ conclusionis.

482. Difficultas celebris nascitur Prima, an renuntiatio materna præjudicet

dicet liberis, ut etiam hi cum fratribus Matris immediatis hæredibus Patris Materni Matrem suam repræsentantibus non succedant. *Resp.* Ex dictis *n. 113.* cum distinctione, aut enim mater renuntians moritur post, aut ante patrem, si ante patrem, nihil renuntians præjudicat liberis contra Molin. *Disp. 579. n. 14.* quia renuntiatio inbibit hanc tacitam conditionem, *casu quo ad eandem sit devolvenda paterna successio* sed eâ præmortuâ successio paterna non est devoluta, ergo renuntiatio conditionata non transivit in absolutum, & ideo nequit præjudicare juri successionis, quod habent, si renutiatio non interveniisset. Econtra si renunntians supervivit Patre defuncto, præjudicat liberis renuntiatio, ne succedant avo suo Materno, quia non possunt succedere nisi jure Materno, hoc autem extinguitur præmortuo Patre Matris, quia tunc purificatur Conditio, sub qua Mater renuntiavit hæreditati nempe pro casu devolutionis hæreditatis paternæ ad matrem, atqui hæreditas fuisset devoluta ad Matrem per mortem Patris, quæ cum sequatur ante Matrem, fit renuntiatio absoluta ex conditionata, ita Zoës. *n.* 42, Michel *n. 59.*

483. Difficultas secunda an præfata renuntiatio facta in favorem Fratris, hujusque Filiorum, sit Frater decessurus sit sine mascula prole, Soror etiam pro tali eventu sit excludenda à successione, atque adeò postremus masculus de familia de immobilibus, ac avitis bonis possit testari. *Resp.* Negativè ad utrumque cum Beckmanno *in statutario Styria verbo. Pactio post med.* post Zoës. *n.* 49. quia renuntiatio non est absoluta, sed conditionata, sive restricta, videlicet ut valeat quamdiu mascula fuerit successio in vivis: hujus ratio est quod cessante causâ cesset effectus *cap. cum cessante 10. de Appellat.* in casu autem posito cessat causa renuntiationis, quæ est conservatio familiæ.

Ex ratione ad primum redditur Ratio secundi, quod cum renuntiatio fuerit conditionata duntaxat, si frater habuerit successionem masculinam, & quamdiu ea duraverit, deficiente conditione deficiat obligatio renuntiationis, proinde jus ad hæreditatem renuntiatam durante masculinâ successione, spe hujus suspensum reviviscit, dum deficit mascula series, & hujus spes, sed si reviviscit, ultimus masculus non habet potestatem testamento aut aliter disponendi de immobilibus, & aviticis bonis, sed hæc fiunt quasi fidei commissa, aut majoratus ex quasi contractu mutuo inito conditionato inter Fratrem, & Sororem renuntiantem, ut asserit cit. Beckmannus in fine.

484. Difficultas tertia, an Juramenti à filia renuntiationi hæreditatis paternæ adjecti obligatio transeat ad liberos, ita ut hi cum patruis, seu maternis fratribus, horumque sobole succedere non valeant. Communis negat apud cit. Michel *n. 60.* quia obligatio Juramenti est personalis non egrediens personam jurantis *L. 3. §. penultimo ff. de jurejurand.* Hanc rationem impugnat Molin. *Disput. 579. n. 14.* statuitque liberos etiam in casu, quo Mater est præmortua (quo casu diximus *n. 481.* liberos succedere, cum patruis, &c) non habere jus succedendi ex ijs, quæ præmisit *Disput. 150. vers. ut paucis:* Ubi duplex Juramenti genus ex parte juran-

jurantis licitum distinguit; unum, vi cujus ex parte personæ, cui juratur nullum jus acquiritur etiam post acceptatum Juramentum, quod fit, quoties Juramentum non est spontaneum, sed metu aut dolo extortum, quale est præstitum grassatori, aut à venditore dolosè inducto ad venditionem juratam rei infra infimum justum pretium, & ideò ex parte ea, quâ venditio est injusta, Emptor nullum jus acquirit. Alterum Juramenti genus est, quod etiam ex parte personæ, cui fit, nullam turpitudinem secum trahit, sic fit in casu nostro, in quo non modo filia licitè jurat se renuntiare paternæ hæreditati, sed etiam Pater licitè acceptat. Utrique Juramento commune est quod pariat obligationem principalem comparativè ad DEUM, nempe ne DEUS invocetur in testem falsi, consequenter præstare debeat juratum vi Religionis etiam, quando persona cui juratur nullum jus acquirit. At dum ex parte illius, cui fit, licitè ac justè acceptatur, ultra priorem obligationem ex parte DEI ex natura Juramenti promissorij facti homini dimanat ex parte promissorij jus ad promissum, & si datum est, non restituendi.

Ex hac diversitate Juramenti dat rationem cit. *n.* 14. *& Disp. 150. vers. His jactis fundamentis*, cur liberi in casu, quo Mater renuntians cum juramento hæreditati paternæ non succedant, videlicet quod vi Juramenti Pater acquisiverit jus nihil de substantia sua reddendi Filiæ renuntiantis, ergo neliberis ex ea relictis, cum jus majus habere non possint ad hæreditatem, quam fuerit jus Matris, quam repræsentant, sed maternum jus est penitus extinctum per Juramentum spontaneum Patri factum, & acceptatum aliàs Dominium insolidum staret penes duos.

*Resp.* Cum cit. Michel *num. 60.* etiam tunc liberos succedere, licet daretur Molinæ, quod vi juramenti adjecti renuntiatio transiverit in pactum validum, ac exinde sit jus per eam acquisitum. Ratio quia Pater [illegible] acquisivit jus propterea absolutum contra Filiam hujusque liberos, sed sub conditione futuri eventûs deferendæ hæreditatis: impossibile enim est absolutè renuntiare priusquam deferatur hæreditas, ergo renuntiatio ante delatam hæreditatem nequit esse absoluta, sed dum renuntians Mater præmoritur Patri, hæreditas non est illi delata, sed deferenda post mortem patris, ergo huic non renuntiavit absolutè: sed sub conditione, si deferatur: quæ conditio cum non sit purificata vivo Patre, hic nullum jus absolutum acquisivit adversus nepotes suos, sed his manet jus successionis salv[illegible]n.

485. Amplia Responsum licet Mater acceperit dotem aut legitimam à Patre, ita Zoës. *n.* 44. Michel *n.* 61. ut verius sustinentes contra multos excludentes à successione liberos. Ratio Ampliationis est, quod seclusâ renuntiatione juratâ dos, aut legitima per se non excludat Matrem à successione, uti patet ex toto titulo de collat. dotis, ergo nec liberos, dummodo conferant ad massam hæreditatis partem à Matre acceptam.

Sed quid juris, si actum fuerit etiam de exclusione liberorum in renuntiatione Matris, & hæc pro istis renuntiet jurando. Nullum jus succedendi

ijs competere Probatur primò quòd *per L. unum 67. §. si rem ff. de legatis 2.* quod quisque de bonis sui hæredis queat disponere, sicut de suis. Secundò hæres cum sit eadem persona cum defuncto, factum defuncti præstat, proinde stare liberè debent renuntiationi, si volunt esse hæredes parentis, secùs si nolint, tunc enim factum Matris iis non oberit, quia tunc non tam Beneficio Matris, aut Parentis renuntiantis, quam legis & suo jure veniunt, ita Zoës. *n. 45.* Michel *n. 63.*

Adde dictis pactum renuntiationis factæ à carente liberis, si eidem postea nascantur, cassari tunc habetur arg. *L. si nunquam 8. C. de revocand. donat.* ubi decisum est, quod donatio facta à carente liberis, de quibus non cogitavit, ijs postea natis potest revocari, quia nemo præsumitur suos posteros posteris alienis præponere voluisse, *L. 102. ff. de condit. & demonstrat.* cit. Michel *n. 75.* limitans ut non procedat, si renuntiatio fiat in contractu dotali à filia, tunc enim renuntiando videtur omnino cogitâsse de liberis (cum hi sint finis principalis nuptiarum) & constituenda pro his dote. Unde in simili eventu natæ ex tali filia proles nihil juris habent ad hæreditatem avi sui materni.

486. Difficultas quarta, an jurata renuntiatio per filiam profitentem in Monasterio, hoc excludat à successione post mortuum postea Patrem. Negant plures apud Zoës. *n. 43.* Michel *n. 62.* ex hac ratione, quod renuntiatio imbibat hanc conditionem, ut vidimus, *si renuntianti fuerit delata hæreditas.* Sed dum Pater moritur post Professionem filiæ renuntiantis Monachæ, hæreditas non defertur filiæ Monachæ; utpote per Professionem incapaci, sed immediatè Monasterio secundum communiorem opinionem, ergo cum Monasterium veniat loco liberorum, Monasterium non minus succedere debet, quam succederent liberi in casu mortuæ Matris ante Patrem per *n. 482.* Mater enim per Professionem, quæ antecessit obitum Patris, civiliter habetur pro mortua.

*Resp.* Non posse succedere sive dicatur, quod Monasterium immediatè, sive mediante Professo succedat, de quo vide *n. 40.*; ita cit. duo Doctores. Ratio quia cum filia Professa supponatur vivere tempore mortis paternæ, Monasterio facienti unam personam cum filia defertur hæreditas, proinde verificatur conditio, *si hæreditas deferatur*, transitque renuntiatio ex conditionata in absolutam, per quam penitus est extinctum jus successionis per *n. 482.*

Nec verum est Monasterium haberi loco filij extra casus in jure expressos, inter quos non est præsens, sicut etiam Professio non quoad omnes effectus æquiparatur morti naturali.

487. Præter pactum negativum non succedendi (de quo *à n. 481.* diximus vide *n. 442. & 447.*) datur alterum affirmativum, vi cujus unus, aut uterque paciscentium, si supervixerit, sit futurus hæres alterius.

Dico ergo octavò ejusmodi pactum à jure civili reprobari, nisi sit initum à militibus stantibus in expeditione, aut fiat causæ piæ, à jure tamen naturali non reprobatur, proinde non est contra bonos mores naturales, id est, juri naturali contrarios, de his loquitur *R. F. 58. in 6. non est obligatorium contra*

*bonos*

*bonos mores præstitum Juramentum* sed duntaxat civiles, id est, jus civile ob certas causas valorem ejusmodi pactis adimit, quin sint de re illicita, & peccaminosa, aut ex natura sua ad peccatum invitantia. Sex partes habet conclusio probo singulas.

Et quidem primam reprobari à jure civili apertè statuitur *L. pactum 15. & L. licet 19. C. de pact. L. Hæreditas 5. Cod. de pact. Convent.* adeò autem execrantur jura ejusmodi pacta, ut nec valeant in vim donationis mortis causa per clarum text *cit. L. 19.* Est hæc pars omnium: cujus redditur ratio præsertim duplex. Prima, quod adimat voluntatem testandi contra jus volens esse ambulatoriam, seu liberè revocabilem usque ad ultimum halitum *L. quod si. 4. ff. de adimend. Legat.* Secunda quod talia pacta sint periculosa utpote apta inducere votum seu ansam captandæ mortis illius, cujus hæreditas ex pacto expectatur *L. fin. §. nobis C. de pact.*

Probatur secunda de valore pacti ejusmodi militaris, nam tale allegata *Lex 19.* excipit, valet enim in vim ultimæ voluntatis non revocatum ante mortem prout liberè revocari potest pro libitu à quovis paciscentium Wiest. *de pactis n. 48. Michel n. 36.*

Probatur tertia de pacto facto super hæreditate danda piæ causæ E. g. Ecclesiæ, &c. tum quia ad pias causas nulla necessaria est dispositio, aut solennitas civilis juris, sed satis est de jure naturali, quod constet voluntas defuncti, tum quia periculum insidiandi, proinde ratio legis civilis cessat in causis pijs, ita apud cit. Michel Tyraquell. Sanch. & Laym. *lib. 3. tract. 5. c. 7. n. 3.* ubi etsi ad imitationem civilium legum sacri Canones statuunt *c. 2. de concess. prebend.* nullum Beneficium ante mortem Beneficiati alteri tribui, aut promitti velint, *ne* inquit *desiderare quis mortem proximi videatur, in cujus locum & Beneficium se credit successurum*, attamen Episcopus aut cum hujus consensu Patronus potest Beneficium promittere loco pio, seu Religioso *c. consultationibus 4. de donat.*

Probatur quarta quod jus naturale non reprobet: nam si reprobaret, id fieret, vel ideo, quod adimat libertatem testandi, vel quod det ansam captandæ mortis alienæ, vel quod sit contra bonos mores, sed ex nullo horum capite reprobat non ex primo; jus siquidem naturale non improbat, ne quis sibi sponte adimat voluntatem liberè testandi, sicut Religiosus per Professionem laudabiliter eam restringit. Non ex secundo, quia hujusmodi occasio non ex natura talis pacti, sed per accidens sequitur ex pravitate paciscentium non omnium sed pauperum, quos habendi libido obcœcat, cujus libidinis non est proxima sed remota occasio pactum, qualis non est illicita, aliàs etiam pacta militaria, donationes causa mortis, &c. forent inhonestæ. Non etiam ex capite tertio, quia non contrariantur bonis moribus naturalibus sed civilibus, si enim forent contra naturales mores, nulla consuetudine possent cohonestari, hoc autem est falsum.

488. Minor hæc suadetur primo Testimonio Zoës. *n. 34.* talem morem plerisque locis esse receptum. Mevius in praticis celeberrimus *ad titulum c. de pactis decis 9. n. 5.* ait; *hodie in Germania*

*mania vulgatum esse: ut non attentâ eâ juris civilis veteris constitutione pacta successoria valeant, nec juxta hanc amplius jus dicatur, nisi ubi receptum reperitur.*

Item familiæ Illustres in Romano Imperio habent similia pacta gentilia Germanicè Erb-Vereinigung / oder Verbrüderung / quibus Domus Illustres inter se conveniunt ut unius stirpe extinctâ ad alteram devolvantur. Gaill. *lib. 2. observ. 127.* Ejusmodi confraternitatis pactum allegat cit. Michel *n. 49.* inter Duces Saxoniæ & Landgravios Hassiæ, inter Duces Saxoniæ & Marchiones Brandeburgicos, fuitque inter Reges Hispaniæ à tempore Caroli V. usque ad Carollum II. ( in quo est linea masculina directa Regum Hispaniæ extincta ) cum Augustissima Domo Austriaca, in similibus enim cessat omnis sinistra præsumptio: quamvis reciproca pacta inita per modum successionis, quibus duo conspirant, quod alterutro sine liberis mortuo, superstes sit Hæres, non tollant turpitudinem pacti, adimántque libertatem testandi, Zoës. *n. 29.* Fachin. *Lib. 5. controv. c. 26.* Gaill. *observat. 126. n. 7.* valent tamen si bona reciprocè promittuntur non absolutè ut futura successio, sed ut pactio conditionalis, si alteruter improlis decesserit, quæ obligatio purificata conditione retrotrahitur ad tempus compactionis & pro pura habetur: Bona sic in pactum deducta statim manent obligata, seu debentur, &c. donatione omnium bonorum inter vivos, etsi eorum exactio ob adjectam conditionem suspendatur usque ad eventum mortis.

489. Hoc modo *n. 4.* reciproca inter conjuges pacta de succedendo intellecta docet valere statim adhuc durante matrimonio ex praxi quotidiana in pactis dotalibus quæ de jure firmæ sunt, habéntque speciem donationis inter vivos.

Imò fas est conjugibus se reciproco testamento hæredes mutuo scribere, & quidem etiam in eodem instrumento; est communis cum Gaill. *Observat. 117.* Jul. Clar. §. *Testamentum q. 6. n. 1. ex L. licet c. de pactis.* Tale enim pactum non est irrevocabile de successione atque adeo adhuc manet voluntas utriusque ambulatoria ad nutum revocabilis, etsi contineretur in eodem instrumento per citatos Doctores.

Vide Haunold. *tract. 9. n. 174.* ubi contra plures Recentiores ( quidquid sit de jure scripto ) ex fassione omnium. Neotericorum tradit, quod consuetudo præsertim inter conjuges justificet donationem omnium bonorum reciprocam, quâ duo sibi de præsenti, & inter vivos donant omnia sua in tempus mortis, si prior moriatur, addit ejusmodi pacta vicissitudinaria de succedendo in vim donationis valere, quin interveniat traditio, aut insinuatio ex Gloss. *in L. 19. c. de pactis*, & quidem adeo firma esse, ut nec ob gratitudinem sint revocabilia, quia cum sint mutua habent vim permutationis, Gaill. *Observ. 126. n. 4. & 5.* quam non haberent, si non fierent in vim donationis inter vivos sed simpliciter duo paciscerentur de successione reciproca in defectu liberorum, quia sunt civili jure prohibita *per n. 487.* Gaill. *n. 6. & 7.*

§. VI.

# §. VI. Dissertationis III. Articuli III.

## *De juramento, reprobatis pactis, adjecto, ejúsque effectu. Ubi an pacta jure civili nulla juramento confirmentur?*

490. COnstat *ex n. 481.* pactum negativum non succedendi in parentum hæreditatem annullari jure positivo; uti & affirmativum de hæreditate alteri relinquenda per *n. 487.* etiam reciproca pacta per *n. 488.* extra familias Illustres.

Quæstio celebris nascitur primò an juramentum adjectum renuntiationi hæreditatis, aut de scribenda certa persona in hæredem sit non modo illicitum, sed etiam invalidum, consequenter contraveniens non sit perjurus. Secundò dato ejus valore, an sit validum metu extortum gravi; aut etiam reverentiali. Tertiò si validum est, an actus jure positivo invalidi adjecto juramento convalescant, seu confirmentur, id est, licet ex se, seu excluso jurameuto nullam inducant obligationem in vi contractûs, sive ex virtute Justitiæ, eò, quod jis resistat jus, ad præsentiam tamen juramenti jus positivum jis resistens cesset, atque adeo ob reverentiam juramenti velint leges pro tunc actus valere, ac ultra obligationem Religionis parere etiam obligarionem Justitiæ. Unde quæstio hic resolvenda est generatim, an & qui contractus jure positivo irriti evadant in validos post adjectionem juramenti.

Dico primò juramentum adjectum contractibus vetitis jure positivo civili obligante sub culpa esse illicitum, ac invalidum. Ratio primi de illicito est, quod tunc jus civile etiam prohibeat juramentum sub culpa, sed juramentum prohibitum sub culpa est illicitum, ergo.

Etiam esse invalidum probatur: juramentum de actu pernicioso est invalidum, sed tale est juramentum, de quo loquitur conclusio, est enim de contractu malo saltem extrinsecè tali, supponitur enim illo firmari contractus vetitos sub culpa.

Major est Pal. *p. 3. tract. 14. de juramen. Disp. 2. p. 2. n. 2.* Sanch. *lib. 3. Dec. c. 9. n. 34.* Soarez *tom. 2. de Relig. de juram. lib. 2. c. 20. n. 4.* aliàs si valeret, foret vinculum iniquitatis, id est, obligaret ad iniquum seu illicitum quod est impossibile & contra *Can. inter catera 22. q. 4. Juramentum*, inquit, *non est institutum, ut esset vinculum iniquitatis.* Ex S. Augusti. quam

quam Regulam postea etiam Innoc. III. Secutus est *in c. quanto 18. de jure juran.*

491. Antequam progrediar ad Reliquas conclusiones s decidenda est necessaria priùs alia quæstio valdè intricata, uti mox patebit, videlicet ista, an omnis lex civilis obliget sub culpa Sanch. *lib. 3. Decal. c. 9. n. 31.* notat quod etsi omni legi civili sit commune intendere Principaliter bonum publicum, seu commune, non tamen quoad executionem, ac effectum; quædam enim pro immediata materia habent bonum privatum, id est, utilitatem privatorum, ejusmodi sunt leges, quarum materia est bonum cujusvis civis, cujusmodi sunt consulentes imperfectæ ætati ut minoribus, aut imbecilitati sexûs, ut mulieribus, ac cæteræ leges, quibus conservantur patrimonia singulorum, tales enim immediatè & principaliter fundantur in favore privatorum sibi subditorum: hujusmodi est lex statuens, ne valeat pactum filiæ, quod dote contentâ nullum quæret regressum ad paterna bona. Item lex prohibens pactum sive simplex, sive reciprocum de persona determinata in hæredem scribenda, per eam immediatè prospicitur voluntati testatoris, quam vult jus esse ambulatoriam, seu revocabilem usque ad ultimum spiritum, & nec ei, qui scribitur hæres, præbeatur occasio voti captandæ mortis testatoris. Omnes tamen etiam tales secundario respiciunt bonum commune, quatenus singulorum utilitas redundat in bonum commune, idque ex intentione legis.

Aliæ è contra leges civiles habent pro immediata materia utilitatem publicam, & secundario privatam, uti sunt disponentes de rebus publicis E. g. ne extrahantur in alienas provincias equi, arma, frumentum, pecunia, &c.

Hæc distinctio duplicis generis legum civilium colligitur *ex L. 1. §. 1. ff. de just. & jur.* eámque ante Sanch. tradidit Soarez *c. 26. n. 2.*

Tunc autem lex quoad executionem dirigitur in privatum bonum, quando ejus violatio non immediatè violat bonum commune, ut alienatio fundi dotalis, aut renuntiatio hæreditatis, &c. non enim magis Reipublicæ interest, ut fundus dotalis maneat penes maritum, quam ut transeat ad alium civem, nec ut hæreditas sit potiùs penes filiam, quam alium institutum hæredem, &c. Econtra multum interest Reipublicæ, ne extrahatur frumentum, pecunia, &c. Et ideo similium legum violatio immediatè pugnat cum communi bono. Ex hac distinctione sic explicata statuit Sanch. sequentes tres Regulas *à num. 34.* ex quibus valeat discerni, an lex civilis obliget sub culpa, aut non.

492. Omnis lex civilis, aut Principaliter tuetur bonum commune, aut non; si tuetur commune, consurgit Regula prima, quod omnes tales leges obligent in conscientia.

Si non tuetur Principaliter bonum commune, sed privatum immediatè fovet, tunc est Regula secunda, quod similis lex civilis non obliget in conscientia, seu sub peccato. Regula tertia leges cavetes damnum tertij obligant sub culpa.

Hinc Regulam *58. de R. J. in 6. Non est obligatorium contra bonos mores*

*res præstitum juramentum.* Soarez *c. 21. per totum*, & Sanch. *n. 30.* intelligunt de bonis moribus naturalibus, secùs de civilibus. Hi Doctores illos vocant bonos mores naturales, quibus contravenire est peccatum contra legem, aut naturalem, aut divinam, aut humanam, sive canonicam, sive civilem obligantem sub culpa. Per mores verò purè civiles, sive ut contradistinctos à naturalibus intelligunt eos, qui adversantur legibus civilibus sub nullo metu culpæ obligantibus.

P. Anacletus Raiffenstuell *de jurejur. à num. 95.* amplectitur sententiam Sanch. Hac suppositâ opinione.

493. Dico secundò juramentum de pactis jure civili prohibitis prohibitione principaliter respiciente publicum bonum, uti etiam de juramentis directè, ac principaliter tendentibus in damnum tertij esse non modo illicita, sed etiam invalida. Ratio est manifesta ex Regula prima & tertia *n. 492.* nemo enim potest licitè, ac validè præjudicare bono publico, aut tertij, Soarez *c. 20. n. 4.* Sanch. *n. 34.* Pal. *n. 3.* unde ejusmodi juramenta sunt contra bonos mores naturales, forèntque vinculum iniquitatis si valerent per *n. 490.*

Dixi *directè, & principaliter* tendentibus in damnum tertij, ut si fundus dotalis alienetur cum juramento, qui ex alicujus dispositione ad filios pertinet, nam si indirectè ac secundariò duntaxat juramentum præjudicet, videlicet quod tertius, etsi non habeat jus, habeat tamen spem successionis, juramentum tale non est nullum. Insuper illud præjudicium debet involvere injuriam, aut saltem culpam contra aliquam naturalem obligationem. Vide Sanch. *à num. 34.*

Ex hac conclusione sequitur irritum fore juramentum extrahendi equos, arma, frumentum, pecuniam &c. contra prohibitionem. Invalidè jurat Clericus se renuntiaturum privilegio fori, hoc enim non est concessum in favorem ullius particularis personæ, sed communitati Ecclesiasticæ, similiter nulliter jurat se non venditurum merces pretio pro jis taxato authoritate publicâ, unde vergit immediatè contra bonum publicum.

Dico tertiò juramentum emissum contra leges civiles primario consulentes bono privatorum (de quibus initio *numeri 491.*) esse licitum, ac validum stante veritate Regulæ secundæ *numeri 492.* Ratio est, quod leges conditæ principaliter in favorem privatorum non cogant, quo minùs privati queant licitè, ac validè renuntiare suo favori, dum nihil præjudicatur tertio, lex enim favorabilis alicui non intendit huic laqueum injicere, injiceret autem, si licitè, ac validè nequiret renuntiare suo favori, siquidem lex obligaret sub culpa ad non renuntiandum, quod dici non potest. Conclusio procedit, sive prohibitio dirigatur directè in actum E. g. dicendo *non fiat hic actus*, seu tale pactum, sive in personam, ut si dicatur: *Minor non ineat contractum.* Est contra Bart. apud Sanch. *num. 33.* volentem, quod dum directè lex fertur in actum non liget sub culpa & ideo valeat juramentum,ècontra sit nullum, dum lex directè fertur in personam, eo quod putet tunc legem obligare sub culpa, hanc distinctionem est amplexus etiam

Soarez *c. 20. n. 10.* verùm hæc distinctio exploditur ob rationem nostram allatam.

494. Palao *p. 3. tract. 14. de juramento, Disp. 2. p. 8. n. 6.* Regulam secundam Sanchez de qua loquitur proxima conclusio, impugnat quærens ex illo, unde constare posset, quod leges disponentes de bonis privatorum non sint immediatè in favorem boni publici. Unde *n. 7.* concludit nullum juramentum esse validum cuicúnque legi sit adversum, quia omne tale contrariatur præcepto publico, aut saltem publicæ ordinationi, & superioris juri, sed juri publico nequit derogari pactis privatorum *L. jus publicum ff. de pactis.*

Wiest, *de jurejurand. à num. 43.* amplectens eandem sententiam tres statuit Regulas; duas negativas, & unam affirmativam. Prima negativa est ipsissima Regula *58. de R. J. in 6. non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum*, quale inquit est omne continens turpitudinem, sive hæc turpitudo teneat se ex parte objecti, id est, insit rei promissæ, sive sit turpitudo contra jus naturale, aut positivum divinum vel humanum, uti etiam omne illud quod per se allicit ad delictum, ut spondens delicto committendo impunitatem.

Regula secunda negativa: juramentum est nullum promittens id, quod justâ lege etiam civili bonum privatum civium spectante prohibetur per clarum textum *L. jurisgentium 7. §. 16. ff. de pactis*, ibi: *& generaliter*, inquit, *quoties pactum à jure communi remotum est, servari hoc non oportet, &c. nec jusjurandum de hoc adductum, ne quis agat, servandum.* Et *L. non dubium 5. c. de LL.* Ibi: *ea, quæ lege fieri prohibentur, si fuerint facta non solùm inutilia, sed pro infectis etiam habeantur, &c.* Et infra: *Secundum itáque prædictam Regulam, qua ubicúnque non servari factum Lege prohibente censuimus, certum est nec stipulationem istiusmodi tenere, nec mandatum esse ullius momenti, nec Sacramentum*, id est, juramentum, uti habet glossa marginalis.

Ad hanc Regulam revocat Regulam Innocentij III, cujus memini in fin. *num. 490.*

Regula tertia affirmativa Wiestneriana ponitur ab illo *n. 59.* de juramento promissorio ex Innocent. cit. *in c. cum contingat 28. de jurejurand.* Et Bonifac. VIII. *c. licet 2. de jurejur. in 6.* videlicet: omne juramentum servandum est, quod non vergit in dispendium salutis æternæ, & in præjudicium tertij non redundat.

495. *Resp.* His tribus Regulis non everti conclusionem tertiam, nam tertia est pro nobis: quoad secundam partem, utpote consonans cum Sancheziana tertia. Per primam ejus partem confirmatur conclusio superior, cum juramentum contraveniendi legi civili sub peccato non stringenti nullum sit salutis dispendium. Reliquæ duæ negativæ non urgent: & quidem non prima, quia non est contra bonos mores naturales, sed civiles per *n. 492.* & ideo etiam negatur quod juramentum contrarium præcisè juri civili primariè condito pro favore privatorum contineat turpitudinem contra tale jus utpote non obligatorium sed duntaxat annullans actum pro-

prohibitum. Non etiam secunda, leges enim illæ, quatenus deobligant à juramenti observantia, intelligendæ sunt de materia spectante ad bonum publicum.

Ad Rationem Palao quætentis ex Sanch. unde huic constare possit, quod leges disponentes de bonis privatorum non immediatè faveant bono publico. *Resp.* Constare ex jis, quæ produxi *n. 491. vers. tunc autem.*

Negatur quod leges de quibus est sermo in conclusione tertia, contineant præceptum publicum, aut ordinationem principaliter concernentem bonum publicum, aut jus superioris obligans. De cætero libenter confiteor horum Authorum sententiam valdè esse probabilem, & fortè juri conformiorem ob textus allatos.

496. Nunc decidendum est an juramento confirmans pacta à jure reprobata sit perjurus non implens juratum, hoc enim in ultima parte quæstionis primæ *n. 490.* propositæ quæritur ad quod Respondeo.

Et dico quartò quando pacta, & contractus prohibiti sunt jure positivo obligante in conscientia, quales sunt vetiti legibus quarum primaria materia est utilitas commnnis per *n. 491.* juramento jis adjecto contraveniens jurans non est perjurus, perjurium enim est *mendacium juramento confirmatum.* S. Thom. *Secunda secundæ, q. 98. à n. 1.* sed contraveniens juramento de pactis, &c. jure positivo obligante in conscientia vetitis nullum mendacium confirmat juramento, supponitur enim esse nullum.

An idem dicendum de eo, qui contravenit juramento adjecto pactis contra jus civile, cujus proxima, & principalis materia est bonum privatorum, multùm controvertitur E. g. an testator mutans pactum juratum sit perjurus, seu violet Religionem. Negant Bart. Bald. Gomez, &c. quos in puncto juris sequitur *August. Michel tom. 2. Theolog. Canonico Moral. p. 2. tract. 1. §. unico n. 46.* quia dum jus prohibet aliquod pactum, prohibet etiam ejus firmationem, sed oppositio juramenti est præcipua pacti firmatio, ergo jus prohibens pactum, prohibet oppositionem juramenti, sed juramentum prohibitum, si fiat, est nullum, saltem in præsenti casu utpote impediens libertatem testandi, præbens ansam insidiandi vitæ pacisentis, uti docent tragica exempla, idcirco talia pacta, etsi jurata sunt exosa, bonísque moribus adversa, proinde valet hic Regula *58. de R. J. in 6.* recitata *n. 492.* & jura allegata *num. 494. in Reg. 2.*

Argumentum istud non est efficax; transeat esse prohibitum prohibitione obligante sub culpa (quod rejeci *n. 493.* consequenter illicitum mortaliter aut venialiter pro diversitate obligationis gravis, aut legis Ortæ ex lege, exinde malè concluditur esse nullum, consequenter nec à perjurio absolvi contravenientem, nam cum juramento illicito stat ejusdem valor toties, quoties ejus materia seu objectum juratum est licitum, seu nec intrinsece nec extrinsece à lege positiva id vetante vitiatum, sic illicitè jurat propter scandalum, non tamen invalidè poscens sine necessitate mutuum ab usurario cum juramento solvendi usu-

ras: jurans aut vovens se deinceps nullum juramentum, aut votum emissurum inconsulto confessario, si istius Consilio præterito juret, aut voveat rem de se licitam, etsi mortaliter peccet contra Religionem, obligatur tamen exequi juramentum, aut votum E. g. si juravit, aut vovit Eleemosynam. Pal. *p. 3. tract. 14. de juram. Disp. 2. p. 7. §. 6. n. 2.* quia juramentum, aut votum secundum emissum contra primum contrariatur illi solùm in actu jurandi, secùs ex parte objecti, seu in materia jurata: primi enim juramenti, aut voti materia est non emissio juramenti, aut voti sine Consilio Confessarij, cui secundum juramentum, aut votum immediatè contradicit, atque adeo ex parte actûs est perjurium, attamen ex parte objecti, seu materiæ, quæ est Eleemosyna, est licitum, proinde validum. Hinc patet, quo sensu verum sit illud axioma *juramentum non est vinculum iniquitatis*, sensus enim non est iste, ut pulchrè explicat Lugo *de Just. Disp. 22. num. 222.* quod juramentum non est vinculum, nec ligat, quando in se iniquum est, & cum iniquitate juratur, hoc enim est falsum ex proxime dictis, sensus ergo proprius est, quod non obliget ad iniquitatem: verbo uno, ut Scholasticè loquitur Lugo: juramentum iniquum objectivè non est validum, nec obligat, juramentum autem iniquum solùm subjectivè, sive ex parte actûs, id est, quod in se est illicitum, & turpe, validum esse potest, nec obligare, nimirum quoties ejus materia est de se licita, nec lex ulla tale juramentum annullat.

497. Dico igitur quintò violatorem Juramenti appositi pacto rejecto, à jure civili principaliter spectante privatorum utilitatem esse perjurum, ita, Zoës. *ff. de jurisdict. n. 25.* Molin. *de just. Disp. 151.* estque communior, quam in praxi sequitur cit. Michel *n. 47.* Ratio ex *n. 493.* eruitur: transgressor Juramenti validi est perjurus, sed Juramentum, de quo agimus, est validum, ergo ejus transgressor est perjurus.

498. Inquirendum nunc an Juramentum metu gravi E. g. minis, verberibus, incarceratione extortum, ac pactis adjectum sit invalidum. Quadruplex ad hanc quæstionem est Sententia apud Sanch. lib. 4. de Matrim. *Disp. 20. à n. 3.* juncto. *lib. 3. Decal. c. 11. n. 14. 15. 19.* Prima multorum affirmans, quam esse probabilem fatetur Sanch. eamque à judicibus sæcularibus practicari testatur ibi Cov. & pro ea adducit Sanch. Argumenta quinquè non contemnenda.

Secunda extremè opposita simpliciter negans invaliditatem, ita plerique cum S. Thom. *2. 2. q. 89. Art. 7.*

Tertia distinguit negans valere proinde nec obligare cadens supra contractus lege reprobatos, affirmans verò, dum cadit supra approbatos, ita plures apud Sanch. cit. *n. 19.*

Quarta distinguit inter forum externum, internumque pro externo non obligare, secùs pro interno censet Valent. *2. 2. Disp. 6. q. 7. p. 4. in medio*, quem laudens sequitur Fachin. *lib. 1. contra c. 102.* fundamentum unicum, quod hâc viâ sententiæ discrepantes conciliantur.

Pal. *p. 3. de juram. Di. 2. p. 4. à n. 5.* sustinet probabilius tale Juramentum secundum jus Civile esse nullum, validum verò

verò secundum Canonicum etsi cadat supra actus jure reprobatos.

Dico sextò præfatum Juramentum esse simpliciter validum, ita secunda Sententia, quam esse certissimam asserit cit. Sanch. utpote decisam *in C. si verò de jurejur.* ubi coactus metu gravissimo jurare renuntiationem juris sui decernit Pontifex non esse tutum in conscientia, si Juramento contraveniat, nisi vergat in dispendium æternæ salutis. Non obstat *Auth. Sacramenta puberum C. si adversus venditionem* (ubi juramenta per vim, aut metum justum etiam à majoribus extorta à puberibus nullius esse momenti jubentur) est enim intelligenda quoad contractûs firmitatem, non quoad Juramenti obligationem, Sanch. cit. *Disput. 20. n. 5.* ubi cætera Argumenta invaliditate dissolvit; quo loco ad arg. secundum etiam respondet, quod hæc Auth. sit correcta per jus Canonicum in *cit. cap. si verò & cap. verum de jurejur.*

499. Supereſt ultimum initio §. propositum, utrum contractus jure civili nulli confirmentur per Juramentum ijsdem adjectum, ita ut evadant validi, ac ultra obligationem Religionis, quam habent vi juramenti, inducant obligationem Justitiæ, seu ex vi, & natura contractûs. Plures negant ut Pont. *lib. 12. de Matrim. c. 8. n. 42. & 47.* Wiest. *de jurejur. n. 78.* Molin. *D. 150. versu: His jactis &c.* Ratio principalis est, quod Juramentum vim confirmandi contractus jure positivo nullos nec ex natura sua, sive jure naturali, nec jure positivo habeat, nullus enim juris textus hanc vim Juramento apertè tribuit; non etiam jus naturale, nam ad naturam Juramenti sufficit jurantem obligari ex Religione ad exequendum juratum, ne in vanum sit assumptum nomen DEI. Ad *Auth. Sacramenta puberum n. 498.* citatam & *ad cap. cum contingat 28. de jurejur. & cap. licet mulieres 2. eod. in 6.* Respondet Wiest. Authenticam loqui de contractibus solùm validis, etsi ob defectum ætatis restitutioni obnoxijs; jus verò Canonicum loco utroque plus non prætendit, quàm Juramenti observantiam, utpote non dispendiosi saluti æternæ, nec præjudiciosi tertio.

Respondeo & dico septimò etsi prior Sententia sit valde probabilis, oppositam tamen, quam Anno 1700. *in tract. de jure à n. 250.* amplexus sum cum Haunoldo *tract. 8. n. 135.* Laym. *lib. 4. tr. 3. c. 8. n. 1.* Wadingo *de contract. Disp. 1. dub. 8. §. 3.* Pirhing *de jurejur. n. 132.* etiamnum sequor prænotans certum esse, quod ad præsentiam Juramenti jus civile potuerit statuere alterutrum ex his duobus, nempe, vel ut etiamsi contractus habeat annexum Juramentum, attamen permaneat irritus, nullamque pariat obligationem Justitiæ, quin per hoc quidquam præjudicetur foro Ecclesiastico, ad quod spectat Juramentum, quia de hoc nihil disponit directè, sed de solo contractu quoad obligationem Justitiæ, quam non vult inesse contractui, etsi præsens sit Juramentum, vel potuit statuere, ut ad præsentiam Juramenti jus civile annullans contractus cesset, atque adeòex tunc contractus valeant. Hoc secundo modo statuisse colligitur *ex cit. Auth.* sic loquente: *Sacramenta puberum sponte facta super contractibus rerum non retractandis inviolabiliter custodiantur*: ubi glossa verb. *contractibus* ait: *etsi ipso jure non valeant*: & verbo

*custodiantur* dicit: *Scilicet ut alteri detur actio, & exceptio.* Sed non datur actio, & exceptio titulo solius Religionis, sed vi contractûs idque confirmatur, quod teste cit. Wadingo *n.* 5. hæc opinio sit in praxi totius Orbis. Consuetudo autem est optima legum interpres *cap. cum titulus 8. de consuet.* non obstat *L. non dubium C. de LL.* ubi Imperator vult contractus irritatos à L. irritos permanere etiam post Juramentum, nam cit Auth. est Friderici Imperatoris, proinde posterior dictâ lege consequenter est revocata, ita Anton Perez.

## *Corollaria ex Doctrina §. V. & VI.*

500. COrollar. 1. irritum est Juramentum Prælati de rebus suæ Ecclesiæ vi, aut aliàs injustè ablatis non repetendis: sequitur ex Regula tertia *n.* 492. Non obstat *Canon audivimus* 24. *q.* 1. Indulgens Episcopo Absolutionem à Juramento, nam hæc absolutio non est à culpa, sed est declarativa nullitatis, Soarez *lib. 2. de Jurament. c. 15. n. 8.* Ratio quia Juramentum hoc contrariatur Canonibus obligantibus in conscientia, & præjudicat Ecclesiæ.

Hinc Juramentum Regis de non revocandis donatis rebus spectantibus ad Coronam, id est, ad Regnum, & Regiam dignitatem est injustum, est enim de rebus non Regis proprijs *C. intellecto de Jurejurand.* ubi Regis Ungariæ Juramentum de non revocanda alienatione facta in Regni præjudicium est nullum, velut contra Justitiam Regno debitam Soarez *c. 30. n. 9.*

Ut ergo donatio, aut alio modo facta alienatio valeat, requiritur, ut fiat cum consensu statuum Regni totum populum præsentantium, aliàs etiam Juramentum est nullum ita August Michel *to. 2. Theolog. Canonico-Mor. 463. fol. n. 10.* ubi subdit nomine bonorum Coronæ venire tum Regni Clenodia tum bona deputata ad sustentandum Principem, & conservandum publicum statum.

501. Corollar. 2. Juramentum Prælati ante electionem præstitum, quo promittit aliquid in præjudicium dignitatis, aut potestatis, aut mensæ Episcopalis, est invalidum, ita Innoc. *3. C. sicut 27. de jurejur.* quia præjudicat dignitati contra Rubric. *ne sede vacante aliquid innovetur.* Unde tale Juramentum si factum, debet revocare *c. si quis 6. de reb. Ecclesiasticis alienand.*

Corollar. 3. nulliter juratur fidelitas præstanda alteri, quàm legitimo superiori, nam huic est præjudicioſum.

Hinc cum S. C. Macedonianum vetans dare mutuum filiisfamilias sit introductum in favorem parentum, & in odium fœneratorum, filiusfamilias nequit validè huic Beneficio renuntiare etiam jurejurando, si enim valeret, majus foret periculum insidiandi vitæ parentum, Haunold. *tract. 9. n. 318.* ex communi Legistarum & Canonistarum contra Bonacin. Lesl probabiliter stantes pro valore juramenti.

Corollar. 4. ut Juramentum contractui adjectum confirmet contractum necesse est, ut non solùm sit licitum ex par-

parte jurantis, sed etiam ut non contineat turpitudinem ex parte ejus, cui juratur, unde cum acceptio usurarum ex parte usurarij sit injusta, etsi jurans solutionem usuratum adstringatur solvere, promissio tamen illarum jure naturali irrita non validatur (aliàs usurarius acquireret jus ad eas) atque jurans eas, & non solvens foret quidem perjurus, non tamen injustus Molin. *Disp. 149. vers. quatuor & sequent.*

502. Corollar. 5. irritam esse transactionem etiam juratam circa contenta in Testamento antequam sciantur in eo contenta, quantumcunque ex eo debeatur, Haunold. *tract. 10. num. 1013.* contra Molin. quia præfata transactio annullatur principalius in favorem testatoris, ut ejus voluntas ultima non invertatur *L. 1. §. 1. ff. testamenta quemadmodum aper.* cui juramentum tale præjudicare nequit.

Corollar. 6. dispositio jurata Novitij sine licentia Episcopi, aut hujus Vicarij intra duos menses proximos ante Professionem non valet, quia juramentum hoc irritat *Trid. Sess. 25. c. de Regular.* Ab hac dispositione Tridentinum excipit Societatem JESU.

Corollar. 7. Promissionem cui causam dedit error, aut dolus circa substantiam juramento non firmari, quia juramentum est nullum, jure enim gentium omnis promissio, proinde etiam jurata imbibit hanc conditionem, *nisi me deprehendero deceptum*, ergo cum juramentum non liget ultra intentionem jurantis *c. veniens de jurejur.* Ubi intervenit error, aut dolus substantialis, non intendit se obligare, Less. *lib. 2. c. 42. num. 33.* contra Lugo *de just. Disput. 22. n. 195.* Ampliat Less. *num. 34.* etsi error aut dolus sit circa qualitatem rei promissæ, adhuc enim imbibit hanc conditionem, proinde sicut promissio est nulla, ita est nullum juramentum utpote ex intentione jurantis sequens naturam actus, super quem cadit.

Ex eodem capite *n. 35.* deobligat stare juramento puellam dolosè inductam ad renuntiandum hæreditati paternæ fratribus pro certa dote, dum hæreditas notabiliter est major, quam fuerit illi proposita.

503. Corollar. 8. sequentes contractus jure positivo irritos per juramentum confirmari apud Haunold. *tract. 8. n. 139.* Primò fundi dotalis & donationis propter nuptias alienatio. Secundò fidejussio mulieris de jure Cæsareo (obiter moneo *ex statutario Styriaco*, apud Beckmann *V. fidejussio* in Styria fidejubentem non posse priùs conveniri, nisi post excussum debitorem, prout etiam statuit jus commune, at in Austria est creditori liberum convenire fidejussorem ante debitorem. Tertiò inter virum, & uxorem, vel parentes & liberos non emancipatos. Quartò contractus minoris de re immobili, vel mobili, quæ servando servari potest sine authoritate curatoris. Quintò promissio solvendi, & non repetendi amissa ludo vetito. Sextò renuntiatio futuræ successionis in paterna hæreditate. Notandum tamen, quod licet bona paterna post pactum juratum augeantur, nequeat tamen ex jisdem existentibus tempore pacti postea auctis quidquam vi juramenti exigere, at bene ex augmento, nisi expressè huic etiam renuntiarit. Kramer *de pactis n. 2586.* Item stante illo juramento

mento non prohibetur exigere legata, aut donata ipsi sponte à patre post juratum pactum, Gaill. *lib. 2. Observ. 148. num. 11.* Septimò promissio instituendi hæredem certam personam nominatam, vel testamentum non revocandi. Octavò donatio excedens 500. solidos, id est, aureos Ungaricos sine insinuatione. Nonò donatio bonorum omnium præsentium, & futurorum.

504. Corollar. 9. actus factus contra primum juramentum de re non mala etsi sit illicitus E. g. revocatio testamenti jurejurando firmati de non revocando, non tamen est invalidus, ut patet inductione, sic promittens cum juramento non donare, si doner, valet donatio, si nihil obstet, quam juramentum non donandi: jurans non revocare Procuratorem, postea revocat, revocatio tenet. *Gloss. in c. fin. de Procuratoribus in 6. Verb. Revocatus.* Titius post promissa Bertæ sponsalia ducit validè Gajam, *c. sicut de sponsalibus.* Ratio autem est, quod juramentum primum de se non irritet actum, etsi præstetur de hoc non faciendo, valor enim hujus dependet à voluntate operantis, hujúsque potestate, cui etsi auferat libertatem moralem (quatenus imponit obligationem non faciendi) nequit tamen auferre simpliciter seu physicam potestatem volendi, & ideo etsi actus contra juramentum factus malè, ac sacrilegè fiat, non tamen invalidè, nisi irritetur, ita Soarez *de juramento lib. 2. c. 19. n. 6.* irritari autem non potest ex vi primi juramenti, etsi jurans velit, Soarez *num. 7.* quia quamvis jurando intendat non solùm sibi actum prohibere, sed etiam irritare, attamen mutatâ voluntate fit validè E. g. matrimonium, donatio, &c. ergo etiam testamentum secundum contra primum etiam juramento firmatum de irrevocabilitate fit validè, revocátque primum, nisi ex voluntate testantis Princeps voluerit illud irrevocabile esse, posse enim ex concessione Principis testamentum fieri irrevocabile, docet Zoës. *de pactis n. 35. arg. L. omnium 19. c. de testam.* Ibi: *Voluntates hominum audire volumus, non jubere* Imperator, inquit, *ne post sententiam nostram, inhibitum videatur commutationis arbitrium.* Cur lege possit irritari actus, secùs juramento, aut voluntate jurantis, dat disparitatem Soarez, quod lex sit actus superioris potentis ligare subditos non solùm ad licitè, sed etiam ad validè operandum, uti est certissimum, juramentum autem est actus operantis, qui per illud se privare non potest dominio suæ voluntatis, & ideo semper potest efficaciter revocare priùs statuta validéque, etsi illicitè operari.

§. X.

# §. X. Dissertationis III. Articuli III.

## *De acquisitione Dominii per donationem.*

### *De donatione in Communi*

505. DOnatio convertitur cum gratuita promissione quàm brevissimè attigi *n. 210. vers. Promissio alia est onerosa, &c.* Nunc amplius exponenda est natura, & præcipua divisio in donationem inter vivos, & mortuos, quæquè inter eas differentia, atque effectus.

Donatio propriè talis difinitur communiter cum Abb. ad Rubr. hanc: *rei licita nullo jure cogente ex mera liberalitate facta collatio, seu datio*: quare ad præfatam donationem requiritur primò, ut sit merè liberalis, proinde non fiat ex debito gratitudinis, aut ex causa E. g. ob præcedentia merita; idcirco donatio antidotalis, seu remuneratoria non est propriè talis, utpote jure naturali aliqualiter debita. Secundò ex parte donantis consensus, sive donandi voluntas signo externo sufficienter prodita vocali, aut scripto, aut solo facto, ut solvens scienter indebitum, aut reddens chyrographum. In dubio nemo donare præsumitur, nisi conjecturæ dubitationem tollant, Menoch. *lib. 2. de Arbitr. Judic. casu 88. n. 8.* Tertiò ex parte donatarii necessaria est acceptatio, unde ante hanc est revocabilis, & ideò facta absenti, si, antequam hic resciat donatum, donans moriatur, nihil consequitur donatarius, *L. 2. §. 6. ff. h. t.* Acceptatio fit aut verbis, aut signis, imò etiam taciturnitate donatarij præsentis, Pirhing hic *n. 7.* ex communi juxta *Reg. J. in 6. qui tacet consentire videtur*, nempe in favorabilibus contra Dec. & Tiraquell.

Ex his deduco, cum donatio facta Ecclesiæ, aliíque piæ causæ ex mente donantis non feratur in rem non creatam, cui donatur, sed in DEUM, donatio verbalis facta Ecclesiæ statim obligat, etsi Administrator Ecclesiæ ob absentiam non acceptet, quia DEUS acceptat, cui fit, Raiffenstuell *hic n. 12.* ex Engel *hic n. 21.* Abb. Molin. Sanch. contra non paucos citatos à Barbos. *lib. 2. Juris Ecclesiastici c. 13. n. 29.* ab eodem refutatos.

Deduco secundò positâ nudâ promissione & secutâ in donatario acceptatione resultat mutuus duorum consensus, seu contractus jus, & actionem pariens donatario adversus donatorem, ut rem donatam tradat, ante tamen hujus veram, aut victam traditionem non acquirit donatarius Dominium illius

506. Certum est omnes Dominium, & administrationem rerum suarum habentes donare posse *L. in re*

*mandata C. mundati*, nisi specialiter sint prohibiti. Defectu administrationis nequeunt facere donationes pupilli, minores, amentes, &c. Curatores verò & Tutores defectu Dominij, nisi pro facultatibus principalium proportionatas remuneratorias præmeritis principalis collatis *Lib. cum plures 12. § 3. ff. de Administration. tut. & L. 13. ff. eod.*

Olim donatio excedens ducentos, postea trecentos solidos, id est, aureos Ungaricos requirebat insinuationem apud judicem *L. sancimus 34. & L. penultim. in fin. ff. h. t.* jure tamen hodierno non opus est ejusmodi petitione, nisi donatio sit supra solidos 500. §. *aliæ autem 2. Instit. h. t.* nisi fiat donatio per ædium reparatione, aut captivorum redemptione, & universaliter ad causas pias ex illo 19. Matth. *vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus* (non enim subsunt dispositioni juris civilis, consequenter non obstare possunt *L. 19. c. de Eccles. & L. 34. cod. h. t.* imò hoc ipso loco est correcta: ibi: *exceptis donationibus: quæ in causas piissimas procedunt:* & *L. 36. cod. eod.*) aut à Ducibus militum fiat in rebus mobilibus *L. 36. §. 1. c. h. t.* aut à Principe *L. 34. pr. C. eod.* aut nisi sit donatio remuneratoria, Pirhing hic *n. 6.* ex communi, quia non est propriè donatio, hæc enim facienda est ex mera liberalitate *L. 1. ff. h. t.* Ex quo capite etiam subsistunt donationes ad militiam, studia, nuptias &c. *L. hoc jure §. sed & hæ ff. eod.* est tamen in remuneratorijs attendendum, ne superent merita donatarij, nam quoad excessum non valerent. cit. Pirhing & communis.

## *De donatione inter vivos.*

507. DOnatio principaliter dividitur in donationem inter vivos, & donationem inter mortuos, seu causa mortis, *pr. Instit. h. t.* hâc metu imminentis mortis, aut intuitu mortalitatis bona in alium eo animo transferuntur, ut morte secutâ ejus fiant, ita loco cit. Mors enim confirmat, ante hanc est revocabilis, propterea non est perfecta donatio, hæc siquidem transfert Dominium irrevocabiliter.

Donatio inter vivos est, quâ absque ulla mortis consideratione, ejusque mentione res confertur animo ut illico fiat irrevocabiliter accipientis, §. *Aliæ item 2. Instit. h. t.* censetur autem adhuc donatio inter vivos, etsi fiat in ea mentio mortis, quando à donante nequit revocari, proinde solùm ejus executio, secùs constitutio in tempus mortis confertur, *L. ubi ita donatur 27. ff. de donationibus mortis causa, &c.* Fachin. *Controv. 5. c. 23.* Molin. *Disput. 287. num. 16.*

Præcipua differentia inter has duas donationes est non solùm ex parte causæ (nam mortis causa inducitur periculo, vel metu imminentis mortis, vel mortalitatis cogitatu) sed etiam quoad effectum, nisi enim morte confirmetur donatio mortis causa, potest revocari, & ideò accedit proximè ad ultimas voluntates, & legatis ferè connumeratur, §. 1. *verb. Hæ mortis Instit. h. t.* Secùs donatio inter vivos. Dixi *ferè* quia legatum solius testatoris voluntate, constat, nequit tamen legem sibi imponere de legato

gato non revocando *L. 22. ff. de legatis, &c. 3.* secùs de donatione.

In dubio an donatio sit mortis causa, aut inter vivos, præsumitur esse facta inter vivos, licet fiat à constituto in Articulo mortis, si donet, nullâ factâ mortis mentione *L. seja 42. §. 1. ff. de mort.* causa donationibus. Bart. Jason. Cler. §. *donatio q. 4. n. 3.* Haunold. *tract. 7. n. 451. Wiest. hic n. 10.* contra aliquos. Ratio, quia in dubio præsumitur pro verborum proprietate, donec oppositum demonstretur: proprietas autem verbi donatio significat donationem absolutam, & simplicem irrevocabiliter juris translativam, ut dictum.

508. Donatio inter vivos potest fieri, vel sub conditione suspensiva, quo casu non transfert Dominium nec obligat ante conditionis eventum, ut dono centum, si duxerit Cajam, aut sub modo, seu sub onere adjecto, ut dono prædium Titio, ut alat sejam (hæc dicitur donatio modalis, valetque statim, revocabilis tamen est, si donatarius non præstet onus. *L. 1. cod. de donationibus sub modo*) aut ad certum diem v.g. ut sit donatarij post annum, aut *ob causam* (hæc dicitur causalis) ut dono Petro equum ad bellum, aut Bibliothecam *ad studia*, aut prædium *ad susceptionem ordinis*, aut *ad nuptias*, vel *absolutè*, seu *purè*, seu *simpliciter*,: hæc est rigorosè, & propriè, perfectequè donatio, fit enim ex mera liberalitate, secùs facta ex causa.

Quare in materia statuti nomine donationis venit perfecta, seu simplex, secùs imperfecta. Tuschus *Pract. conclus. tom. 2. conclus. 621. n. 20.* unde in statuto prohibente minorem alienare aut *donare sub quacunquè forma* sine solennitate non comprehendit donationem causa mortis. cit. Tuschus *n. 21.* subdens *n. 23. & 24.* renuntiationem pignoris, & repudiationem hæreditatis, donationem non esse nempe propriè, qualis duntaxat est absoluta post acceptationem. Ut valeat inter vivos facta ultra 500. solidos, seu aureos, opus est insinuatione per *n. 294.* extra casus ibi expressos. Est autem insinuatio juxta Less. *lib. 2. C. 18. n. 97.* Molin. *Disput 278. simplex suæ mentis declaratio, quâ quis declarat judici se liberè donare huic tantum & tantùm, tabellionéque redigente id in actu.* Nullis est opus testibus, nec requiritur causæ cognitio, vel facultas à Judice, vel quod fiat in loco judicij, sed sufficiat præsentia judicis, & quod donator per procuratorem sit præsens. Excedens 500. solidos est invalida sine insinuatione quoad excessum tantum, secùs quoad reliquam summam, *L. Jancimus 34. c. h. t.* Pirhing *n. 5.* addens *n. 7.* ex cit. Less. *n. 99.* Laym. *lib. 3. tr. 4. c. 12. n. 10.* tutâ conscientiâ posse retineri etiam excessum usque ad hujus repetitionem à donatore, vel *hujus hærede*, vel à judice per sententiam, quia donatio excessiva non est simpliciter irritata à jure civili, sed irritanda, & ita usu esse receptum testatur Molina *n. 12.*

509. Donatio facta inter vivos ultra Summam legalem sine insinuatione adjecto Juramento de ea non revocanda confirmatur in utroque foro secundum communiorem apud Gaill. *lib. 2. observat. 39. n. 12.* contra Bald. & plures Juristas, quia absque dispendio animæ servari potest consequenter secundum Canones est species Religionis: non enim

est contra bonos mores juris Canonici, secundum quos illud contra bonos mores esse intelligitur, cujus observatio nutrit peccatum, videlicet dum præstatur super eo, quod continet turpitudinem, aut principaliter contra utilitatem publicam. *Cap. si diligenti, §. fin. de foro competent.* aut contra legem, quæ perpetuam causam prohibitionis habet; nihil horum est in Juramento super donatione excessiva non revocanda: est enim de rebus non concernentibus animæ salutem; necessitas insinuationis non respicit principaliter utilitatem publicam, sed solùm in consequentiam & secundario, ne quis re suâ abutatur, principaliter autem est favor donantium, ne priventur suis sumptibus domesticorum fraudibus, *L. data 27. c. h. t.* juri autem privato potest Juramento renuntiari: Non etiam ejusmodi donatio jurata est legibus pœnitus inimica, cum non sit perpetuo prohibita, sed multis in casibus etiam jure civili absque insinuatione tenet *per n.* 294. Econtra Pater Juramento non potest renuntiare donationi inofficiosæ, prohibitio enim hujus concernit favorem non solius Patris, sed etiam liberorum, & ideo Juramentum in horum præjudicium non valet. Gaill. *lib. 1. observat. 40. n. 11.* & sequent. ex communi, & benigniore opinione *text. C. quamvis de pactis in 6.*

Negligenda hic non est observatio Gaill. *cit. observat. 39. à n. 1.* quod 72. aurei (quales erant tempore Justiniani, uti insinuat Clar. *verb donatio q. 15.*) faciant unam libram auri. *L. quotiescunque C. de susceptorib. & arcan. lib. 10.* Gloss. ibid. verb. *aut auri.* De his aureis loquuntur leges requirentes insinuationem in donatione ultra 500. solidos, quapropter si aurei sint minoris valoris & variati in bonitate intrinseca, ita ut 72. non conficiant libram, reducendi sunt ad valorem legalem, sive ad aureos legales, proinde si in donationis loco 72. non faciant libram, tenebit donatio excedens 500. aureos, Jason *in L. 2. §. Ex his n. 16. ff. de V. O.* testans se ita in facto obtinuisse, asserensque in *L. fin. ff. de in jus vocando* quod considerato valore legali hodie donatio ultra septingentos valere possit absque insinuatione. Ejusmodi computatio in judicijs est attendenda, sio non obstet consuetudo contraria, Gaill. *observ. 39. n. 4.* dicens Coloniæ milleducentos, Acquisgrani ultra duo millia aureorum monetæ currentis citra insinuationem subsistere.

510. Difficultas potissima est decidenda, an donatio gratuita omnium bonorum tam præsentium quam futurorum inter vivos in causam non piam spectato jure civili sit invalida. Dixi primò *gratuita*, quia donatio talis causa mortis, utpote non adimens facultatem testandi ex recepta sententia cum Clar. § *Donatio q. 19. n. 7.* Mol. *Disp. 280. num. 18.* contra Anton. Gomez valet. Et cum pariter non sit gratuita donatio, quæ fit ex causa onerosa, puta matrimonii, vel transactionis, aut alia simili, etiam de bonis omnibus præfatis valida sustinetur à Molin *n.* 19. ex aliis.

Dixi secundò *in causam non piam*, nam si sit piæ causæ, ejus valorem approbat communis apud Engel *hic n. 8.* Clar. *q.* 20 *n.* 3. non audens ab ea recedere judicando aut consulendo propter favorem Ecclesiæ, etsi fateatur oppositum tenentes esse magnæ authoritatis, eos-

eosque in puncto juris verius loqui: sed cum jus civile nequeat Ecclesijs præjudicare, non potuit irritare ejusmodi donationem.

Dixi tertiò *jure civili*, quia jure naturali esse licitam dubitari non potest, si enim quis potest se ipsum Ecclesiæ dicare, à fortiori sua bona tam præsentia, quam futura, uti arguit cit. Clar.

Nunc ad difficultatem communis Legist. opinio affect. cum Claro. *q.* 19. *n.* 1. potissimùm exinde, quod adimat testandi facultatem, quam leges detestantur. Negant non pauci esse reprobatam, nec sufficientem colligi rationem fuisse reprobandam, ita Haunold. *tract.* 9. *n.* 167. Cum Baldo & multis Legist. non enim est contra bonos mores Canonicos, aliàs non esset licitum se reddere intestabilem per vota, & Dominii omnis incapacem, deinde etiam juxta plerosque Adversarios valet ad pias causas, ergo nullum continet peccatum. Hinc sequitur quod etsi foret invalida jure positivo, adhuc tamen firmari posset Juramento, Haunold. *n.* 165. Mol. *n.* 4. contra Clar. *q.* 20. *n.* 1. post Bart. & alios communiter Legistas. Si enim in se donatio talis non est peccatum, Juramentum supra eam cadens nequit esse irritum, esto leges civiles donationem irritarent, nisi eædem etiam ipsum Juramentum irritent, quod hic esse factum ostendi non potest:

Respondeo ad difficultatem retentâ etiam opinione affirmativâ adhuc valere donationem bonorum omnium præsentium, & futurorum tam corporalium, quàm incorporalium quoad proprietatem retento usufructu, ita Haun. *n.* 166. Molin. *n.* 12. contra Dec. plures alios ab ijs cit. quia si excipitur ususfructus, seu jus percipiendi fructus, ipsi fructus censentur non esse donati, ergo donans retinet jus de ijs sustentationi superfluis disponendi per ultimam voluntatem, proinde non censetur adempta facultas testandi, cessatque Capitalis ratio, ob quam Adversarij credunt cassatam esse à legibus donationem.

Porrò conclusio supponit quod usufructus reservatus sit tantus, ut non modo sufficiat pro donantis sustentatione, sed etiam superfluat, & quidem non modice (aliàs non posset censeri moraliter facultas testandi) Clar. *q.* 19. *n.* 8. hanc quantitatem vult ad minimum excedere debere vigesimam partem bonorum donantis, de quo vide Molin. *num.* 14. ubi alij id arbitrio prudentis judicis relinquunt, alij aliter determinant summam.

§ 11. Quæres primò an nomine omnium bonorum comprehendantur actiones seu jura, & nomina, seu debita; item bona futura? Secundò an quis validè donet alteri suam hæreditatem? Tertiò an donatio reciproca valeat inter vivos? id est, talis, quâ sibi duo de præsenti inter vivos mutuo donant omnia sua in mortis tempus, si prior moriatur: talis donatio est conditionata proinde facit hunc sensum: omniâ mea bona dono tibi nunc, ut incipiant esse tua à puncto mortis, si antè te morior.

*Resp.* Ad primum actiones, & debita verius comprehendi nomine bonorum omnium, Haunold. *num.* 171. ex communi contra Jason. Anton. Berez ex text *L.* 49. *ff. de V. S.* secùs nomine bonorum mobilium & immobilium, *L.* 15.

*L. 15. §. in venditione*, ubi res mobiles contradistinguuntur à juribus,

Item est communior opinio bona futura non comprehendi nomine omnium bonorum, Haunold *n. 173.* contra Hunnium innitentem *L. fin. C. quæ res pignor. obligar.* in qua elucidatur jus generalis hypothecæ extendi ad res etiam futuras. Respondet bene Haunold. esse disparitatem, quod hypotheca generalis constituta intelligenda sit conformiter juribus, & mori recepto, hic autem solet constituere in bonis tam præsentibus, quam futuris, consequenter intentio etiam fertur in futura, secùs in voluntate donandi omnia.

Respondeo ad secundùm negativè cum Molin. *num. 17.* post Clar. *q. 19. n. 6.* contra aliquos, quia hæreditas comprehendit omnia bona, quæ reperiuntur tempore mortis, ergo donans hæreditatem de nulla potest testari contra jura, si supponatur vera sententia relata *n. præcedente vers. Nunc, &c.*

Respondeo ad terrium cum Haun. *num. 174.* Gaill. *lib. 2. obser. 126. & sequent.* & consuetudine recepta in Germania, Cameraque Imperiali affirmativè contra quosdam se fundantes *in L. 19. C. de pactis, &c.* solis militibus permittente ejusmodi pacta reciproca, seu viciſſitudinaria. Ratio est, quod mutuum pactum tollat sinistram suspicionem optandæ mortis: imo nec est pactum futuræ successionis, non enim promittuntur bona ut futura successio, sed est obligatio conditionalis ut est dictum in quæstione, quæ obligatio, dum evenit conditio retrotahitur ad tempus conventionis, & pro pura habetur. Addit Gaill. *observ. 126. n. 4.* ad hanc donationem non opus esse insinuatione, nec traditione: & *numero quinto* esse irrevocabilem etiam ob ingratitudinem, quia habent talia pacta vim permutationis.

## *De quibusdam specialibus inter vivos donationibus.*

512. QUæres primò, an & quantum donare possunt Episcopi, cæterisque Prælati sæculares de redditibus, & bonis Ecclesiæ. *Resp.* Primò posse eos facere donationes liberales modicas, hoc enim spectat ad liberam rerum Ecclesiæ administrationem; fertque universalis consuetudo approbata *c. 3. h. t.* imò procedit, etsi non esset consuetudo donandi modica *glos. in dictum Cap. fin.* Pirhing *n. 14.*

Respondeo secundò non posse liberaliter donare immobilia, aut pretiosa mobilia, aut aliàs in magna quantitate, estque ejusmodi donatio inconsultis Canonicis, irrita, *c. 2. h. t. & c. 3. eod.* neque ulla consuetudo potest rectificare illam, nam *dicto c. 3.* approbat solùm consuetudinem, quæ Sacris Canonibus non obstat, hæc autem obstat. Hinc sunt in gravi culpæ reatu, Episcopi sine causa à jure approbata ex redditibus, bonisque Ecclesiæ consanguineos aliosve sanginantes, Raiffenstuell. *num. 39.*

Respondeo tertiò eosdem posse donationes remuneratorias etiam magnas facere ob merita à donatariis erga Ecclesiam, aut erga ipsos Prælatos præstita, *arg. c. 5. h. tit.* approbantis remunerationis causa factam infeudationem non minus quàm donationem veri-

tam

tam in *Extrāvāg. Ambitioſæ de reb. Eccleſ. non alienand. & c. 2. de Feudis:* jus enim prohibet donationes duntaxat gratuitas per dicta *à n.* 293. Concluſio eſt Abb. in *c. 3. n. 3. & in c. 5. n. 6. h. t.* Pirhing. *à. n.* 10. Laym. *lib. 3. tract. 4. c.* 12. *n. 9.* obſervantium remunerationem eſſe proportionandam meritis, aliàs ſi notabiliter excederet, quoad exceſſum foret illicita, & irrita. Clar. §. *donatio q. 3. n. 3.* numero ſequente relinquens prudentis arbitrio ejuſmodi meritorum proportionationem, cum iure non ſit definita. In caſu dubitationis de meritis, ut ſi fortè capitulum interroget, debet Prælatus merita ſpecificare, & probare, Clar. *n.* 2. Imò ſi fiat donatio remunerativa notabiliter in bonis immobilibus aut mobilibus pretioſis, neceſſarius eſt inſuper Conſenſus Capituli juxta dicta in *titulo de rebus Eccleſ. alienandis.*

Quænam donatio cenſenda ſit immoderata, aut modica judicio prudenti eſt dijudicandum ponderatis facultatibus Eccleſiæ, qualitatibus donantis, & donatarij, hujusque meritis, vel indigentia, cæterisque circumſtantiis, Wieſt. hic *n. 39.*

Reſpondeo quartò in caſu quo Eccleſia eget donatarij auxilio, gratiâ, vel Beneficentiâ, etiam meritis non præcedentibus poteſt facere donationes etiam graves de rebus quoquè immobilibus cum Capituli conſenſu, ut excitetur ad benefaciendum, vel ſuccurrendum, vel amoliendum detrimentum, Raiff. *n.* 44. citans Pirhing *n.* 10. Soarez *tom.* 4. *de Relig. lib. 2. c. 26. n. 14.* quia cedit in Eccleſiæ commodum, ob quod alienari poſſe Eccleſiæ bona concedit *Can. ſine exceptione* 12. *q.* 2.

Reſpondeo quintò eisdem Prælatis fas eſſe ex cauſa pietatis, & miſericordiæ etiam absque conſenſu Capitulari ex redditibus Eccleſiæ, &c. facere donationes proportionatas conſideratis Eccleſiæ facultatibus, aliisque circumſtantiis in pauperes, aliàſque cauſas pias, tales enim ſunt potiùs obligatoriæ, quam liberales.

513. Quæres ſecundò an reſolutiones factæ de Prælatis ſæcularibus locum habeant etiam in Prælatis Regularibus? & quid de privatis Religioſis? *Reſp.* Ad primum affirmativè Raiffenſtuell *hic à n.* 32. Largitiones graviter exceſſivæ præter ijſdem permiſſas numero ſuperiore habent annexas pœnas Clemente VIII. latas *in conſtit. quæ incipit, Religioſa edita* 13. *Calend. Julii,* 1594. & ab Urbano VIII. declaratas *in conſtit. quæ incipit, Nuper* 16. *Octobr.* 1640. Sunt enim contra mentem fundatorum, & convellunt vitæ Religioſæ fundamentum, ac votum paupertatis. Vide *n.* 223. *in fin.*

Reſpondeo ad ſecundum Religioſi privati ſunt alij viventes intra clauſtra ſine omni temporalium adminiſtratione, hi cum nullius rei Dominium habeant, nec adminiſtrationem, nihil ſine læſione voti paupertatis donare poſſunt abſque expreſſa, aut tacita licentia ſuperioris *c. cum ad Monaſterium 6. de ſtatu Monach.* Pirhing *hic num.* 16. Laym. *n.* 10. §. *Denique* Sanch. *lib. 7. Mor. c. 19. n. 95.*

Alij ſunt Adminiſtratores ut Procuratores, Oeconomi; hi poſſunt dare, aut alienare juxta licentiam conceſſam à ſuperiore immediatò, aut mediato, aut ab Ordinis ſtatuto, aut conſuetudine, Pir-

Pirhing. Sanch. *n.* 92. Laym. §. *tertiò sunt Religiosi.*

Ad hanc sortem spectant Religiosi degentes in beneficiis incorporatis, eaquè administrationes cum potestate limitata. ut si debeant (uti plerúmque fit) proventus consignare Monasterio, non enim valent facere Eleemosynas, & donationes largas, sed moderatas secundum licentiam expressam, aut rationabiliter præsumptam superioris, aut secundum statuta, aut consuetudinem ordinis, Raiffenstuell. *n.* 48. cum cit. Pirhing & Sanch. post S.Th. 2.2. *q.* 32. *art.* 8.

Demum aliqui degunt de licentia superioris extra Monasterium in Beneficiis cum plena horum administratione, hi possunt, & debent etiam irrequisito superioris consensu inter vivos disponere de redditibus non minus, quam alij sæculares Beneficiati, Laym. *n.* 9. Pirhing citatus Molin *Disp.* 276 *num.* 5. quia quoad facultatem disponendi nulla inter utrosque videtur disparitas, de similibus autem idem est judicium, *C. translato de Constit.*, Raiff. *num.* 47.

§ 14. Quæres tertiò an immoderata donatio merè liberalis facta à Prælato cum consensu capituli sit non solùm illicita, sed etiam invalida, Respondeo negativè cum Pirhing, *n.* 15. Laym. Wiest. hic *num.* 41. tum quia id colligitur à contrario sensu ex *c.* 2. *h. t.* declarante irritas donationes prodigas factas inconsultis Canonicis. Tum quia Prælatus cum Capitulo repræsentat Ecclesiam, aut Monast. cui prodesse, ac etiam in acquisitis obesse potest Est contra Gloss. *in dictum Capitulum* 2. *V. inconsultis.* Abb. in idem *num. ultim. Canon.* 52. 12. *q.* 2. Cui innituntur Adversarij, loquitur, ut ex contextu eruitur, in casu, quo donatio immodica cogeret ad distrahenda immobilia, aut pretiosa mobilia, ad quorum validam alienationem præter solennitatem requiritur causa justa necessitatis, aut utilitatis. Nihilominus opinio Abbatis habet magnam probabilitatem, nam Prælatus, aut Episcopus cum suo Capitulo, etsi repræsentet Monasterium, aut Ecclesiam, non tamen aliter validè repræsentare valet quàm ad finem, ad quem est condita, nempe ad cultum divinum, & usus pios, non enim est absolutus Dominus bonorum ac redditnum communium, *Arg. Can.* 52. 12. *q.* 2. sat clarè indicantis, ad donationes immodicas requiri consensum Capituli & justam causam. Non valet hic argumentum à contrario, quia ut ex contextu constat ratio potior decisionis *cit. c.* 2. *h. t.* non fuit præteritio capituli, sed perditio rerum Ecclesiasticarum, & damnum Ecclesiæ, cujus conditionem Prælatus debet meliorare; non deteriorare.

Circa interpretationem donationis inter vivos ita disponit *C. cum Dilectio, h. t.* clausula onerosa post multas donationes apposita, donationem solùm proximam afficiat, ita tamen ut fiat ex mente disponentis, quia, inquit Pontifex, *in contractibus plena, in testamento plenior, in Beneficiis autem plenissima est interpretatio facienda*, nempe dum agitur de præjudicio disponentis, secùs de præjudicio tertij *L.* 2. *C. de precibus Imp. offerend.* vel cum derogatur juri communi, Gloss. *in C.* 3. *de offic. Jud. Ord. in* 6. *V. dispensationes.*

De-

## *De revocatione donationis inter vivos.*

515. DOnatio legitimè inter vivos facta regulariter non est revocabilis per textum clarum *L. fin. C de revocandis donationibus*, Etsi accederet rescriptum Principis *L. si donationem 5. Cod. eod.* jure enim suo nemo etiam à Principe, nisi ob commune bonum potest privari.

Dixi *regulariter*, quia tres sunt causæ principales ob quas revocabiles sunt, nempe si sunt inofficiosæ, aut donatarius ingratus donatori, aut si liberi inopinatè post eas susceptí. Inofficiosæ, seu contra Officium pietatis in liberos sunt, quæ in quantitate tanta fiunt, sive extraneo, sive uni ex liberis, ut eis non remaneat legitima de jure debita: quo casu post mortem parentis donantis potest apud Judicem quærela institui pro revocatione, *L. 1. & 2. cod. de inoffi. donat.* non in totum, sed quatenus excedunt, ac imminuunt legitimam, *L. 1. 5. 7 & 8. Cod. eod.* Abb. *in C. fin. n. 5. h. t.* secùs in totum utpote nunquam in jure expressum, & aliunde revocatio est odiosa.

Amplia cum Herman. Wesselingio *in Nomognostico juris universi V. donatio §. Neque refert* post Clar. *§. Donatio q. 24. n. 3.* Gaill. *lib. 1. observat. 40. n 11.* Etsi parens Juramento confirmet donationem, quia Beneficium revocandæ donationis est introductum in favorem liberorum, & ideo nequit eis Juramento præjudicari. Nihilominus posse à parentibus minui legitimas per donationes remuneratorias, & contractus oneroſos, etsi nequeat per gratuitas docet cit. Clar. *n. 5.* & ex illo Wesselingius.

516. Altera revocandi causa est si liberis carens donet omnia bona sua, aut majorem, aut dimidiam partem, aut etiam infra hanc dummodo sit notabilis, & postea illi nascantur, *L. si unquam 8. cod. de revocand. donat.* præsumitur enim facta conditionatè, *nisi liberi nascantur*, cum nemo extraneum proprijs censetur præferre, Clar. *q. 22.* sufficit, si unica nascatur proles, *L. non est 148. ff. de V. S.* Econtra etsi unicam habeat, si donet, nequit revocare, etsi plures postea nascantur, Raiffenstuell *hic n. 69.* ex Brunemann. *ad L. 8. n. 6. ff. de revocand donat.* König *h. t. n. 32.* Quæ autem pars censenda sit notabilis, relinquitur arbitrio judicis. Clar. *n. 10. in fin.* præmittens fore notabilem, quantam non donâsset, si de prolibus cogitâsset.

Dispositio habet locum, etsi liberi post donationem perfectam nati moriantur ante Patrem, quia donatio per susceptos liberos fuit extincta propter subintellectam in ea Conditionem, *si liberi non nascantur*: res autem semel extincta non amplius reviviscit, *L. quæ res. 98. §. 7. ff. de solut.* Reviviscceret autem, si filijs natis, & mortuis, non repetereretur donatio, cum facilè posset.

Revocationi est locus etiamsi donatio Juramento esset firmata, hoc enim sequitur Conditionem actus, cui adjicitur. *C. quemadmodum 25. pr. de jurejur.* proinde subintelligitur eadem conditio, & in totum revocatur, ac si nullum adesset Juramentum, nisi revocandi juri *in cit. Lege si unquam* cum Juramento renuntiâsset, tunc solùm quoad legitimam revocatur, quia huic nequit præjudicare, secùs quoad excessum, Molin. *Disput. 282. n. 7.* Wiest. *n. 18.*

Item revocatur donatio facta unico filio, si post eam nascantur proles, non in totum, sed usquè ad legitimam postea natis competentem Clar. *q. 22. num. 3.* quia hic casus incomprehensus. Dicta *L. si unquam*, subjicitur dispositioni *L. fi. totas 5. Cod. de inofficios donat.* Unde cum pia causa E. g. Ecclesia, Monasterium habeatur loco filij donatio illi facta natis postea liberis spectato rigore juris fori, seu Justitiæ non revocatur in totum contra multos gravesque Doctores allegantes. *Can. fieri 17. q. 4.* ubi S. Augustinus laudat Aurelium Episcopum reddentem omnia donata donanti sua omnia Ecclesiæ retento usufructu, cui postea liberi nati erant addens: *in potestate habebat Episcopus non reddere, sed jure fori non jure poli*, seu in foro conscientiæ. Ratio sententiæ nostræ est, quod donata piis causis censeantur principaliter donata Deo, cujus amor præfertur absolutè amori liberorum, ergo nullam ejusmodi donatio continet impietatem, favetque cit. Canon, in quo indicatur ex obligatione Justitiæ non esse restituendum excessum legitimæ conformiter *dictæ L. si totas*, ex altera parte, cum reddatur legitima, jus fori non pugnat cum jure poli, ita Clar. *q. 23. n. 2.* Abb. *in C. fin. n. 5. h. t.* Wiest. *n. 21.* Haunold. *n. 277.*, *&c.* fatentes etsi non sub culpa lethali, sed ex æqualitate naturali, & ad ædificationem populi cedat, si totum restituatur, ita Canonem explicat Gloss. Molin. *D. 282.* Laym. *lib. 3. tract. 4. c. 12. n. 20.*

Econtra dicta dispositio non procedit supervenientibus prolibus illegitimis Molin. *n. 9.* Haunold. *tract. 9. n. 272.* ( nisi legitimentur naturales per subsequens Matrimonium. Molina: amplat. Clar. *n. 6.* ad legitimatos à Principe ) nec in donationibus remuneratoriis merita non excedentibus, nec in factis ex causa dotationis. Wiest *n. 19.* Haun. *n. 282.* Lugo *de just. Disp. 23. n. 196.*

§17. Tertia revocandi causa est ingratitudo donatarij in donantem, *Cap. fin. h. t.* non tamen qualiscunque, sed commissa modis ibi, & in *L. fin. cod. de revocand. donat.* expressis nempe quinquè speciebus, ut si manus impias in eum injiciat ( nempe cum mortali culpa, aliàs non esset impia, & graviter injuriosa, sive per se sive per alium, *L. non solum 11. pr. ff. de injurijs.* Ut manib' graviter percutiendo, fuste verberando, gladio vulnerando, aut lapidem in eum projiciendo vel sclopum solvendo, Raiffenstuell *n. 54.* Pirhing *n 34.* aut atrocem injuriam in illum effundat ( sive hæc fiat verbis graviter contumeliosis, ac injuriosis, sive facto citra manuum injectionem E. g. donatorem Captivum tenendo, Raiffenstuell *n. 53.* ex Abb. *in dict. C. fin.* quænam autem sit atrox injuria, judicis arbitrio relinquitur, nempe æstimanda ex facto, vel loco, &c. §. *atrox 9. Instit. de injurijs*) aut graviter

ter ejus bonis injuriosè noceat, Pirhing cit. notans non sufficere, si donatarius attentet nocere, lex enim concedens revocationem utpote pœnalis, est intelligenda cum effectu, aut si vitæ ejus insidias struat, ut si paret venenum per se, aut alium, etsi mors non sequatur, Abb. *cit. n. 2.* Mol. *Disp. 281. §. quarta causa.* Pirhing. Quinta species in *cit. L. fin.* additur, si modum, sive Conditionem donationi appositum implere noluerit; casum hunc *dict. C. fin.* omisit, eo quod, ut observat Abb. non tam ob ingratitudinem, quam ob non servatam conditionem tunc fit revocatio.

Porrò non est locus revocationi ob præfatas causas ipso jure, sed à donante in ipso judicio est probanda, & lata pro eo sententia: *si* inquit *cit. L. fin. fuerint in judicio dilucidis argumentis cognitionaliter approbata.* Si tamen donata nondum fuissent tradita, potest per exceptionem donans repellere donatarium, Abb. *n. 5. ad cap. fin.*

Multi cum cit. Abb. *n. 3.* Clar. *q. 21. n. 2. & 3.* extendunt revocationem ad alias causas æquales expressis, aut majores ingratitudines, ut si donantem inopiâ pressum non alat, ubi enim est eadem ratio, inquit est eadem legis dispositio *L. illud 32. ff. ad L. Aquil.* Verum certius est non posse extendi propter expressam *in dict. fin. L.* restrictionem ad causas quinque relatas verbis illis: *Ex his tandummodo causis donationes everti concedimus.* Conf. Lex pœnalis qualis est præfata nequit extendi ad casus jure non expressos etiam ob paritatem, aut majoritatem rationis, *arg. L. 42. ff. de panis junct. Reg 15. & 49. de R. J. in 6.* ex quibus ruit fundamentum Adversariorum.

518. Jus præfatum revocandi est personale donatoris, unde non transit in ejus hæredes, & quidem contra solum ingratum donatarium, secùs contra hujus hæredes, Pirhing *n. 38* passimque Canonistæ citati, & alij per textum clarum *C. fin. h. t. & cit. L. fin.* Ratio quod revocatio fundetur in delicto donatarii, actio autem injuriarum nequè hæredi, nequè in hæredem datur. *L. injuriarum 13. pr. ff. de injur.* ita tenent multi apud Wiest *n. 32.* cum Molin. *n. 3.* nisi lis sit contestata cum defuncto donatario, tunc transit ad hæredes cit. *cit. L. 13.* & contra donatarii hæredes *L. unic. C. Ex delict. defunct.* At Wiest. cum communi assentitur istis Doctoribus, quando donans scivit ingratitudinem, & tacuit potens revocare; secùs si ignoravit, aut morte præventus non potuit, & à fortiori, si injuria committatur in ipsum jam defunctum, eo enim casu hæredes defuncti donantis actionem possunt movere nec hoc est contra *cit. L. fin.* non agentem de ingratitudine ignorata, &c. uti colligitur ex verbis illis: *si ipse, qui hoc passus est, tacuerit.* Ignorans enim non dicitur *tacere* Molin. *n. 3.* id ipsum sentiens de donatarij hæredibus, negat de his Wiest. ex communi cum Haunold. *n. 263* Barbos *in C. fin. n. 24.* quia nequè in hac, neque in sæpe cit. *L fin.* ulla fit eorum mentio, & pœnæ delictorum suos debeant tenere auctores. *C. quæsivit 2 de iis, quæ à majori, & L. sancimus 22. C. de pœnis.*

Revocandi jus se non extendit ad donationes sequentes. Primò ad remuneratorias, Clar. *q. 21. n. 4.* Pirhing *n. 37.* Secundò ad constitutionem dotis, & donationem propter nuptias. Ratio utriusque, quod non sit mere liberalis. Tertiò ad factas pio loco etsi ingratus sit Prælatus una cum Capitulo, Barb. *ad c. fin. n. 15.* Pirhing cit. contra Abb. quia donatarius non est Prælatus, & Capitulum etsi Ecclesiam repræsentent, sed DEUS, huic principaliter donatur. Quartò ad eas, in quibus donatario res donata jam est tradita, ita observatur in tribunalibus Styriæ teste Beckmann *in statutario Styriæ verb. Donatio inter vivos*

## *De donatione causa mortis, ejusque revocatione.*

§19. Constat ex *n. 295.* donationem mortis causa esse illam, quæ fit cum expressa mortis mentione, & intuitu ipsius, quapropter hæc donatio à constituto in Articulo mortis facta: *dono Titio centum florenos, &c.* est inter vivos, quia nulla fit mentio mortis; ista verò: *quia video me brevi moriturum vel quia debeo aliquando mori, dono Titio domum meam* est donatio causa mortis, etsi à sano fieret. Ante mortem secutam est revocabilis, ut dictum est loco cit. in quo convenit cum testamento, differt verò, quod ut Testamentum valeat necessaria non sit præsentia hæredis *L. cum Pater §. Surdo ff. legatis 2.* at ut donatio causa mortis valeat, requiritur acceptatio donatarij præsentis, adeo ut alius nomine alterius nequeat acceptare. *L. inter mortis 38. ff. de donationibus mortis causa Covar. 3. p. in Rubr. de testament. n. 13.*

Tripliciter potest mortis causa fieri donatio. Primò à sano, seu nullo existente mortis periculo. Secundò imminente, seu futuro periculo. Tertiò, quando est præsens mortis periculum, *L. 35. §. mortis causa donatio, &c. ff. eod.* Est magna differentia donationis à sano factæ ab ea, quæ est facta à constituto in præsenti, aut imminente periculo mortis, prior enim nullo certo generi mortis alligatur, & ideo durat, nisi revocetur, posterior autem alligatur morti ex tali periculo, aut infirmitate, proinde si mors non sequitur exinde, exspirat ipso jure; Raiffenstuel *de testament. n. 694.*

Differentia autem donationis causa mortis à Legato est insinuata cit. *n. 295.* præterea differt, quod Legatum non exspiret ipso jure, etsi legans morti eripiatur, prout exspirat donatio.

Solennitas ad donationem mortis causa est eadem, quæ codicilli, *Arg. L. fin. c. de codicill.* ad codicillum autem sufficiunt quinque testes, sive masculi sive fœminæ, sive rogati sive fortuiti, simul tamen seu eodem tempore præsentes, qui subscribant sine necessitate subsignandi, quando fit in scriptis; si oretenus, nec requiritur subscriptio *L. fin. cod. eod.* Fœminas esse aptos testes colligitur ex eo, quod non excludantur à codicillo, sicut à testamento.

Quibus permissa est testamenti factio etiam permittitur donatio causa mor-

mortis, Molin. *Disp. 288. §. quod de hac re. L. filiusfamilias 7. in fin. ff. de donationibus.* Hinc filius familias puber etiam absque patris consensu potest donare mortis causa ex bonis castrensibus, & quasi, &c. de his enim testari potest per cit. L.

520. Donationem mortis causa propriè talem etiam acceptatam esse ad libitum donantis revocabilem, est communior opinio Legist. cum Fachin. *lib. 5. controv. c. 23.* & Canonist. cum Raiffenstuel *de testament. n. 698.* sequiturque ex ipsa ejus natura § *1. Instit. de donationibus.* Quod *L. si alienam 13. §. 1. ff. de donat. mortis causa, &c.* Ita statuatur: *Sic quóque potest donari mortis causa, ut nullo casu sit ejus repetitio, id est, nec si convaluerit quidem donator*, communior interpretatio apud cit. Raiffenst. *n. 697*, est, ejusmodi donationem non esse propriè mortis causa talem, sed sic vocari, quia mors est causa impulsiva donandi.

Revocatur autem ipso jure quatuor modis. Primò pœna Capituli donatoris, *L. si aliquis 7. de donat. mortis causa.* Secundò pœnitentiâ donatoris de facta donatione, *cit. §. 1. Institut. de donat.* ea autem est aut expressa, ut si donator, claris verbis indicet se pœnitere, aut tacita nempe modis, quibus tacitè revocatur legatum, huic enim æquiparatur donatio causa mortis, *L. 37. ff. de donat. mortis causa.* Tertiò morte Donatarij ante donatorem, *cit. §. 1. Institut.* Quartò cessante periculo, aut morbo, cujus occasione, & intuitu facta est, *cit. §. 1.* Ibi: *si autem supervixisset is, qui donavit, reciperet.*

## §. XVII. Dissertationis III. Articuli III.

### *An lex civilis arcens Ecclesiasticos, & Religiosos ab emendis, aliôve titulo, acquirendis bonis immobilibus sit injusta, ac præjudicans libertati Ecclesiasticæ.*

521. FAtendum est, quod ante Constantini Magni tempora Imperatores Ethnici Christianorum Collegijs nullas hæreditates, aut Legata relinqui voluerint *L. Collegium 8 c de hæred. Institut. consequenter* Ejusmodi impias, ac injustissimas leges sustulit Constantinus Magnus post susceptam Catholicam fidem; liberámque statuit potestatem Ecclesiasticos in quibusvis bonis immobilibus ac mobilibus, instituendi, aut eisdem legandi, *L. 1. c. de SS. Ecclesiis* consequenter etiam donandi, aliovè contractu inter vivos pro pretio alienandi in Ecclesias, & Ecclesiasticos.

Arcadius Imperator ex Consilio iniquissimi Eunuchi Eutropij non modo reos confugientes ad Ecclesias jussit per sæcularem Magistratum extrahi, imò & ab aris avelli, sed etiam licentiam à Constantino Magno datam revocavit ac deinceps nihil Ecclesijs relinquendum statuit. *Quæst. 20. & 27. cod. Theodosiani de SS. Eccles.*

Has Arcadij Constitutiones revocavit Valentinianus III. nepos Arcadij ex fratre Honorio, uti & Marcianus Imperator à Pulcheria Arcadij filia in maritum assumptus, ut videre est *in L. 12. 13. 14. 19. c. de SS. Eccles.* Vigore harum legum capaces sunt Ecclesiæ, ac Ecclesiastici quorumvis bonorum non solùm ex testamento, aut ab intestato, sed quovis alio contractu inter vivos ut venditionis donationis, &c. uti expressè legitur *in L. 14.*

Inter novissimas Constitutiones, quibus revocantur omnes antecedentes leges libertati Ecclesiasticæ repugnantes est celeberrima Friderici Imp. *L. 12. in Auth. Cassa, & irrita c. de SS. Eccles.* in qua cassat ipso jure, & irritat omnes sanctiones contra libertatem Ecclesiæ, ejúsque personas inductas adversus Canonicas, & Imperiales sanctiones, &c. Ad hanc Auth. *verb. per totam Italiam.* Ita loquitur Gloss. *Ubi maximè fiebant* ( nimirum statuta contra libertatem Ecclesiæ, &c. ) *si tamen & alibi in Romano Imperio hæc fiant: eadem est æquitas, ergo idem jus, L. Titia in fin. ff. de V. O. & L. Illud. ff. ad L. Aquil.*

522. Etsi Imperatores pijssimi, summique Pontifices toties severissimis sanctionibus libertatem hanc munierint adjectis etiam pœnis gravissimis, non tamen defuerunt, qui sensim jus acquirendi bona deprimerent connivente, ac dormitante clero, ut eundem paulatim ( ut loquitur August. Michel *tom. 1. Theol. Canonico-Moral. in Appendic. 2. fol. 584. n. 2.* ) hac insigni facultate penitùs exuerent. Nefin immensum ( sic discurebant ) Ecclesiastici ditescerent, ajebant arcendosâ comparandis Nobilium bonis. Ulterius progressi censebant removendos per actus inter vivos à comparandis ab omnibus etiam ignobilium immobilibus, & quia nec sic sufficienter publico bono cautum esse arbitrati sunt, ut etiam ab ultimis voluntatibus tam ex testamento, quam ab intestato excluderentur, sed essent contentæ Ecclesiæ, ac Ecclesiastici certâ quantitate impiè concluserunt, totum verò residuum remaneret penes cohæredes sæculares.

Decreta ejusmodi, quæ suggeruntur Principibus sæcularibus adversus libertatem Ecclesiasticam vocantur *Decreta Amortizationis.* Hanc nomenclaturam aliqui derivant exinde, quod decreta ista caveant, ne bona sæcularium deveniant in manus mortuas ( quales habere ajunt Ecclesias Religiosos, Ecclesiastica Collegia, Xenodochia ) uti enim hominis morientis manus tenacissimè retinet, quod in Articulo mortis apprehendit, ita communitates piæ bona semel capta non dimittunt in manus sæculares, quia illis est inhibita bonorum alienatio. Alijs placet derivatio ista, quod bona semel Collegijs Ecclesiasticis, píisque locis acquisita sint à morte immunia, cum nunquam emoriantur communitates.

523.

523. Hanc impietatem suorum Consiliorum, ut pallient, odiúmque sui amoliantur, duo potissimùm obtrudunt. Primum est, quod sua decreta dirigant immediatè ad sæculares suos subditos, ne communitatibus Ecclesiasticis, pisque locis bona vendant, secùs ad Ecclesiasticos. Isto pallio credunt se tutos, ne habeantur pro usurpatoribus jurisdictionis in Ecclesiasticos. Secundum est, quod in decretis suis non nominent Ecclesias, personásque Ecclesiasticas, sed *externos, seu Principi non subjectos*, in quos ne bona immobilia devolvantur, publico bono se consulere populo venditant.

Inter Publicistas Amortizantes, seu immunitatis Ecclesiasticæ hostes est Baro Schmid Aulæ Bavaricæ Cancellarius in suis Commentarijs in jus Bavaricum editis. Contra hos priusquam veritas immunitatis demonstretur, quædam sunt præmittenda, quibus veritati aperiatur via.

# PLURES QUÆSTIONES
## *De immunitate Ecclesiastica evolvuntur.*

524. FAteor me fusiorem fore in exponenda immunitate Ecclesiastica, quam postulet necessitas quæstionis resolvendæ in §. propositæ. Verum, quia tres species immunitatis magnam habent connexionem invicem, præsertim personalis, & realis, ut patebit, idcirco spero non displicituram lectoribus, si occasione istâ omnes tres species, earumque causas examinem, priusquam resolvam principalem quæstionem, cujus decisio unicè dependet ab immunitate præsertim personali.

Quæres igitur primò, quid, & quotuplex sit Ecclesiastica immunitas? Respondeo ad utrumque cum Sylvest. *Verb. Immunitas.* Immunitas Ecclesiastica *est libertas concessa Ecclesiis vel Ecclesiasticis Personis, & rebus ad eos spectantibus*, vel est, *Privilegium Ecclesiastica libertatis vel locorum vel personarum vel rerum ad eam pertinentium.* Hinc ex parte subjecti est triplex, nempe localis, personalis, & realis. Immunitas, & libertas solo nomine dissident. Omnis ergo immunitas est privilegium eximens ab aliqua obligatione seu onere *L. munus 18. ff. de V. S.*

Localis concessa est locis Religiosis, ac sacris. Est autem locus sacer strictè acceptus ille, qui unctione cum oleo sancto per Episcopum consecratum, latè verò significat etiam locum ab Episcopo benedictum, aut saltem deputatum ad pios usus, ita Benedictus Pereyra *in Elucidario Theolog. n. 1305.* monens quod juxta Canones locus Religiosus, & sacer coincidant, quæ cum profanari non possint rectè inde deducit Oratoria privata non esse loca sacra & Religiosa, quia possunt converti in usus profanos, Glos. ad *Clement. quia contingit de Relig. domibus.*

Immunitas personalis, Ecclesiasticos, realis verò eorundem & Ecclesiarum res eximit à jurisdictione sæculari. Hinc omnes leges civiles pijs locis, personis

sonis Ecclesiasticis, rebúsque Ecclesiasticis adversantes reprobantur ab utroque jure; à civili locis allegatis *n.* 521. à Canonico *c. 7. & 10. de Constit. c. noverit 49 de sentent. Excom c. non minus 4. de Immunitate Ecclesiarum*, Trid. *Sess. 25. c. 20. de ref.*

525. Quæres secundò an omnis immunitas tam localis, quam personalis & realis profluat à jure divino? Respondeo negativè cum Molin. *de just. Disput. 31. à Conclus. 3.* Navar. in Manual. *c. 27. n. 119.* D. Thom. *in illud ad Rom. 13. ideo enim tributa præstatis* Augustino Michel *Tom. 1. in Append. 2. fol. 686.* patet primo in privilegio Canonis excommunicantis percussorem Clerici, quale nemo dixerit esse juris divini Soarez *lib. 4. defensionis fidei Cathol. c. 27. n. 24.* uti nec privilegium, ut contra Ecclesiam Romanam præscriptio non valeat nisi centenaria, aut nisi quadragenaria adversus Ecclesias inferiores. Immunitatem localem non esse juris divini probo, si enim aliqua loca essent divinitus exempta à jurisdictione sæculari, essent præsertim ædes sacræ ne Rei ad eas confugientes per vim extrahi possint, sed hæ non sunt divinitus exemptæ, ita Soarez *Tom. 1. de Relig. lib. 3. c. 8. num 9.* contra Michel *fol. 688. vers. Ædes, &c.* quia ista exempta foret, vel divini juris naturalis, vel positivi, non naturalis, quia violenta Reorum ex templo extractio non est per se, & intrinsecè mala, cum non intendatur formaliter, & directè contemptus, aut irreverentia loci sacri: nec hic ex vi consecrationis acquirit speciale jus ad tuendum Reos, est tamen rationi naturali consonum, ut hoc privilegium illi sit concessum: quo concesso omnino violatio ejus opponitur Justitiæ, & Religioni.

Non etiam est juris divini positivi veteris, aut novæ legis: non veteris, est enim fuisset concessum in lege veteri tabernaculo, aut templo, illud tamen utpote cæremoniale est abolitum, & non extensum ad templa Christiana. Dixi *esto*, quia probabile esse censet Soarez post Abulens. Etiam templo non fuisse, hoc à DEO datum privilegium, nullibi enim hoc legitur; jusítque Salomon in principio sui regiminis, quo creditur DEO placuisse, in ipso sanctuario occidere Joab, quin factum istud ulibi reprehenderetur.

Non est jus divinum novæ legis, cum nec legatur scriptum, nec ab Apostolis traditum, est ergo hæc immunitas propriè, & immediatè de jure Canonico, quod interdum Juris periti vocant divinum, remotè enim, & mediatè radicatur in jure divino, quatenus Christus dedit Ecclesiæ potestatem ordinatè disponendi omnia, & sancta sanctè tractandi. Huc spectat immunitas templorum, quæ probabiliter incepit cum solenni dedicatione eorum à tempore Constantini Magni, uti colligitur à posteriori ex impio Consilio Evtropij inducentis Arcadium ad statuendam legem contra hanc immunitatem per *n. 521.* vide de hoc cit. Soarez *à n. 12.*

526. De immunitate personali Ecclesiasticorum, an sit juris divini, difficultas est intricata, neque facilis evolutionis, nisi distinguamus varios Ecclesiasticorum gradus, in quorum primo est Pontifex, in secundo Apostoli, in tertio Episcopi, in quarto Sacer-

cerdotes, in quinto reliqui inferiores Clerici. De omnibus fusè disputat Soarez *in defensione fidei contra Regem Angliæ L. 4. à c. 4. usque ad undecimum.*

Summum Pontificem omnes Catholici contra Protestantes jure divino esse exemptum à jurisdictione temporali apud Soarez *c. 4. num. 3. ex Conc. Rom.* sub Sylvestro *Can. 20. Nemo judicabit primam sedem, quoniam omnes sedes à prima sede Justitiam desiderant temperari:* hic textus refertur ab Innocent. *Can. nemo judicabit 9. q. 3.* Tempore Leonis III. motâ Romæ in eum seditione ad hanc sedandam advenit Romam Carolus Magnus, éúmque in templo sancti Petri præsente populo, & Episcopis totius Italiæ, & Galliæ convenientibus de vita, & moribus sententias rogâsset, una voce responsum est: *sedem Apostolicam omnium Ecclesiarum Caput à nemine* (Laico præsertim) *judicari debere.* Audito hoc responso Carolus quæstionem omisit. Hinc colligitur quod exemptio ejus personæ non si humana, sed divina, aliàs eam sibi non auderet arrogare, nec jure potuisset, neque fuisset admissa tantâ felicitate, ac Ecclesiæ, Principúmque Christianorum consensu.

527. Porrò immunitas ista, quod sit juris divini desumitur ex Math. 17. ubi exactoribus tributi quærentibus ex Petro: *Magister vester non solvit Drachma*, cum Petrus affirmâsset, Christus ut Petrum, & in eo Ecclesiam instrueret, interrogat Petrum: *Reges terræ, à quibus accipiant tributum, vel censum à filiis suis, an ab alienis.* cui Petrus, *ab alienis*: Hinc Christus intulit, *ergo liberi sunt filij: ut autem non scandalizemus eos: vade ad mare, &c. da eis pro me & te.* Ad quem locum Soarez *c. 5.* post multa *num. 9.* sic discurrit, quod quod cum cit. loco Christus docuisset se filium esse DEI naturalem, liberúmque à tributo, ut tamen vitaret scandalum, voluit solvi, simúlque sibi Petrum in hac solutione ad vitandum scandalum specialiter conjunxit, indicavit se peculiare communicaturum privilegium, vi cujus eximeretur à tributo dando sæculari magistratui, nisi propter vitandum scandalum. Ergo Petrus ejúsque Successores habent à Christo privilegium exemptionis à foro sæculari. Si dicas Salomon exauthoravit Pontificem Abiathar propter crimen læsæ Majestatis *3. Regum 2.* Respondet Soarez *c. 6. n. 1.* ex hoc facto uno non ostendi jus, quia à Regibus multa fiunt violenter. Secundò non est argumentum ad Pontificem in lege gratiæ, qui longè est altioris Ordinis. Objectionem ante annos circiter 500. Imperator Constantinopolitanus formavit *in Epist. ad Innoc. III.* (ex qua est desumptum *c. solita. De majorit. & obedient*) qui non de Salomone, sed Davide arguebat contra Innoc. *quia inquit David Rex Abiathar Pontifici præeminebat*, cui Pontifex reposuit dicens: *David, quamvis Regis diadema obtineret, non tam ex dignitate Regia, quàm authoritate prophetică imperabat. Verum quidquid horum fuerit in veteri testamento, nunc aliud est in novo, ex quo Christus factus est Sacerdos secundùm Ordinem Melchisedech:* & concludit: *circa illud præcipuè, qui Successor est Petri*

*& Vicarius JESU Christi*, ita Pontifex apud Soarez.

Petro igitur privilegium istud exemptionis collatum est à Christo cum ipsa dignitate Pontificia, huícque annexa intrinsecè, ac ab ea dimanat, eúmque, ac Successores exemit à jurisdictione Principum etiam Ethnicorum, ejus tamen usus pro eo tempore haberi non poterat.

Hinc si objicis quod Paulus ad Roman. 13. dicat: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Et apertiùs infrà: *non sine causa gladium portat*, & dum ait: *ideo enim, & tributa præstatis.* Et Actor. 25. Ipse Paulus Cæsarem appellavit tanquam judicem, & legitimum superiorem in causa criminali, quem locum vehementer urget Rex Angliæ Jacobus & intellexit etiam Bellarm. quos Lorinus est secutus. Respondeo ad textus in illis non comprehendi Pontifices, quia in terris nulla est sublimior potestate Pontificiâ, seu Vicariatus Christi, Soarez *c. 6. num. 5.* De appellatione Pauli ad Cæsarem dico cum eodem *c. 10. num. 4.* eum non jure, sed facto appellâsse, non ut ad superiorem, sed quia modus evadendi insidias alius non supererat: quam sententiam tandem sequitur Bellarm. præferens eam oppositæ, de qua mox.

528. De reliquis personis Ecclesiasticis est major difficultas, ut de Apostolis Episcopis, &c. an jure divino sint exempti. Duæ sunt opiniones de omnibus Clericis sub Pontifice existentibus apud Soarez *c. 8.* ad quæstionem an sint jure divino exempti à jurisdictione sæculari; prior negans cum Victor. de omnibus excepto Pontifice, adeò ut etiam Apostolis neget exemptionem, ut videre est apud Soarez *c. 10. n. 2. & 3.* ubi pro ea citat etiam Bellarminum hic tamen postea, ut proximè dixi, recessit à sua opinione, Eandem amplectitur Molin. *de just. Disp. 31. Conclus. 3. 4. versu. Tertia verò pars*, ubi excepto Papa reliquas personas Ecclesiasticas negat divinitus esse immunes à iurisdictione laica.

Posterior affirmat, quam tuetur Soarez *c. 8. à n. 9. & 10.* ubi illam extendit ad omnes Clericos etiam Tonsuristas, omnes enim, aut vi Caracteris Ordinis ( aut ex deputatione Ecclesiæ, ut Tonsuristæ ) constituuntur in statu specialiter dicato Ministerijs sacris. Hinc est disparitas à Caractere Baptismali, quod etsi hic designet eos, qui spectant ad familiam Christi fidelem, eámque secernat ab infidelibus, non tamen secret personas deputando illas Ministerio sacro, sed solùm eas consignat Christo ac ad tuendam ejus fidem specialiter obligat.

Ratio hujus sententiæ est, quod Apostoli à Christo fuerint constituti Principes super omnem terram cum jurisdictione immediatâ directè, aut indirectè super omnes terræ Principes; ergo ex vi excellentiæ decebat eos eximi à jurisdictione omni sæcularium Principum, cùm sit indecorum Principes Superiores ab inferioribus judicari. Et cum Episcopi sint Apostolis æquales potestate Ordinis inferiores tamen jurisdictione, eo quod jurisdictio Episcopalis sit restricta ad certam Diœcesim, quia tamen sunt Patres Principum intra suam jurisdictionem, ac simpliciter illis superiores, etiam Episcopi eodem

jure

jure divino exempti sunt. Sacerdotes etsi tunc potestate Ordinis tum jurisdictionis relatè ad corpus mysticum sint inferiores Episcopis, & Apostolis, pares tamen sunt potestate Ordinis relatè ad Corpus Christi reale, ac etiam jurisdictione in foro Sacramentali incomparabiliter præferendi Principibus sæcularibus, etiam eos ab horum potestate valdè decuit esse immunes utpote Christi personam in suis mysterijs modo excellentiori repræsentantes. Tandem cum etiam Tonsuristæ, ac Minoristæ peculiari modo sint de familia Christi, etiam hos cum Principalibus suis eximi æquitas postulat, accessorium enim sequitur naturam principalis, &c.

§29. Contra hanc sententiam arguitur ab exemplis contrarijs. Primò clericus agens civiliter contra laicum debet sequi forum sæculare rei. Secundò omnes Ecclesiastici legibus civilibus ad commune bonum pertinentibus, quoad vim directivam subjiciuntur, ut in contractibus, pretio rerum, &c. Tertiò clerici minores non eximuntur à foro sæculari, nisi sint beneficiati, aut deferant habitum, & Tonsuram. Quartò Ecclesiastici feudatarij in causa feudali judicantur à Principe eos infeudante. Quintò ipsa Ecclesia in Capitalibus criminibus clericos privat privilegio, eósque tradit foro sæculari, sed si essent jure divino exempti nihil horum licitè, aut validè exerceri posset, cum jus divinum sit superius Pontifice, totáque Ecclesiâ.

Ut difficultas hæc extricetur ostendatúrque quomodo affirmativa cohæreat cum dictis exemplis. Dico cum eximio Doctore Soarez *c. 9. à n. 10.* optime cohærere duo asserendo: primum est quod omnes clerici sint exempti jure divino pet *num. 528.* idque confirmatur ex Trident. *Sess. 25. c. 20. de ref. Ecclesiæ*, inquit, *& personarum Ecclesiasticarum immunitatem DEI ordinatione & canonicis sanctionibus institutam esse.* Alterum est, quod usus præfati juris divini sit subordinatus dispensationi Pontificiæ. Hoc ut declaret Eximius Doctor *num. 11.* duplicem affert significationem vocis *Jus*, interdum enim significat legem, aut præceptum, aliquando verò facultatem utendi: utroque modo potest sumi jus divinum in materia præsenti, sumptum pro facultate utendi, est privilegium: seu libertas quædam à subjectione alterius, id est, moralis facultas non parendi potestati alterius. Hæc facultas Clericis à DEO concessa dicitur jus divinum, non velut lex, aut præceptum, sed ut donum divinum, sicut libertas à servitute homini naturalis, optimè in hoc sensu dicitur de jure naturali. Supposito isto privilegio sequitur altera juris significatio, nempe lex divina præcipiens, nè habenti id fiat violentia, sed immunis servetur. Hinc in præfata exemptione etiam intervenit jus divinum præcipiens, & contra hoc peccatur, dum exemptio violatur.

Cum hoc tamen stat, quod, cum Christus præviderit non expedire Ecclesiæ, ut jus hoc præceptivum sit pro omnibus circumstantijs immutabile, ac inamissibile, ejus usum subjecit soli supremo Ecclesiæ Capiti, cujus est prospicere communi Ecclesiæ bono prout circumstantiæ exegerint, atque adeò concessit, ut justis de causis ejus usus possit immi-

imminui, aut etiam penitùs privilegium respectu certarum personarum auferri. Soli autem Pontifici commissam esse à Christo ejusmodi disponendi facultatem colligitur ex eo, quod ad eum solùm spectet suprema spiritualis, ac supernaturalis potestas ligandi solvendi, &c. Ex his patet, quod allata exempla initio hujus numeri solùm evincant usum dicti juris divini dependere à supremo Ecclesiæ Capite, quin quidquam inde præjudicetur eo eximenti omnes Clericos.

Omnia hæc adhuc clariora sunt, si notes cum Soarez *c. 2. n. 10.* hanc immunitatem esse de jure divino negativè, quatenus DEUS Principibus non dedit spiritualem potestatem in Clericos, Ecclesias, harum bona causásque Ecclesiasticas, unde quoad hoc est jus divinum prorsus immutabile, fieri enim non potest, ut Rex vi suæ Regiæ potestatis, seu jure ordinario dicat jus Clericis, ita ut hoc nullatenus possit ullâ dispensatione honestari, est enim jure divino vetitum, ne titulo solius Regiæ jurisdictionis sine altiore jurisdictione judicium usurpetur, cum tamen jus divinum non prohibeat, quo minùs valeat Pontifex laicis pro certis circumstantijs talem jurisdictionem delegare, ideo potest in casu particulari delegari, repugnat tamen committi Regibus Ordinarium Regimen in Ecclesiam, cum divinitus sit institutum, ut per Episcopos gubernetur Ecclesia.

530. De Ecclesijs seu locis sacris, horúmque rebus tam mobilibus, ut vasis sacris, vestibus, &c. aliáque supellectile, quàm immobilibus in dotem Ecclesiæ, alendósque ministros collatis, certum est gaudere immunitate reali à tributorum solutione Soarez *lib. 4. in defens. fidei Cathol. c. 18. num. 4. ext. non minus & c. adversus. De immunitate Ecclesiarum & c. quanquam, De censib. in 6.* Estque confirmata etiam à jure civili præsertim in Constit. Frideric. Imperator. post libros Feudor. Hæc immunitas est de jure divino, Soarez *num. 9.* quia Ecclesiæ, ejúsque bona, aut sunt sub dominio immediato DEI, & Christi ut existimat Navar. eséque id probabile fatetur Soarez *n. 8.* aut sub Dominio Ecclesiæ ut nobis visum est verius *n. 31.* si primum, cum tributum sit signum subjectionis, Ecclesia autem cum bonis suis non subjiciatur potestati sæculari, sequitur etiam non subjici tributis; si dicatur secundum, adhuc peculiariter spectant ad jus Christi, cum sint peculiariter ad ejus cultum destinata, idcirco vocantur *bona Dominica*, *res Dominicæ*, tales autem jure divino sunt extra jurisdictionem sæcularem.

An autem ex rebus Ecclesiæ illæ, quæ sunt consecratæ, aut benedictæ præciso titulo dominij divini in eas, de quo proximè dictum, sed consecrationis aut benedictionis censeantur exemptæ, vide disputantem Soarez *c. 19.* ubi etsi communiter opinentur Jurisconsulti eas esse extra humanum dominium, puténtque, siquis ex domo privata furetur calicem, dominum domûs non posse actionem furti intentare contra furem, nisi forte nomine DEI, ipse tamen *n. 6.* illos refutat, quia nullum jus humanum reddit homines incapaces Dominij illarum, nec jus naturæ, cum nulla ratio evincat, quod consecratio, aut benedictio auferat hominibus Dominium in materiam illarum; éstque quotidiana praxis,

praxis, quod sæculares in suis privatis Oratoriis res consecratas, & benedictas possideant ut proprias, ac de jis disponant ùt Domini, illas donando, mutando vel etiam vendendo eorum materiam, ídque licitè, cum nullus Prælatus reprehendat, sed toleret sine contradictione.

Nihilominus *n. 8.* concludit esse probabilius titulo Consecrationis, aut Benedictionis exemptas à Vectigalibus, quia jura indefinitè loquuntur de rebus Ecclesiæ: tum quod rebus sacris debeatur Religiosus cultus, atque adeò est conforme jure divino positivo, ac naturali eorum exemptio.

531. Quæres tertiò an Ecclesiastici quoad potestatem temporalem potuerint eximi tam in civilibus, quàm criminalibus à jurisdictione Principum, sintque defecto exempti. Negant utrumque Marsilius Paduanus, sectatores Hæretici, Jacobus Rex Angliæ, Paulus Venetus.

Probant, nam exemptio hæc, aut posset fieri, factaque esset à DEO, aut à Papa, aut Imperatore, à nullo fieri potuit, aut facta est: non à Deo, quia postquam DEUS constituit *ut omnis anima potestatibus sublimioribus sit subdita ad Rom. 13.* cuivis Principi competit à DEO primatus in temporalibus tam civilibus, quàm criminalibus unde si Deus Ecclesiasticos eximeret, sibi foret contrarius.

Non à Papa, quia hic non potuit dicto primatu totaliter Principes privare, ergo nec parte aliqua præsertim notabili, qualis est pars tertia hominum, & fundorum. Confirmatur Papa non potest Clerum subtrahere jurisdictioni temporali Principum Ethnicorum, ergo nec Principum Christianorum, cum hi sint æquè in suo Territorio, ac illi.

Non etiam ab Imperatore, aliove supremo Principe, quia privilegium tale directè imminuit Regiam dignitatem, quale nequit concedi à Principe, cum sit principaliter data non in utilitatem privatam, sed publicam, proinde transmittenda integra in successores, ob hanc causam etiam Papa nequit ullum privilegiare detrahendo aliquid suæ dignitati. Ex hoc intulit Navar. *in C. novit de judiciis Corollar. 69.* non posse Regem concedere Regnicolis, ne sibi, aut Magistratui inferiori parere teneantur.

Confirmatur. Papa nequit Baptizatum eximere penitús à sua jurisdictione spirituali, ergo nec Rex ullum eximere à jurisdictione sua temporali, hæc enim in Rege quoad temporalia respectu cujusvis Regnicolæ se habet, sicut spiritualis in regimine spirituali quoad membra Ecclesiæ.

Confirmatur secundò exemptio ista non est ad ædificationem, sed destructionem, fovet enim peccandi libertatem, cum enim Prælati Ecclesiæ nequeant uti gladio materiali in Reos mortis, fit, ut vitia impunè augeantur.

532. Respondeo ad primum quæstionis tertiæ omnibus tribus modis eos eximi posse, est vera, & Catholica sententia apud Soarez *c. 3. 3 à n. 6. & c. 11. à n. 5.* & quidem à Deo est evidens, cum enim sit absolutus Dominus omnium, potest quemvis privare suo Dominio, ac ex servo constituere Dominum, hujusque subditum ex Principe.

Posse à Papa probatur ratione fundata in scriptura, etsi negaretur hæc exemptio esse juris divini contra stabi-

litâ *à n. 528.* adhuc enim est valdè consona juri divino naturali; nam per se loquendo, & ex natura rei suppositâ potestate à Christo collatâ Petro est huic data omnis jurisdictio, quæ est valde necessaria Religioni Christianæ, sed jurisdictio eximendi Ecclesiasticos, & Ecclesias cum rebus suis à potestate sæculari est valde necessaria Religioni Christianæ, nam res Ecclesiasticæ cultusque divinus debitâ reverentiâ debent, hæc autem exigit, ut personæ cultui divino deputatæ cum rebus pro cultu destinatis eximi possint à potestate sæculari, seu ut circa personas cultum divinum ac in bonis in hunc finem ordinatis non dependeant à consensu Principum: hoc enim ex consensione omnium gentium videtur rationi consentaneum; si enim spectat ad Regiam potestatem posse eximere familiam suam à Magistratu inferiori, decet sane etiam familiam Christi in sua Ecclesia eximi.

Demum quod etiam ipsi Principes valeant eximere ostenditur: quisquè supremus Dominus jurisdictionis potest hoc [uti omni modo non sibi prohibito per alium superiorem, nec intrinsecè malo: sed exemptio Ecclesiasticorum, Ecclesiarum, harumque rerum, est actus supremi Dominij jurisdictionis à nullo superiore creato vetitus, non à superiore temporali, cum supponatur nulli subesse, non à jure Canonico uti est certum: non etiam est actus intrinsecè malus, cum nec sit contra Justitiam aut Religionem, sed in favorem fidei, Religionisque, nullique præjudicet, nisi Principi extmenti, nec est contra pactum cum Republica initum, quando hæc in illum transtulit suam potestatem, talis enim pacti fundamentum est nullum, cum nullum ejus sit vestigium: non est contra naturalem legem Justitiæ, vi cujus Rex tenetur curam habere omnium civium, ut convenienter gubernentur; dupliciter enim potest subditus eximi à Principis jurisdictione. Primò ita, ut etiam illum nulli alteri subjiciat, & hoc est omnino intrinsecè malum, utpote bonis moribus naturalibus contrarium; Secundò ita, ut potestati alterius deinceps maneat subjectus: non primo, sed secundo modo Ecclesiastici, &c. exempti sunt à jurisdictione sæculari, nam in locum hujus succedit jurisdictio Ecclesiæ, seu Papæ in hunc translata à Principe sæculari, & quidem directè Soarez, *C. 30. n. 7.* proinde nihil contra bonos mores hæc exemptio continet.

533. Respondeo ad secundum quæstionis tertiæ, defacto hanc exemptionem factam esse demonstratur ex præceptis Pontificum jam ab initio Ecclesiæ, & hucusque conservatam, apud Soarez *cit. c. 3. n. 20.* nam Alexander I. sedens Anno 109. *in Epist. ad omnes Orthodoxos* testis est hujus observantiæ à temporibus Apostolorum. Eandem præcepit Cajus Papa Annno 283. *in Epist. ad Felicem Episcopum*: Marcellinus *in Epist. 2. ad Episcopos Orientis* Anno 196. Omitto reliquos Pontifices, quos reperies apud Soarez *num. 24.* evidenter concludentem, quod fit impossibile tot Pontifices, inter quos plures fuêre Martyres, totque Concilia in hoc privilegio Ecclesiam decepisse, aut Clericos contra Imperatores, Regésque per Tyranidem aut injuriam usurpâsse.

De exemptione facta per Imperatores ostensum est supra *n. 521.* Imò ex fidei

fidei Principiis hanc exemptionem esse legitimam solide convincit Soarij discursus: De fide est Ecclesiam errare non posse in præceptis morum ab universali Ecclesia, & concilijs generalibus latis, sed Ecclesia & Concilia in multis Canonibus præcipiunt hanc exemptionem, & quidem novissimè Trident. *Sess. 25. c. 20. de reform.* ita loquens. *Sæculares Principes Officii sui esse admonendos censuit, confidens eos ut Catholicos, quos DEUS Sanctæ DEI Ecclesiæ protectores esse voluit jus suum Ecclesiæ restituisse, &c. nec permissuros, ut Officiales, aut inferiores Magistratus Ecclesiæ, & personarum Ecclesiasticarum immunitatem DEI ordinatione & Canonicis sanctionibus constitutam aliquo cupiditatis studio, &c. violent.* Consonat *cap. quanquam 4. de censib. in 6.*

534. Ad Argumenta contraria *num. 531.* producta *Resp.* Ad primum DEUM manere immutatum ex eo, quod semel concessam potestatem Principi tollat, aut imminuit, non enim tenetur concessam perpetuo conservare, nec unquam pro eo tempore, pro quo statuit illam tollere, habuit voluntatem concedendi.

Respondeo ad secundum, rectè probari, quod Papa non habeat potestatem directam Clericos eximendi, ac privandi Reges sua potestate temporali, cum hoc tamen stat, quod habeat potestatem spiritualem in Principes, hæcque se indirectè extendat ad ea temporalia, quæ sunt necessaria ad finem spiritualem, prout est necessaria exemptio à potestate Sæculari per *num. 532*

Ad confirmationem dico cum Soarez *n. 11.* hanc potestatem indirectam etiam in Ethnicos in certis casibus competere Papæ.

Respondeo ad tertium, nego tale Privilegium à Principe concessum pugnare cum ejusdem dignitate, uti enim sapientissimè distinguit Soarez *n. 8.* hæc duo multùm inter se differunt: Eximitur quis ab obedientia alterius auferendo ab altero jurisdictionem: & eximitur quis ab alterius obedientia conservando in altero jurisdictionem in personam exemptam; hoc secundum repugnat estque contra jus naturale; secùs exemptio prioris modi, hæc enim est in usu quotidiano, sæpe enim Princeps eximit nobilem à jurisdictione inferioris Magistratûs; Papa Religiosos mendicantes à jurisdictione Episcopi. Exemptio per Papam à laico Magistratu facta est priore modo.

Ad Confirmationem primam est disparitas inter jurisdictionem spiritualem radicatam in Baptismo, quod sicut Baptismus nequit eradicari, ita nec subjectio Baptizati, secùs subjecti subditi relatè ad jurisdictionem temporalem.

Ad Confirmationem secundam nego esse in destructionem, quia etsi Ecclesia per se ipsam non distringat gladium sanguinis, potest tamen urgente bono publico eum exercere per Magistratum sæcularem delegando vices jurisdictionis suæ, quam habet in Ecclesiasticos, ut scelera non sint impunita.

535. Quæres quartò an Exemptio à Principibus concessa personis Ecclesiasticis, rebusque Ecclesiarum per constitutiones eorundem à summo Pontifice acceptatas possit revocari ab iisdem. Dixi per *Constitutiones Principum à Pontifice acceptatas*, quia Privilegium exemptionis

ptionis prout concessum à Pontifice (de quo vide *n. 532*) sicut est independens à voluntate Principum in fieri, ita in conservari Soarez *lib. 4. defens. fidei Cathol. c. 30. n. 6.*

Respondeo negativè cum Soarez *c. 20. à n. 7.* Laym. *lib. 4. tract. 9. c. 8. n. 1.* ex communi probatur Privilegium, aut donatio facta non subditis, & superiori, non est revocabilis; Princeps enim urbem sibi subjectam plenâ libertate donans nequit eam ad subjectionem revocare, ut docent passim Publicistæ apud Aug. Michel *tom. 1. Theolog. Canonico-Mor. fol. 687.* Sed Privilegium exemptionis concessum à Principibus, est donatio facta non subditis, & superiori, ergo non est revocabile. Explicatur cum Soarez *num. 9.* Privilegium istud est partim concessum omnibus Ecclesiasticis Papa inferioribus, partim ipsi Papæ, consideratum hoc secundo modo est concessum superiori quâ tali nempe Papæ, qui jure divino est superior Principibus per *num. 526.* priore verò modo est quidem concessum subditis nempe vi suppositionis, quod Ecclesiastici à nullo aliàs fuerint exempti at eosdem liberat à subjectione, proinde semel datum jam inest exemptis irrevocabiliter, cum in eos cesset jurisdictio, uti patet in exemplo datæ libertatis urbi priùs subjectæ.

536. Dices primò jus eximens Ecclesiasticos est Civile uti quæstio supponit, ergo authoritate Principis mutabile. Secundò res per causas nascitur, per easdem dissolvitur, ergo exemptio constituta à Principis voluntate, per hanc etiam potest dissolvi. Tertiò sæpe Imperatores revocârunt talia Privilegia apud Gratianum in *Can. omnes §. Hæc si quis 11. q. 1. & L. si quis Curialis C. de Episcopis & Cleric, & L. neminem & Authentic. quas actiones C. de SS. Eccles. & L. 19. in Cod. Theodos. de Episcop. & Cler.* Quartò Principes successores concedentium possunt dicere antecessores suos non potuisse præjudicare suo juri.

Respondeo cum Soarez *c. 30. à n. 14.* Ad primum postquam Papa acceptavit, id est Canonizatum, uti Jurisconsulti loquuntur, id est, ex civili effectum Canonicum, seu Ecclesiasticum. Ad secundum dico illud principium procedere de rebus pendentibus etiam in conservari ab ijsdem causis, in casu nostro Privilegium in conservari pendet à voluntate Pontificia potentiore, omissis alijs Frideric. Imperat. Privilegium fori amplissimum, tam in criminalibus, quam in civilibus causis Clericis collatum de quo *n. 521.* est acceptatum ab Honorio III. his verbis in fine adjectis: *Nos Honorius Episcopus servus servorum DEI has leges à Frideric. Rom. Imp. Filio nostro Charissimo pro utilitate omnium Christianorum editas laudamus. approbamus, & confirmamus tanquam in æternum valituras.* Ita apud Soarez *c. 12. n. 11.* Approbationem Pontificiam esse necessariam, ut vim legis habeant respectu Ecclesiasticorum, sequitur ex dictis, quod Ecclesiastici non sint subditi Principum, & ideo constitutiones etiam ijs favorabiles nequeunt esse leges, nisi superveniat confirmatio Pontificis Ad tertium dico referri facta, ast non probari jure esse facta. Ad quartum Respondeo successores aut sunt tales jure hæreditario, aut non hæreditario sed alio titulo justo cum suprema potestate Reg-

Regna occupant : utroque modo succedentes nequeunt revocare Privilegia justo titulo ab antecessoribus concessa, cum nequeat succedere in ampliorem jurisdictionem, quam majores habuerint. Quæ ratio etiam habet locum in supremis Regibus nunc possidentibus terras, quæ olim erat Imperij.

Si dicas Friderici Privilegium non posse stringere Principes Christianos, qui tempore concessionis erant supremi, ergo hos non obligat. Respondeo cum Soarez *n. 17.* nego consequentiam, quia Privilegium Friderici non est novum, sed renovatum jam antiquitus ab Imperatoribus concessum apud Soarez *c. 12.* Deinde Regna omnia id acceptâsse, negari non posse testatur Soarez idque colligitur à posteriori, cum aliqui, uti de Republica Veneta refert Gigas *in tract. de crimine læsæ Majestatis sub Rubric. quis de illo cognoscat n. 20.* habeant Privilegium Apostolicum in aliquibus casibus agendi contra exemptionem.

Loquendo de Regibus ad fidem noviter conversis tradit Soarez posse eos à Papa cogi, ut hanc exemptionem admittant, nempe non aliter illis concedendo Ministros Ecclesiæ, proinde cum illis quasi contrahere. Hæc conditio subintelligitur in ipsa professione obedientiæ Pontifici præstandæ, etsi non exprimeretur.

Quæres an saltem à Pontifice queat revocari prout concessum à Principibus & confirmatum à Papa. Respondeo cum Soarez *à n. 18.* negativè tum quia revocari non potest nisi abdicando totam jurisdictionem temporalem directam à Principibus concessam, hanc autem nequit abdicare quia Pontifex non est absolutus Dominus bonorum, & jurium Ecclesiæ, cum non sint personæ, sed sedis Apostolicæ : tum quia acquisitum jus toti statui Ecclesiastico non potest pro arbitrio tollere : tum quia non habet potestatem in destructionem, sed in ædificationem.

537. Quæres quintò an præscriptione aut consuetudine Ecclesiastica immunitas possit aboleri à sæcularibus. De hac quæstione vide Laym. *lib. 4. tract. 9. c. 10.* Soarez *c. 34.* August. *Michel to. 1. Theolog. Canonico-Moral. fol. 689. à vers. Pro certo tenendum, &c.* monentem, quod Covarruvias etsi sit vir celeberrimus, ac Doctissimus in materia libertatis Ecclesiasticæ habeatur pro suspecto, & ideò cautè legendus sit : idem censet Soarez *tom. 1. de Relig. lib. 1. de divino cultu c. 38. n. 16.* Bellarm. *in Responso ad Epist. in* favorem Venetorum.

Respondeo negativè, & quidem non posse præscribi, probatur quod contra jus divinum præscribi non possit, immunitas autem Ecclesiastica est juris divini per *n. 526. & sequentes* Deinde etiam juxta sententiam negantem esse juris divini est ratio hæc, quod jurisdictio in Personas Ecclesiasticas, & res sit spiritualis, cujus possessionis laici sunt incapaces. *C. 7. de præscript. c. 51. de elect.* sine qua præscriptio inchoari non potest.

De consuetudine etiam Responsio est certa, dato quod divinitus sit immunitas concessa, verum etiam suppositâ opinione contrariâ suadetur, quòd irrationabilis damnetur *Auth. Cassa & irrita C. de SS. Eccles. & c. Clericis 8. de judiciis.* Ratio fundatur in recepta Regula Canonistarum pro irrationabili

habentium consuetudinem, quando hæc enervat Ecclesiasticam disciplinam, aut Ecclesiæ libertatem, Etsi esset immemorialis, nisi sit adjuta alio titulo, aut Apostolico indulto, Laym. *n.* 1. Soarez *lib. 4. defens. fidei c. 34. 17.* ( addit *n. 18.* tale Privilegium si datum esset semper ex causa justa revocari posse, quia nunquam in pertinentibus ad supremam Papæ potestatem potest præscribi Innocent. *in C. 2. n. 2. de postulation. Prælatorum* ) talis est hæc consuetudo utpote confundens disparatas jurisdictiones in personas Deo dicatas, inverténsque libertatem, ac statum Hierarchicum. Confirmatur consuetudo non valet sine legitima præscriptione, hæc in personas Ecclesiasticas resque ad cultum divinum spectantes nequit legitimè currere, cum ei resistat jus præsertim Trident. allegatum *num. 533.*

Cæterum valet persona sæcularis habere jurisdictionem quoad aliqua in Ecclesiasticos, resque Ecclesiarum. Primò si eam sibi reservat Fundator cum consensu Papæ, aut Episcopi, Molin. *de just. tract. 5 Disp. 6. n. 6.* Laym. C. 5. August. Michel *fol. 690.*

Secundò cum Papæ consensu Principes possunt reservare sibi jura Regaliæ annuasque pensiones ab Ecclesia sibi solvendas *per textum. C. præterea 25. de jure patronat.* Unde gravi ex causa potest Papa aut generale Concilium eisdem concedere aliquam jurisdictionem in Ecclesiasticos Layman. *c. 8. in fin.* sic apud cit. Michel *num. 9.* Concilium generale Lugdunense XI. Gregor. X. 1274. celebratum toleravit jus Regaliæ in Galliæ Regibus quoad Ecclesias in quibus ab immemoriali exercebatur interdictâ extensione sub pœna excommunicationis latæ Sententiæ ad Ecclesias, quæ usque ad id tempus ab hoc onere erant liberæ.

Item arguitur à pari: ante Concilium Lateranense, decimæ datæ Ecclesijs, in feudum per Concilium concessæ sunt laicis *c. cum Apostolico 7. de his quæ fiunt à Prælatis, & c. 2. §. sanè de decimis in 6.* ergo etiam jurisdictio in Ecclesiasticos à Papa concedi potest, cum non minus decimæ sint annexæ rei spirituali, quam jurisdictio in Ecclesiasticos.

Si est ab immemoriali ejusmodi jurisdictionis usus probabiliter præsumi titulus justus, aut reservationis, aut Apostolici Privilegij, seu prout loquitur citatus Michel *n. 10.* quod sit præscriptus titulus factæ reservationis in fundatione, aut Apostolici privilegij Laym, *c. 10. num. 2.*

Ex hoc principio apud citatum Michel non contradicentem defendunt Publicistæ jurisdictionem, quam Imperator in status Imperij Ecclesiasticos exercet, hi enim in omnibus actionibus realibus, & personalibus eorundem bona concernentibus, etsi nulla reservationis pacta, aut indultum Apostolilicum produci possint, immediatè in Aulico Imperatoris Consilio, aut Spirensi Camera conveniendi sunt.

Quod consueverint Ministri sæcularis Justitiæ Clericos in delicto deprehensos detinere, ac comprehendere, id non fit titulo jurisdictionis *C. cum non ab homine de judic. & c. si clerus de foro compet.* sed titulo defensionis Reipublicæ ( cui valde expedit impedire delicta, Soarez cit. *c. 34. n. 15.* ) ut eos suis Prælatis præsentent.

An

## An jure Canonico, & Civili sint injusta, ac irrita Decreta, quibus Ecclesiastici arcentur à comparandis, & acquirendis bonis immobilibus.

538. Respondeo affirmativè: probatur ea decreta sunt injusta, & irrita, quæ feruntur in personas à personis destitutis jurisdictione, decreta enim procedunt à superiore in subditos, ut sint justa & valida, sed decreta, quibus arcentur Ecclesiastici à comparandis, & acquirendis bonis immobilibus, feruntur â personis nempe laicis destitutis jurisdictione in Ecclesiasticos, ergo. Major est evidens, minor est demonstrata *à n. 526, & 533.*

Respondent adversarij decreta directè ferri in subditos laicos, quibus prohibetur translatio bonorum in Ecclesiasticos.

Contra est, quod sit juris clarissimi, fas non esse prohiberi indirectè id, quod directè prohiberi non potest, C. *quanto 26. de privileg.* quòd enim unâ viâ denegatum, intelligi debet denegatum & alterâ. *Gloss. in c. quanto Verb. in fraudem de privileg.* Sed potestas Laica directè Ecclesiasticis prohibere non potest, quo minus possint acquirere quovis modo licito bona immobilia, ergo nec indirectè, consequentia hæc, & ulterius major apertè decisa est in *C. fin. de Ecclesiar. immunit in 6.* in quo excommunicantur Domini temporales, *qui interdicunt suis subditis ne Prælatis, aut Personis Ecclesiasticis, quidquam vendant, aut emant ab eis, item ne illis bladum molant.*

Confirmatur in effectu perinde est prohibere subditos, ne vendant Ecclesiasticis, ac istos prohibere emere id, quod jus naturale, & gentium illis concedit, unde est manifeste in fraudem; & contra mentem statuentis cum in similibus juxta notabilem Glos. in *cit. c. quanto* consideranda sit potiùs mens quam verba, nam verba deserviunt intentioni, & non è converso intentio verbis.

539 Dices quod ea quæ sunt de jure naturali, & gentium positivo, seu præceptivo non possunt Ecclesiasticis adimi, nam naturale jus positivum est immutabile, possunt autem adimi, quæ sunt de jure naturali permissivo, sic subditis prohibetur piscatio, venatio, &c. quia sunt juris naturalis permissivi, atqui emptio &c. immobilium est juris naturalis permissivi, ergo potest prohiberi Ecclesiasticis pro exigentia publicæ utilitatis. Respondeo subditis posse prohiberi est verissimum, secùs non subditis, cum nullus valeat jurisdictionem suam extendere in non subditos *L. fin. de jurisdiction omn. Judic.* Igitur solus Pontifex potest vetare in certis casibus, ne Ecclesiastici comparare possint bona immobilia.

Unde rectè August Michel *tom. 1. Theolog. Canonico-Moral. fol. 695.* post Bonac. scribit: *statuta seu leges per quas Ecclesiastici timidiores fiunt, libertati Ecclesiasticæ adversantur* ex Bart. *in Auth. Cassa de SS. Eccles. tunc autem Ecclesiastici timidiores dicuntur fieri, quoties privantur iis rebus, quæ jure naturali gentium, & civili communia sunt civibus, aut quoties non permittuntur frui rebus, qui bº reliqui cives fruuntur, & Ecclesiastico statui non repugnant, aut quoties fiunt deterioris conditionis, etiam in illis bonis temporalibus, quæ communia sunt omnibus civibus.* Eadem legi possunt apud Pal. *p. 2. tr. 12. p. 8. n. 7.* ubi etiam expressit: *Clericos ratione Clericatûs non desinere esse cives, & partes Reipublicæ, quin omnibus secularibus dignores esse, injustè igitur privilegiis aliis concessis privari, &c.*

Quod etiam de jure civili præfata decreta, quæ dici solent leges Amortizationis per *n.* 522. non minus ac de jure Canonico sint reprobata monstratum est *numero 521.* maximè ex *Auth. Cassa, & irrita* Frideric. Imperator. Est præterea apertissima Justiniani *L. 20. Cod. de SS. Eccles.* Contra patronos amortizationis, quam integram apud cit. Michel *fol. 698. n 5.* legere potes.

Privilegium istud semel concessum, ac ab Ecclesia acceptum à Principibus irrovocabile esse constat ex *num. 535. & seq.*

## *Fundamenta fautorum Amortizationis annullantur.*

540. FUndamentum primum. *Ecclesia, & Respublica pari passu ambulant.* proinde pari favore gaudere debent, sed si sic Ecclesiastici in acquisitione immobilium nullo possunt uti privilegio contra Rempublicam pariter privilegiatam juxta notissimum axioma apud Barbos, *Axiomat lib. 4. C. 11. n. 6.* præsertim cum Respublica certet de damno vitando, & Ecclesia de lucro captando.

Respondeo primò negando suppositum, supponit enim argumentum, quod Ecclesiastici dependenter à privilegio prætendant jus emendi immobilia, hoc autem suppositum est falsum, cum non jure singulari (in quo situm est privilegium) sed jure naturali, gentium, & civili omnibus communi jus suum probent.

Respondeo secundò Axioma hoc: *Ecclesia, & Respublica pari passu ambulant* desumptum ex *L. fin. C. de SS. Eccles.* juxta Gloss. in pr. non procedere extra tres casus in legis textu expressos (alioquin æquiparatio non procedit) nempe in præscriptione centenaria actionum personalium earundem, in acquisitione Dominii, sive traditione possessionis, & in hypotheca competente in rebus relictis emptis, &c. secùs in alijs; siquidem ut notat Card. Hostiens *in Clem. 1. de Sumâ Trinitate Column. 1. in fin.* Ecclesia est, & in jure dicitur communis Mater, Caput, Cardo, Domina, proinde etiam Reipublicæ, atque adeò hæc est filia, ac subdita. Exemplum hujus prærogativæ est evidens in testamento minus solenni, ex quo Ecclesia Capit hæreditatem *C. cum cesses, & c.* rela-

*relatum de testam.* Secùs Respublica, aut Imper. *L. 3. ex imperfecto, inquit, testamento, nec Imperatorem hæreditatem vindicare posse sæpe constitutum est C. eod.*

Respondeo tertiò si sermo est rebus ab Ecclesia comparandis titulo oneroso ut emptionis, permutationis, Ecclesia non agit de lucro captando (hoc enim sonat rem accipere gratiosè seu sine onere) sed onus imponitur utrique parti. Ad Summum dictum illud procedit in donatione, hæreditate aut legato relicto alicui pio loco: verum nec tunc vim habet, cum Respublica nihil amittat de suo; non est Domina bonorum civium; & si hi titulo gratuito capere possunt, cur non Ecclesiastici?

541. Non est hic omittenda animadversio, quod venditoribus, eorúmque uxoribus, & prolibus longè meliùs consulatur relictâ jis libertate pro pretio transferendi in Ecclesiasticos, nam sic pretium pinguius, ídque certius sperare possunt, quam à sæcularibus, quibus ut præsenti suæ necessitati succurrant, coguntur pretio inferiore, eóque regulariter imparato, aut minutis partibus solvendo: quo fit, ut venditores nequeant integrè sublevare inopiam. Certè si quis Publicista ad ejusmodi angustias redactus interrogaretur, cui ex prafatis Emptoribus optaret vendere, an Monasterio æs paratum, ídque competens persolvuturo, aut sæculari minoris licitantis, ac minutim, & quidem sæpe incertò satisfacturo, haud dubiè sentiret nobiscum.

Respondeo quartò demus Monasteria captare lucrum, nego tamen inde Rempublicam damnum pati: nam si Monasterium bona augeri possunt, etiam plures sæculares possunt suscipi, ac ali, quo modo multi sæculares prolibus utriusque sexûs onerati juvari possunt per earum susceptionem, quæ si domi manerent, ali non possent, aut valdè ægrè, filiæ non elocari ob defectum dotis, &c.

Dixi *demus* nam in præsenti quæstione, si solis sæcularibus fas sit attrahere bona immobilia exclusis Ecclesiasticis, dico ingens damnum eos pati, nam jus naturale, & gentium dedit jis jus acquirendi bona quovis modo non illicito, hoc jus est multùm æstimabile, dum id accrescit sæcularibus, hi captant lucrum, Ecclesiastici verò ejus patiuntur jacturam, ergo falsum est Rempublicam certare de vitando damno, & Ecclesiam de lucro captando.

542. Fundamentum secundum, quod est conforme scripturæ sacræ non est injustum, ac irritum, sed decreta Ecclesiasticis vetantia comparationem immobilium sunt conformia sacræ scripturæ, tum veteri, tum novæ; veteri quia Deutron. 18. *Statuit, ut Sacerdotes & Levitæ, ac omnes, qui de eadem tribu sunt, partem, ac hæreditatem cum Reliquo Israële non habeant, quia,* inquit, *sacrificia Domini, & ejus oblationes comedunt*: Novæ verò Matth. 10. ubi Dominus jubet Apostolis, ut nihil possideant, *non pecuniam, non duas tunicas, &c. non enim est Discipulus supra Magistrum.* Christus autem nullam habuit possessionem, & Luc, 14. *nisi quis renuntiet omnibus, quæ possidet, nequit esse Christi Discipulus*, sed omnes Ecclesiastici sunt Christi Discipuli.

Respondeo iste fuit error Wiclefi apud Bellarm. *tom. 1. de Clericis c. 26.* quod Clericis sint illicitæ possessiones, ergo Ecclesiæ errorem hunc damnans docet possessiones Ecclesiasticorum non esse contra, sed juxta scripturam.

Dico ergo cum cit. Bellarm. Sacerdotibus, ac Levitis non fuisse vetitas possessiones (licèt in partitione terræ non erant habituri agros, & vineas) quia possessuri erant urbes, & suburbana, poterántque emere agros, & vineas, uti constat ex *Numeror. 35. in pr.* Quòd Laym. dicat eis fuisse concessum duntaxat usum, non proprietatem, fallitur, quia *Levitic. 25. à vers. 29.* patet Sacerdotes, & Levitas fuisse proprietarios, siquidem concessa fuit illis venditio, & redemptio domorum, non minus ac aliis.

Scriptura dicens Sacerdotes, & Levitas non debere habere quidquam, eo quod Dominus sit illorum hæreditas, & possessio, est intelligenda, quod nequeant habere more aliorum tanquam filios Jacob, id est, ex paterna hæreditate, secùs aliunde, nempe ex debitis DEO, cujus erant Ministri.

Ad ea quæ opponuntur ex Evangelio dico accipienda esse de Apostolis ante Christi passionem, quo tempore, ut expeditius Christum sequerentur, non expediebat habere stabilia ita cit. Bellarm. *ad illud Matth. 10. nihil tuleritis in via*, secùs post Ascensionem Christi, quo tempore cæperunt habere curam Ecclesiarum, sedésque figere, unde ab eo tempore eos recepisse temporalia legimus *Actor. 4. 5. & 6.*

Textus ille *non est Discipulus supra Magistrum* loquitur aut de tribulationibus (quas Christus est passus quam plurimas, ac in jis cupit sui imitatores) non de possessionibus.

Ad Testimonium S. Lucæ Respondeo cum Aug. *ex Epistol. 5. ad Marcellinum* esse intelligendum de animi præparatione, uti est evidens ex antecedentibus in eodem capite, *si quis*, inquit, *venit ad me, & non odit Patrem & Matrem, & uxorem adhuc autem, & animam suam, non potest esse meus Discipulus*, qui locus sumi debet de præparatione animi, nempe pro casu, quod aut offendendus DEUS, aut citra offensam DEI defendus, offendendúsque Pater, Mater, &c. hi potiùs DEO postponendi sint.

543. Fundamentum tertium. Non est mens Amortizantium Catholicorum, omnia immobilia ab Ecclesijs, & Ecclesiasticis avellere, nec eorum facere jure divino incapaces, ut fecit Wiclefus, sed moderamen ponere, ne deinceps deveniant in Ecclesiasticorum jurisdictionem, sic enim eximerentur à Vectigalibus, oneréque similium impositionum in gravamen laicorum: præberetur Ecclesiasticis luxuriandi, lasciviendíque ansa ex auctis ultra modum facultatibus ita Henric. Zoësius *de successionibus ab intestato n. 10.*

Respondeo argumentum istud esse nullum, nam aut loquitur de bonis feudalibus, aut de allodialibus; si de feudalibus, an possint transire ad Monasteria, &c. sufficienter exposui *à n. 440.* Si de Allodialibus, his nullum est annexum onus præstandi Principibus obsequia personalia, sed servitia realia, ut Steurarum, collectarúmque pro conducenda militia in Patriæ, Principísque

que defensionem, in his nihil subtrahitur Principi, etsi bona transeant ad Ecclesias, &c. quia transeunt cum onere suo, longéque fideliùs id præstant Ecclesiastici, quam sæculares.

Porrò illud est indignum tam celebri Legista, uti erat Zoësius volenti subtrahi Ecclesiasticis materiam luxuriandi, quasi his deessent Pontifices, Legati Apostolici, Archi-Episcopi, &c. qui coërceant pœnis debitis excessus: ad hos non ad sæculares judices spectat invigilare Ecclesiasticis, eósque judicare. Meminerit Zoësius, quid S. Martinus Turonensis Episcopus in faciem dixerit Maximo Imperatori: *Novum, & inauditum nefas est, ut causam Ecclesiæ Judex sæculi judicaret*, & quid Papa Gelasius in Epistola ad Anastas. Imperatorem rescripserit: *Nosti*, inquit, *fili dilectissime, quod licet præsideas humano generi dignitate rerum terrenarum, tamen Præsulibus divinorum devotus colla submittas.*

544. Fundamentum quartum. Quòd opinio sustinens valorem sæcularium decretorum, quibus Ecclesiastici arcentur à comparatione bonorum immobilium pluribus in Provincijs, & Regnis sit recepta, nempe in Gallia teste Gulielmo Benedicto *in c. Raynutius verb. uxorem nomine Agelusiam n. 44.* De districtu Parisiensi scribit Rebuffus *de decimis q. 14. num. 50.* Gaill. *Lib. 2. Observ. 32. n. 5.* testatur in aliquibus locis Germaniæ Clericis prohiberi emptionem rerum immobilium, aut rerum alienationem extra familiam possidentibus patrimonialia: item aliis statutis prohibentur subditi in specie alienare res immobiles in Ecclesiasticos. Addit ejusmodi statuta, si intentio statuentium rectè consideretur, non esse úsque adeò exorbitantia, neque contra Ecclesiasticam libertatem, sed magis ad publicam utilitatem, & conservationem familiæ, & agnationis: dispositio enim non est censenda contra libertatem Ecclesiæ, cujus authoritate aggravatur persona Ecclesiastica, publicâ ulilitate hoc exigente, sed potiùs subditorum potestas limitatur. Idem practicari in Lusitania testis est Molin. *tract. 2. Disput. 140. vers. quin de jure hujus*; & apud August. Michel *tom. 1. Theolog. Canonico-Moral. fol. 722. n. 2.* de Anglia adhuc Catholica, Greg. Tholossan. de Mediolano, Signoratus *de homad. Consil. 21.* De Republica Veneta Authores agitantes differentias inter eandem & Paulum V. De Austriacis Provincijs fidem facit, Baro Schmid Bavariæ Cancellarius in suis Commentarijs in jus Bavaricum. Hanc objectionem citatus Author sic concludit: Certè tot Regnorum, & Provinciarum statuta, leges, & consuetudines improbare, & ut vitiosas damnare, nobis videtur nimis præsumptuosum.

545. Respondeo argumentum hoc arguere à facto ad jus, vis enim illius sita est in hoc: pluribus in Regnis derogatum est Ecclesiasticæ immunitati, quoad comparanda immobilia, ergo licitè derogari etiam potest alibi: hæc consequentia est nullius momenti, cum fiant quam plurima, quæ non licent.

Unde sic arguitur, aut in nominatis Provincijs fiunt hæc viâ præcisè facti, aut viâ juris specialis, scilicet privilegij, si viâ privilegij; consequentia Domini Can-

Cancellarij est nulla, si vi facti, ergo de jure sunt injusta per *n. 538.*

Responsio hæc est quoad rem Eximij Doctoris Franc. Soarez *in defension. fidei Cathol. contra Angliæ Regem lib. 4. c. 32. num. 22.* Ita loquentis. *Ex dictis satis constat, nullam consuetudinem, etsi immemorialis sit ullo modo contra immunitatem Ecclesiasticam prævalere posse: solùm objici solent quædam particulares consuetudines aliquorum Regnorum, quæ licet sint contra immunitatem Ecclesiasticam sine scrupulo à Magistratibus laicis observantur, ad illas verò possumus uno verbo respondere, illas consuetudines non ad jus, sed ad facta hominum pertinere, propter quæ veritatem negare non possumus, nec illorum rationem dare tenemur, sed ad illos spectat, qui consuetudines illas observant.*

546. Bonum publicum, quo Gaillius nititur justificare legem Amortizationis nihil ad rem facit, sic enim nulla lex civilis imminuens Ecclesiasticam libertatem foret injusta, quia omnis saltem indirectè fertur in bonum publicum *Can. 2. dist. 4.*

Deinde sicut bonum universalis Ecclesiæ prævalet bono universali totius civilis Imperij, ita status Ecclesiasticus unius Regni, aut Provinciæ est superior bono publico civili illius Regni, aut Provinciæ, atqui propter bonum publicum totius Imperij nequit condi lex civilis præjudicans libertati Ecclesiæ universæ, ergo nec ullus Princeps in Regno suo potest condere legem præjudicialem statui Ecclesiastico ejusdem Regni. Accedit quod lex civilis lata contra immunitatem Ecclesiasticam unius Regni, eo ipso sit contra immunitatem universalis Ecclesiæ, immunitas enim Ecclesiastica non est particulare, aut personale privilegium, sed competens toti statui Clericali.

Quod Gaill. *cit. n. 544.* dicat decreto Amortizationis gravari potiùs subditorum laicorum potestatem, quàm personas Ecclesiasticas, est refutatum *num. 538.* ubi probavi etiam indirectam imminutionem Ecclesiasticæ libertatis valere non posse.

Demum nunquam in jure est auditum, quod bonum publicum, aut necessitas conferat jurisdictionem, hæc enim est, aut ordinaria data aut à lege, aut à supremo Principe, vel à legitimè præscripta consuetudine, aut est extraordinaria, seu delegata ab ordinario Judice *c. duo simul 9. de Offic. Judic. Ordinar.* sed nullo modo ex recensitis competit jurisdictio laico Principi in Clerum Rationem dat cit. Soarez *num. 8.* quod jurisdictio, seu potestas proveniat à voluntate superiore, unde etsi quis egeat pœnâ, nullus tamen privatus etiam in defectu superioris acquirit jurisdictionem in eum, qui eget correctione, sed ad summum privatus poterit corripere, quantum necesse foret ad justam, & moderatam sui aut alterius defensionem. Vide cit. Soarez eximiè demonstrantem *à num. 5.* quod nulla necessitas fundare possit jurisdictionem in Ecclesiasticos.

Qui plura contra sufficienter annullatum fundamentum quærtum desiderat, legat August. Michel *Tom. 1. Theolog. Canonico-Moral. à fol. 721. sect. 5.* ubi inter alia leget totam historiam inter Rempublicam Venetam, & Pau-

Paulum V. ortam occasione incarcerationis quorundam Clericorum, ac decreti Amortizationis Anno 1605. promulgari pro toto Dominio Veneto, argumento ducto à Gallia, Lusitania, &c. intelliget ibidem à Paulo fuisse reprobatum utrumque, ac excommunicatum senatum publicantem illud ex sententia omnium Cardinalium (exceptis Venetis Delphino, & Valerio) totúmque Dominium interdicto Ecclesiastico subjectum, quod revocare nollet decretum (etsi opponeret senatus Ecclesiasticis nullum inferri damnum, quia si eis quid testamento relinqui contingit, pretium bonorum solvitur) nec Clericos reos remittere foro Ecclesiastico.

547. Fundamentum quintum. Decreta emanata juxta probabilem sententiam non sunt injusta, talia sunt Decreta Amortizationis, duo enim, tresve Authores Classici faciunt sententiam probabilem, sententiam autem quod licita sit, ac justa Amortizatio, sive Decretum vetans alienationem immobilium in Ecclesiasticos docetur à longè pluribus, nempe à Gaill. Molin. cit. *n. 544.* Henrico Zoesio, *ad 3. Decretal. tit. 27. n. 9.* Cassaneo *in consuet. Burgund. Rubr. 9. §. 10. n. 52.* Jacobo de Graffeis *lib. 4. c. 18. n. 233.* Olibeno *tract. de jure Fisci c. 7. n. 31.* Alciato *ad Auth. Cassa de SS. Ecclesijs, &c.*

Respondeo ut in moralibus faciat Author opinionem suam verè probabilem plures requirunt conditiones Soarez, Vasquez, Sanchez, Palao, & alij innumeri Theologi, quæ revocantur ad duas, ut sit peritus & pius. Ad peritiam spectat notitia universalium principiorum, ex quibus deducuntur conclusiones particulares in moralibus: ac ut non perfunctoriè, sed exactè materia nondum ab alijs ventilata discutiatur ex solidis rationibus, si autem jam ab alijs sit discussa, ipséque oppositum sequatur, opus est, ut fundamentum suæ sententiæ sit novum à patronis communis sententiæ indissolutum,ècontra diluat solidè rationes contrariæ sententiæ. Ad pietatem spectat, ut procedat ex Zelo bono, seu desiderio, quo cupit actiones humanas conformari receptis legibus non ad ostentationem ingenij, aut ex affectu Clericis infesto. Tales conditiones non habent præfati Authores, nam excepto Molin. (hic nihil scribit in favorem eorum, sed præcisè refert, quid in Lusitania fiat, uti patet cuivis eum legenti: & Graffeis Clerico sæculari, sunt meri Jurisconsulti, & quidem plerique scribentes ante controversiam inter Venetos, & Paulum V. dempto Zoësio: sæculares autem in rebus moralibus non habere sufficientem peritiam proximè expositam, discimus ex oraculo Pontificio. [*C. 3. de immunit. Ecclesiarum in 6. Clericis*, inquit, *laicos infestos oppido tradit antiquitas, quod & præsentium experimenta temporum manifestè declarant, dum suis finibus non contenti nituntur in vetitum, ad illicita fræna relaxant, nec prudenter attendunt, quàm sit eis in Clericos Ecclesiæ Ecclesiasticasve personas, & bona, interdicta potestas.* Hoc solùm sufficeret ad infirmandam assertam probabilitatem. Verum ut luculentius pateseat fundamenti quinti nullitas amplius sic progredior adversus istos Doctores.

548. Suæ opinionis, torrenti Canonistarum, Theologorum, & Oraculo Pontificio Pauli V. oppositæ, nullum solidum producunt fundamentum, minùs diluunt argumenta nostræ opinionis, nam Princeps, & Coryphæus Amortizantium inter Germanos est B. Schmid, cujus fundamenta hucúsque examinavimus, vidimúsque imbecilia, *reducuntur enim ad ista: fas est Ecclesiæ præjudicare in acquirendo: lex lata boni publici intentione non violat libertatem Ecclesiasticam: in pluribus Provincijs sic practicatur: est opinio probabilis licitam esse Amortizationem.*

Sed hæc omnia nihil probant, ut ex hactenus dilutis constat, continéntque petitionem principij, reddunt enim pro ratione id, de quo quæritur, quæstio enim est an in acquirendo potestas sæcularis possit præjudicare, ac præjudicet libertati Ecclesiasticæ, Respondes, quod sic: reddísque pro ratione, quod aut non præjudicet, aut præjudicare possit ex intentione boni publici: hoc totum est in quæstione, & si bonum publicum prætensum prævaleret, nulla lex civilis contra libertatem Ecclesiasticam esset injusta per *num. 546.* Veneti prætendebant bonum commune in suo Decreto Amortizationis, & tamen à Paulo V. damnati sunt, neque eos juverunt facta, quod prius ab annis trecentis fuerit Decretum, ne insciâ Republicâ novæ inducantur Ecclesiæ, morémque fuisse quodvis genus hominum in gravissimis criminibus judicare. Facta quarundam Provinciarum nullum faciunt jus, proinde nec justitiam Amortizationis. Patet ergo Patronos hujus nullâ niti soliditate positivâ, non etiam negativâ solvendo rationes nostræ sententiæ.

549. Fundamentum sextum. Potest testator repellere hæredem ab hæreditate, si Religiosus fiat, ut bona sint penes familiam, ergo etiam Princeps in sua ditione statuere, ne immobilia alienentur Ecclesiasticis. Consequentia hæc urgetur primò à paritate statuti vetantis efferri, aut inferri certas merces, etsi eo obligentur etiam Ecclesiastici tum domestici, tum externi. Secundò à paritate requisitæ solennitatis pro contractibus pupillorum, minorum, &c. quam tamen observare tenentur etiam Ecclesiastici. Tertiò à paritate prohibitæ legè civili alienationis fundi dotalis extendente se etiam ad Clericos, nam lex reddit fœminam inhabilem ad alienandum in favorem ejus, ut bona conserventur; cur non etiam favore boni publici prohiberi possit alienatio immobilium in Ecclesiasticos, ut bona conserventur penes sæculares.

Respondeo ad sextum negando consequentiam: disparitas est, quod testator sit Dominus rei, & ideo etiam moderator, ac arbiter *L. in re c. mandati*, intra limites bonorum morum, prout his non repugnat conservatio bonorum penes familiam pro casu ingressûs in Monasterium. Econtra Princeps non est Dominus bonorum spectantium ad privatos, sed habet duntaxat jurisdictionem, quæ nec indirectè se potest extendere ad Ecclesiasticos in materia immunitatis per *n. 538.*

Ad consequentiæ probationem primam Respondeo cum Soarez *lib. 3. de leg. c. 24. n. 6.* Laym. *lib. 1. tract. 4. c. 13.* in pr. & communi leges civiles continentes materiam cõmunem laicis, & Clecis pro tota cõmunitate latas boni publici causa

causa, quæque possint servare cum decentia sine gravamine Clericorum obligare etiam Clericos quoad vim directivam, non coactivam *c. 1. 8. & sequent. dist. 10. c. 1. de novi operis nunciat.* Ejusmodi est lex prohibens efferri, aut inferri certas merces; lex autem Amortizationis non concernit totam communitatem, sed solis sæcularibus, quibus vis dat facultatem acquirendi immobilia exclusis Ecclesiasticis, quæ exclusio est aperta statûs Ecclesiastici depressio, atque est lex iniqua, cum æquitas legis postulet æqualiter, & promiscue tangere omnes, prout tangit lex de mercibus non efferendis.

Dixi quæque possint servari *cum decentia*, ut insinuetur ad operas publicas statum Cericalem dedecentes obligari non posse.

Ad probationem secundam est eadem disparitas, nempe quod lex de solennitatibus sit promiscua, ac communis omni civium generi, in nostro casu est singularis, gravánsque directè, aut indirectè solos Ecclesiasticos.

Ad tertiam est idem discrimen, nam quod fœmina inhabilitetur ad dotem alienandam est commune laicis & Ecclesiasticis.

550. Fundamentum septimum. Pontifex prohibuit, ne bona Ecclesiastica alienentur in sæculares sine certis solennitatibus, inter quas una est, ut fiat cum Licentia Pontificis prout constat *ex toto titulo de rebus Ecclesiæ alienand.* ergo etiam potest Princeps prohibere laicis, ne Ecclesiasticis vendant immobilia sine suo consensu. Respondeo argumentum niti trinâ, eáque falsâ suppositione. Prima supponit alienationem prohiberi fieri solis sæcularibus, cum prohibeat alienari etiam in Ecclesiasticos. Secunda falsò supponit, quod solus Pontifex prohibeat, alienari bona Ecclesiæ, cum tamen prohibeat etiam civile *L. jubemus §. œconomus c. de SS. Eccles.* Tertia falsò supponit quod laici non sint subditi Pontificis indirectè quoad negotia civilia, quando horum prohibitio, aut concessio servit ad specialem finem spiritualem, rectam Ecclesiæ gubernationem, cultúsque divini conservationem. Econtra Princeps sæcularis nec indirectè potest disponere in gravamen Ecclesiasticorum defectu jurisdictionis. Est ergo lata differentia.

551. Fundamentum Octavum. Valet statutum sæculare, vi cujus primogenitus filius sit hæres bonorum omnium, secundo vero geniti, ac generatim fœminæ ipso jure renuncient hæreditati paternæ contentæ certâ patrimonij portione, ergo etiam valet statutum, vi cujus proles manentes in sæculo retineant immobilia, ingressuræ vero Religionem ipso jure habeantur pro renuntiantibus contentæ certâ portione tam ex testamento, quam ab intestato. Ita non pridem quidam Ministri suaserunt suo Principi, ut statueret, hócque argumentum plausibile existimârunt. Confirmatur *ex n. 444. vers. Dices valet, &c.* ubi pro valido agnitum est statutum præferens masculos fœminis, etsi ex his tempore statuti fuerint aliquæ effectæ Monachæ ex Sanch. *Lib. 7. Moral. c. 12. num. 19.* contra communem quoad Monachas priùs effectas.

Respondeo argumentum concludere pro casu, quo secundo geniti, aut fœminæ genitæ nondum sunt in statu Religionis, quia pro tunc Princeps habet

bet jurisdictionem in omnes, nec conditio postea ingredientium redditur deterior, ita omnes, quando statutum generatim loquitur sine mentione statûs Ecclesiastici: at disponens pro sæcularibus cum mentione assumendi Clericatûs, aut statûs Religiosi est juxta omnes Theologos & Canonistas, imò etiam Orthodoxos Legistas ex expresso textu *L. DEO nobis c. de Episcopis & Clericis. Auth. Cassa & irrita c. eod.* Paulo de Castro Bald. Socinus *Consil. 81. n. 5. & Conclus. 241.* Gaill. *lib. 2. Observ. 32. num. 4.* Ratio quia ingressuri fiunt deterioris conditionis, quam si in sæculo remanerent, ita cit. Socin. Jurisconsultus proinde in totum, aut ex parte tale statutum retrahit à Religione, hoc autem ipso est nullum. Unde à fortiori non valet respectu eorum, qui tempore conditi statuti erant Clerici, aut Religiosi, nisi statutum Generale sit præscindens à clericatu, &c. tunc omnino verius est valere etiam respectu effecti Clerici, aut Religiosi, quia præter intentionem statuentis, ac indirectè hunc afficit, huic extensioni ex communi contradicit cit. Michel *fol. 740. n. 20.*

552. Fundamentum Nonum. A citatis Ministris suggestum, si Princeps statueret, ne deinceps Ecclesiasticis sive ex testamento, sive ab intestato relinquatur ultra legitimam, quod statui posse citra consensum Pontificis licitè ac validè, sic arguunt: Illud licitè, ac validè, & justè citra consensum Pontificis statuitur, quod nullo jure sive naturali, sive positivo Ecclesiastico, aut civili prætendi potest, sed nullo jure proles etiam Ecclesiasticæ efficiendæ possunt ultra legitimam prætendere, ergo licitè, validè, ac justè Princeps sine consensu Pontificis potest statuere, ne Ecclesiasticæ proles habeant ultra legitimam.

Major probatur, quod ejusmodi statutum nihil superaddat, nisi cassationem Generalem, ne deinceps devenire possint bona ad Monasteria, seu manus mortuas. Respondeo hoc argumentum probare, quod sine consensu Pontificis licitè, validè, ac justè Princeps possit reddere Ecclesias, cæteráque pia loca incapacia omnium donationum liberalium, piorum legatorum, &c. nam nullo jure naturali, aut positivo sive Ecclesiastico, sive civili debentur pijs locis donationes liberales, pia legata, &c. unde foret legitimum argumentum istud: cujus major sit major Adversariorum argumenti ab jis formati, Minor ista; sed nulli pio loco debetur jure naturali, Ecclesiastico, aut civili, ulla donatio liberalis, ullum pium legatum, ergo licitè, validè, ac justè sine consensu Pontificis statuitur, ne ullus pius locus capax sit ullius donationis liberalis, pij legati, &c. quod argumentum est impiissimum, erroneum, scandalosum, pugnans non solùm cum sacris Canonibus, sed etiam legibus civilibus caventibus, ut non solùm non priventur acquisitis Ecclesiastici, verum etiam ne spolientur facultate acquirendi ea, quæ pij fideles oblaturi sunt. Quare argumentum nimium probat, proinde nihil: ejus ergo major est falsa, si aliunde ex tali statuto resultet absurdum, prout resultat hic, etsi enim nullo jure proles possint exigere ultra legitimam, nequeunt tamen tali statuto spoliari facultate acquirendi ultra legitimam, quale si valeret, fideles possent licitè & validè reddi incapaces instituendi pia loca, jis donandi, legandi, &c. tale autem est statutum, de quo est argumentum. §. XVIII.

## §. XVIII. Dissertationis III.

### *An Magistratus Sacularis possit cogere Ecclesiasticos ad vendendum frumentum, ad tazam in venditione servandam, ad non efferendum id extra Provinciam, & an deprehensi egisse contra taxam, aut si extulerint frumentum, possint ab eodem puneri.*

553. Respondeo ad primum negativè cum Pelliz *tom. 2. in Manual. Regular. tract. 8. c. 7. n. 125.* Dian. *p. 1. tract. 2. Resol. 8.* contra Juris Consultos, & ex Theolog. Ortiz & Salas Ratio quod coactio sit actus jurisdictionis in eum, qui cogi potest, Magistratus autem sæcularis caret jurisdictione in Ecclesiasticos. Si tamen foret periculum in mora, quæ non patitur recursum ad superiorem Ecclesiasticum, frumentum posset extrahi id sequestrando non vi jurisdictionis, sed ratione instantis periculi titulo justæ defensionis adversus famem.

Respondeo ad secundum, & tertium affirmativè ex *n.* 459. nam similibus legibus Ecclesiastici subjiciuntur quoad vim directivam, secùs quoad coactivam. Hinc.

Respondeo ad quartum & quintum negativè defectu jurisdictionis.

## Articulus II. Dissertationis IV.

### *De injustitia in distributione Sæcularium officiorum, & Ecclesiasticorum Beneficiorum.*

### §. I.

### *De vitio injustitiæ distributivæ circa Officia sæculari.*

554. Præmitto Primò vitium justitiæ distributivæ oppositum dicitur acceptio personarum, hæc autem est crimen injustitiæ, in quo, in distributione bonorum & onerum communium, aut in jure dicendo, aut in honore exhibendo non attenditur ratio causæ sive motivum justitiæ, sed personæ aliarumque qualitatum ad rem non pertinentium E. g. consanguinitatis, amicitiæ, divitiarum, munerum, &c.

Vitium hoc generaliter habet locum in distributione bonorum communium ac onerum non attentâ proportione meritorum, & dignitatis membrorum (quam dignitatem, & merita diximus esse motivum justitiæ distributivæ) in conferendis bonis communibus, aut non attentâ proportione facultatis singulorum in imponendis oneribus, sed plus æquo gravando eos, qui habent minores facultates. Unde non solùm opponitur Justitiæ distributivæ, sed etiam commutativæ cum obligatione restitutionis secundum omnes, quando subditi indebitè gravantur; uti & quando Judex in judicijs non servat formam & proportionem inter partes, aut si uni parti proroget causam, non alteri, aut minorem terminum præfigat non ex merito causæ, &c. contra Levit. 19. *non consideres personam pauperis, nec honores, vultum potentis juste judica proximo tuo.* Quam proportionem cum debeat servare erga partes etiam ex Justitia commutativa, fit, ut violando illam teneatur reparare; secùs dum violat præcisè Justitiam distributivam: sic si fit distributio bonorum communium, prætermissis dignis, aut dignioribus, his nihil est restituendum, uti nec quando acceptio personarum committitur in distributione honoris non tantum communis, ut in choro, Capitulo, senatu, sed etiam privati in privatis conventibus, ut notavit S. Jacobus *C. 2.* quia virtus observans quemvis honorat secundum proportionem excellentiæ in bonis facientibus dignum, ergo honorando hunc præ alio magis excellente in bono digno honore accipit personas, consequenter peccat, non tamen graviter per se, sive remoto scandalo, odio, contemptu proximi.

Præmitto secundò, quod acceptio personarum specialiter accidat in conferendis officiis sæcularibus, & Beneficijs Ecclesiasticis, nempe in horum collatione, electione, præsentatione.

555. Dico primò acceptio Personarum est peccatum ex genere suo mortale, ita omnes apud Sanch. *lib. 2. Consil. C. 1. dub. 1. n. 9.* potest tamen esse veniale ob parvitatem materiæ contra Abul. Primum patet ex scriptura Jacobi 2. *si autem personas accipitis, peccatum operamini.* Ratio est, quod peccatum injustitiæ sit secundum omnes cum S. Thom. *hic q. 59.* ex genere suo mortale Secundum iconstabit, ex dicendis.

Dico Secundò electio indigni ad officia sæcularia, nisi parvitas materiæ excuset, est mortalis ex genere suo (nisi tota Respublica eligat, aut conferat, quod nunquam vel rarissimè fit tunc enim cedit jure suo) quia constitutus à Republica ad eligendos officiales ex Justitia commutativa obligatur ad præcavenda mala Reipublicæ, ergo à fortiori, ne positivè cooperetur malis, sed conferendo officia notabiliter indignis positivè cooperatur. Lug. *Disput. 34. num. 9.* Amplia ad eum, qui habet officium cum jure id gratis renunciandi, aut vendendi si renuntiet indigno, au vendat, quia per facultatem renunciandi, vel vendendi constituitur Minister Principis, sed hic non habet jus eligendi indignum, ergo nec, &c. Lugo *n. 11.*

Dico tertiò regulariter eligens ad officia sæcularia dignum, sive talem, qui communibus periculis, &c. occurrere

possit

possit relicto Ministro digniore, qui exactâ suâ diligentiâ possit respublicas in melius promovere, ac periculis etiam rarioribus obviare, hæcque sagacitate subtiliore prævidere, est peccatum mortale ita communior sententia apud Lugo *n. 13.* cum Less. *lib. 2. c. 32. n. 17.* in quam sententiam ipse Lugo *n. 21.* post multa disputata adversus fundamenta Sanch. & Less. descendit, quod vera sit regulariter loquendo: probatur electores, aut collatores publicorum officiorum, ut Gubernatoris, aut Judicis alicujus Oppidi aut Arcis, quæstoris, Secretarij, Commissarij, &c. tenentur sub mortali ex Justitia commutativa ad impedienda damna Reipublicæ, sed hæc impedire non possunt, nisi Regulariter eligant digniores, quia communiter ij, qui creduntur digni, comperiuntur postea indigni, & negligendo digniores languent litteraria studia, nam homines advertentes non præmiari merita, sinunt torpere ingenia, nullusque curat promereri sibi Rempublicam obsequiis egregiis, hinc aut succrescunt sensim innumera vitia, quæ non possunt non esse grave damnum Reipublicæ. Hoc periculum cessat, dum semel aut iterum dignior postponitur, ergo tunc elector non peccat saltem mortaliter.

*556.* Infero venditionem officiorum inferiorum esse communiter illicitam, quia facilè indignis, aut minus dignis venduntur, hicque potiùs ad utilitatem propriam, quàm in commune bonum adminstrant, hujusmodi officia, Tanner. *Disp. 4. q. 8. n. 23.* Lugo *sect. 3.* bene docens *n. 29.* officia superiora ut Marchionatus, Ducatus, Comitatus, & similia licitè vendi posse à Principe, quia emptor, ac hujus posteri, quod non minus aptos inferiores officiales sint assumpturi, quam ipse Princeps, sperari posset, & sic caventur incommoda Reipublicæ, quibus non obviatur, dum inferiora officia venduntur.

Infero secundò cum eligens scienter indignum (idem est de vendente aut renunciante officium indigno) aut cum ignorantia graviter culpabili sit causa totius damni ex mala administratione secuti, tenetur totum damnum resarcire in defectum electi indigni physicè in immediatè causantis damna, quia causa immediatè influens in damnum primo loco obligatur, secundo verò influens mediatè qualiter influit eligens, quod si ipse electus non se ingesserit culpabiliter, sed crediderit se sufficientem, prout communiter accidit, tunc elector primo loco tenetur.

Hæc reparatio damni debetur non omisso digno, aut digniori, quia probabilius est, huic nullum jus strictum competere sed Reipublicæ, cui ex Justitia commutativa Ministri obstringuntur procurare bonum commune Lugo *D. 34. num. 42.* contra aliquos volentes non ex Justitia sed fidelitate esse obligationem eligendi digniorem præ minus digno.

Unde si ex ejusmodi indigni, aut minus digni electione secutæ sint injustæ sententiæ, latrocinia, &c. damnum est reparandum passis illud. At si exinde secutus sit languor bonarum disciplinarum, litterarum Studium accumulandi opes, ac exinde ascendendi ad dignitates, proinde occasio variorum in com-

communitate vitiorum, &c. tunc illi, penes quos est administratio Reipublicæ, debent imposterum communiter eligere digniores, excitare ad artium studia evocando viros doctos propositis magnis præmiis, eisque, qui hactenus propositi fuerant, cum tamen mererentur promoveri, prævidentur de officiis, Lugo citatus sect. *n.* 49. & sequent.

# §. II. Dissertationis IV. Articuli II.

## *De vitio oppositio justitiæ distributivæ circa beneficia Ecclesiastica.*

557. EX Beneficijs sunt alia curata, alia non curata, seu simplicia; his non est annexa cura animarum; curata sunt, quibus incumbit circa animarum id est, potestas ligandi, & solvendi in foro interno, cæteraque Sacramenta ministrandi nomine proprio, & ex obligatione obtenti Beneficij *c. extirpandæ 30. §. qui verò de prabendis & dignitat.*

Ex curatis quædam sunt præeminentia ferè cum jurisdictione fori externi eis annexa subdivisa in majora, & minora. Majora sunt Episcopatus cum Reliquis Episcopatu sublimioribus: Minora sunt Reliquæ dignitates Episcopo inferiores, ut Præposituræ, saltem in Germania Abbatiæ aut Prælaturæ Regulares, Prioratus, Guardianatus, Rectoratus, præsertim autem Provincialatus & Generalatus.

Ex simplicibus quædam sunt majoris momenti, ad Cardinalatus, Canonicatus, Decanatus, Archidiaconatus, &c. Archidiaconus enim vi sui præcisè officij non est necessario Sacerdos, proinde qua talis non habet propriè curam animarum, etsi habeat potestatem in foro externo in animas nempe contentiosam.

Ecclesiarum Regimen esse onus Angelicis humeris formidandum testatur Trid. *Sess. 6. c. 1. reform.* Hinc *Sess. 24. c. 1. reform.* tanta inquit in promovendis ad Cathedrales, & Superiores Ecclesias est rei magnitudo, ut nunquam satis cautum de ea videri possit, cum *integritas præsidentium* verba sunt Trident. priore loco cit. *salus sit subditorum.*

Quantum autem onus in conscientia incumbat ijs, qui concurrunt ad promotionem ad Episcopatum, & Cardinalatum declarat cit. *Sess. 24. c. 1. de ref.* inquiens: *omnes & singulos ad promotionem præficiendorum operam suam præstantes alienis peccatis communicare, & mortaliter peccare, nisi quos illi digniores, & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, & c. præfici diligenter curaverint.*

558. Por-

558. Porrò etsi Trident. *cit.* loco expresserit solùm Promotionem ad Episcopatus, & Cardinalatus, extendendum, tamen est ad omnes curatos etiam inferiores ob identitatem rationis, quæ est anima legis, quisquè enim Curatus est Pastor Ecclesiæ suæ, proinde incumbit illi onus, etsi non tantum ut prioribus, Angelis etiam reformandum, suadetque rationis identitas *Cit.* Trid. sitæ in hoc, ut *meminerint* (nempe promotores) *se nihil ad DEI gloriam & populorum salutem utilius facere posse, quam si Ecclesiæ Pastores idoneos promovere studeant, eosque alienis peccatis communicantes peccare mortaliter, nisi digniores Ecclesiæ præfici diligenter curaverint.*

Quidam, ut rigorem Tridentini emollirent, promotoresque liberarent sbonere promovendi, aut eligendi digniorem dummodo eligant dignum, interpretati sunt verba Concilij, quod, vel comparativus *digniores* sonet positivum, seu dignum, proinde excludat solùm indignos, non autem præcipiat extra concursum, vel quod digniores sint præficiendi in concursu, tunc enim communis opinio contra Garziam apud Dominicum Viva ad propos. 47. Innocent. XI. affirmat graviter peccari contra Justitiam commutativam cum onere faciendæ restitutionis, si eligatur dignus omisso digniore.

Hæc interpretatio cum suis Authoribus debet nunc obmutescere ob propos. cit. 47. quæ ita sonat: *Cum dixit Concilium Tridentinum eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui, nisi, quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent, Concilium vel primo videtur per hoc digniores non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum sumpto comparativo pro positivo, vel secundo locutione minùs propriâ ponit digniores, ut excludat indignos, non verò dignos vel tandem loquitur tertio, quando fit concursus.* Meritò damnatur, quia ly *digniores* contra intentum Concilij detorquet ad aliud significandum, aut præceptum restringit ad casum concursûs. Concilium loquitur ad mentem Innocent. III. *c. unic. ut Ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur, non ex carnali affectu ait sed discreto judicio, debuisti Ecclesiasticum beneficium in personam magis idoneam dispensare.*

Ratio ex Thoma *2. 2. q. 63. art. 2.* est, quod præterito digniore committatur acceptio personarum in re gravi contra justitiam distributivam, beneficia enim sunt bona communia, & proemia meritorum: majórque dignitas spectat ad bonum commune in curato benficiato, experientia enim constat teste Lugo hic *Disp. 35. n. 19.* Zelosum Pharochum brevi tempero pietatem influere in omnes Parochianos, econtra uti *n. 7.* præmisit ex prætermissis dignioribus sequi morum perversionem in populo, vel peccandi licentiam, vel certè tepiditatem. Ex his.

559. Deduco primò ad munus Episcopale esse eligendus sub peccato mortali (idem est de Cardinalatu) ille, qui ponderatis omnibus est dignior. Deductio sequitur ex propositione damnata, & Trid. textu cit. probatur ulterius: si ad Episcopatum tot sunt necessariæ conditiones ut vix, & ne vix quidem inveniatur unus habens omnes, eligendus

est ex omnibus dignior, sed ad Episcopatum sunt necessariæ tot conditiones, ut vix, & ne vix quidem inveniatur unus habens omnes, hæc minor constat ex Trid. *Sess. 24. c. 1. de ref. hoc tamen munus* (Episcopale) inquit *ejusmodi esse censet* (Synodus) *ut si pro magnitudine rei expendatur, nunquam satis cautum videri possit.* Nota *nunquam satis cautum, &c.* si enim aliquis inveniretur, jam aliquando satius cautum videri posset. Major autem argumenti est ex terminis. Ut autem sit peccatum mortale, necesse est, ut postpositus sit notabiliter dignior. Confirmatur dicta obligatio eligendi digniorem est juris naturalis, Carden. *Dissert. 28.* ad damnatam propositionem *n. 13.* Lugo *de just. Disp. 35. n. 12.* Dominic. Viva ad eandem proposit. *n. 9.* quia quando independenter à lege humana est necessitas eligendi digniorem, est obligatio ejusmodi juris naturalis, aut saltem positivi divini, sed independenter à lege humana est necessitas eligendi digniorem: hæc minor declaratur à Trid cit. illis verbis: *nihil magis Ecclesiæ DEI esse necessarium, quam ut lectissimos tantum sibi Cardinales, & bonos maximè, atque idoneos esse Pastores singulis Ecclesijs præficiat.* Unde allegati Doctores colligunt, quod Trid. non imposuerit hanc obligationem quasi novam, sed declaraverit veterem manantem ex jure naturali.

560. Deduco secundò idem Trident. comprehendisse electionem omnium jurisdictionem quasi Episcopalem exercentium etiam Regularium, de quibus *n. 557. & seq. versu Porrò etsi.* gravitas enim Officij postulat digniorem, nec excusari potest ab acceptione personarum, qui quodcúnque beneficium confert minus digno omissis meritis dignioris. Viva *n. 10.* ubi de Regularibus etiam dat hanc rationem, quod Prælatura Regularis, aut aliud curatum beneficium sæpe plùs conferat ad salutem animarum, quam Episcopatus tenuis. Hæc sententia per se loquendo vera est teste Lugo *Disput. 35. n. 55.* per se, inquit, quia per accidens consentit Palao excusanti à mortali eligentes dignum, quia, ait Palao, ratio militans pro Episcopatu, aut alio curato beneficio non militat in Prælatura Regulari, quia hæc non est perpetua, & facilè potest occurri incommodis mutando superiorem. Contra hanc rationem arguit Viva *n. 17.* nullam esse differentiam, si enim superior est dignus, non potest mutari; si non est dignior, nequit præcavere mala, quæ præcavisset dignior, non etiam obstat, quod Prælatura non sit perpetua nam si licet primo triennio eligere dignum licebit etiam alio triennio, & sic deinceps perpetuare. Lugo per accidens excusat ex alia ratione, quod Prælatura Regularis non debita sit ex justitia distributiva, non enim est instituta ex intentione etiam secundaria, ut præmium, cum Religiosi debeant fugere omnem ambitionem. Est ergo instituta solum ob bonum communitatis, & ut habeat bonos Prælatos, à quibus regatur, fieri autem potest, ut aliqua communitas Religiosa adeo sit disciplinata, ut Prælatus dignus neglecto digniore sine ullo periculo ei possit præfici. Contra hanc rationem sic insurgit Viva *n. 17.* in fine ostendens contra Lugo etiam peccari contra justitiam distributivam acceptando personas in distri-

stributione Prælaturarum, quæ licet à Religiosis expeti non debeant, nec sint institutæ per se in præmium meritorum, nihilominus electores debent attendere ad merita Religiosorum, quoties id fieri potest absque præjudicio publicæ utilitatis, cum etiam ista præmia alijs sæpe addant calcar ad Regularem observantiam, & sæpe scandalizentur, si paribus cæteris negligatur dignior, cum sine acceptione personarum fieri non contingat.

561. Deduco tertiò idem dicendum esse de promotione ad quævis beneficia curata etiam Parochialia, quisque enim curatus est pastor suæ Ecclesiæ, de quo vide *num. 558.* in pr. Lugo *n. 36.* Carden. *n. 33.* cit. Viva.

Deduco quartò Principes, quibus ex privilegio sedis Apostolicæ, ut Regibus Hispaniæ, Lusitaniæ, Poloniæ, Ungariæ, Siciliæ, Galliæ jus nominandi seu præsentandi Episcopos permissum est (in Germania juxta concordata inter Nicolaum V. & Fridericum III. Imperatorem & Germaniæ Ordinarios penes Capitula retentum est jus, & vetus consuetudo eligendi Archi- & Episcopos, Wiestner *de Electione n. 15.*) sub eodem reatu mortali teneri nominare digniorem, Wiestner *de ætate & qualitate præficiendorum n. 60.* Lugo *n. 38.* idque patet ex *cit. c. 1.* Trid. ibi: *omnes & singulos, qui ad promotionem præficiendorum quodcúnque jus, quâcúnque ratione à sede Apostolica habent.*

Hæc ratio suadet id ipsum stringere habentes jus præsentandi titulo fundationis Lugo *num. 40.* Carden. *à n. 21.* Est quidem Patronum Ecclesiasticum teneri præsentare digniorem est certum ex cit. Trid. *Sess. c. 18. de ref.* post medium.

Ista obligatio est extendenda cum CC. DD. ad patronos laicos contra Lambertinum & alios apud Wiest. *de jure patronat. n. 136.* nam etiam hi operam suam præstant, & præstare debent eo modo, quo est necessarium Ecclesiæ. Nulla hic contraria consuetudo prævalere potest, utpote contraria juri naturali per *n. 559.*

562. Ex isto rigore non sequitur patronos, & Reges mille scrupulis implicari, quia ut notat Lugo *n. 7.* Sanch. *Lib. 2. Consil. c. 1. dub. 12.* Elector non tenetur per orbem exquirere digniores, sed ex his, quos habet in promptu. Rex igitur secundum Sanchez satisfacit si ex sibi à Secretario, aut alio viro fideli oblatis seligat meliorem. Optimum foret imitari Philippum II. Regem Hispaniarum, qui in singulis Regni Urbibus habebat viros Zelo, & Religione claros, à quibus Secreto monebatur de moribus Ecclesiasticorum. Has informationes secretissimè occultabat, ac secundum eas, dum beneficium vacabat, conferebat digniori, nec cogitanti, nec oblato, nec commendato Regi, alios autem repellebat adjectâ quandóque ratione, quod non essent Eleemosinarij, aut quod essent nimij in commodis corporis. Hâc industriâ effecit, ut tunc præessent Ecclesijs Præsules suppares Episcopis primitivæ Ecclesiæ. Licèt autem inquit Lugo Princeps non obligetur ad diligentiam adeò exactam, debet tamen eligere meliorem ex moraliter possibilibus.

Dices Trid. *Sess. 7. cap. 3. de ref.* contentum est personis dignis: *Inferiora,*

ra, inquit: *beneficia Ecclesiastica præsertim curam animarum habentia personis dignis, & habilibus conferantur*: Et *cit. Sess. 24 c. 18. de ref.* facit differentiam inter Patronum laicum, & Ecclesiasticum, hunc obligat ad præsentandum digniorem, præsentatum autem à laico admittit, dummodo præsentatus reperiatur idoneus, ergo si Trident. non obligat laicum ad nominandum digniorem, nec nos tantum onus ei imponere debemus.

Respondeo Trident. *cit. c 3.* loqui cum præcisione à concursu dignorum cum dignioribus vúltque præfici dignos ex quo non sequitur, quod si patronus inter plures advertat unum cæteris digniorem, quod hunc possit præterire salvâ conscientiâ ob ea quæ solide deducta sunt *à n. 560.* Cur autem *in c. 18.* non expressè obligarit laicum patronum ad præsentandum meliorem. Respondeo id factum ad vitandas lites, quæ cum patrono excitarentur sub prætextu non præsentati dignioris, Canden. *n. 38.* cæterum ut notat Lugo *num. 43.* eos non liberat ab onere præsentandi digniorem, cum hoc sit de jure naturæ, sed totum judicium in gratiam fundationis relinquit Patronis.

563. An præf tus rigor sit extendendus etiam ad collationem, & præsentationem beneficiorum simplicium, seu quibus cura animarum non annectitur, in utramque partem acriter disceptatur tum jure tum ratione. Negans allegat pro se *C grave nimis 29. de præbend. & dignit.* ubi generaliter dispo nitur, idoneos esse assumendos, consonat Trid. *Sess. 7 c 3. de ref* proximè cit. cui non contradicit *Sess. 24. c. 1. & 18. de ref.* quia hic agit de curatis.

Ratio etiam est, quod muneri præcipuo, quod est recitare officium divinum æque satisfiat per dignum. Confirmatur ex consuetudine & praxi Prælatorum sine remorsu conscientiæ conferentium simplicia dignis omissis dignioribus, ita Navarra *de restit. lib. 2. c. 2. n. 172.* Cardenas *ad Propos. 47. n. 6.* censet probabiliter excusari à mortali sic practicantes (secùs à veniali secundum plerósque contra Navar. & Dian. quorum opinionem vocat Carden. probabilem) Lugo *Disp. 35. n. 20. & 47.* Less, *lib 2 de just. c. 34. dub. 14.* hi tamen duo limitant, nempe dum semel aut iterum dignior negligitur, aliàs graviter læderetur Ecclesia ex ordinaria, seu frequentata digniorum præteritione.

Affirmativa nititur primò *c. fin. de offic. Custodis*, ubi ad non curatum officium Custodiæ jubentur assumi *meliores & sanctiores*, & *c. unic. ut Ecclesiastica beneficia sine diminut.* post medium Innocent. III. rescribens Archi Episcopo mediolan. *Debuisti*, inquit, *Ecclesiasticum beneficium & officium* (nempe Cancellariæ quale est simplex Wiestn. *de ætate, & qualitate præficiendorum n. 65*) *in personam magis idonea dispensare.* Secundò ratione tum quoad secundum S. Thom. *2, 2. q. 63. Art. 1. & 2.* Collatio facta digno omisso digniore sit acceptio personarum ex genere suo graviter opposita justitiæ distributivæ sita in eo, quod collator non respiciat motivum justitiæ, seu merita, sed aliam qualitatem ad rem impertinentem, ut consanguinitatem, aut amicitiam, tum quod etiam beneficia

cia simplicia saltem secundario sint præmia meritorum, à quibus multum pendet decor, dignitas Ecclesiæ, ac pulchritudo cultûs Ecclesiastici, quem collatores promovere tenentur. Hæc sententia est præferenda Wiest. *num. 65.* Vasq. Palao præsertim in beneficijs magni momenti, ut Cardinalatu, &c. vid. *n. 557. vers. Ex simplicibus.*

564. Ad argumenta negativæ sententiæ respondeo jura contenta dignis intelligenda esse relativè ad indignos, de quibus agunt, secùs ad digniores; aut pro foro externo, in quo sustinetur collatio facta digno ad vitandas lites, & calumnias, Navarr. *in Manual. c. 17. n. 72.* ex S. Thoma *Art. 2. ad 3.*

Ad rationem Respondeo non sufficere, quod æque possit recitare divinum officium, hoc enim non sufficit, ut satisfiat justitiæ distributivæ.

Ad Confirmationem dico praxim posse excusari ob probabilitatem contrariæ sententiæ (quam nec Dominicus Viva *num. 10.* etsi in hac materia sit valdè rigidus, negat spectatâ auctoritate extrinsecâ relate ad aliquos casus, quos perpendit Lugo *Disput. 35. sect. 4.* extrinsecâ, inquam, quia spectata ratione ab intrinseco censet oppositam non rationabilem videri) deinde sæpè excessus est dubius, aut non notabilis, aut causæ aliæ interveniunt deobligantes ab onere conferendi digniori: ipséque Viva *n. 15.* in beneficijs simplicibus levioris momenti excusat à mortali ob parvitatem materiæ.

565. Imò nulla erit culpa si beneficium simplex sit de genere eorum, quæ non spectant ad debitum Ecclesiæ ordinem, & decorem, ut erecta Capella pro familiæ sepultura cum redditibus pro Capellano: item Ecclesia Collegiata dotata redditibus pro Canonicis; pro his institutio, aut præsentia digni sufficit, Lugo *n. 47.* secùs si beneficia simplicia sint ex illis, quæ ex se aliquo modo sunt necessaria ad debitum Ecclesiæ ordinem, & cultum ut Canonicatus, & dignitates in Capitulo Cathedrali: uti & illa beneficia, quibus ali possint Sacerdotes necessarij ad celebrandum, & inserviendum fidelibus: talia enim necessaria sunt, quæ, si non essent fundata à fidelibus, Episcopis incumberet onus erigendi exigendo decimas, aliasvè contributiones à fidelibus Lugo *n. 46.* Ad talia communiter sunt assumendi digniores, idem *n. 20. & 47.*

Concordant autem Canonistæ apud Wiest. *à n. 55.* licitè omitti digniorem, quando hic caret qualitate requisitâ à fundatore, aut alio speciali jure, quia jus jubet observari conditiones fundationi insertas, Trid. *Sess. 25 c. 5. de ref.*

Secundò vocari potest Domesticus, id est, ex gremio dignus ad Prælaturam omisso extraneo digniore S. Thom *2. 2. q. 63. Art. 2 ad 4.* censens quod talis sit magis dilecturus Ecclesiam, proinde censet fore meliorem.

Ultra ea, quæ *n. 562.* annotavi pro Principibus præsentantibus addo ex Lugo *num. 48.* ubi tres classes beneficiorum distinguit; Primam Episcopatus, secundam beneficiorum curatorum, tertiam beneficiorum simplicium. His classibus semel constitutis non est, inquit, nimis curandum, quod hic, aut ille priùs eligatur, cum possint alij

prudentes reservari ad alia similia beneficia, & fortasse meliora cito vacatura. Nec magnum Ecclesiæ incommodum timeri potest, quod paulo ante hic, quam ille alius, qui fortè dignior est, præferatur. Item possunt beneficia simplicia conferri adolescentibus bonæ indolis, & expectationis, quibus progredi possint in suis studijs, reddíque aptiores ad majora munia, ji enim digniores & æque boni censeri possunt, ac alij magis provectæ ætatis, de quibus in futurum non multum sperari potest.

# §. III. Dissertationis IV. Articuli II.

## *Continuatur materia de vitio circa beneficia Ecclesiastica.*

566. Quæres primò, quis censendus indignus? quis dignus? quis dignior? Respondeo indignum censeri, cui aliqua, aut plures qualitates jure ad ministerium requisitæ desunt; dignum econtra beneficio esse illum, cui nulla qualitas à fundatore, jure, aut statuto speciali postulata deficit. Unde est ille dignior, in quo qualitates illæ percellunt, ita ut pensatis omnibus judicetur aptior, & utilior beneficio, ita communis apud Pirhing *de præbend. & dignit. num. 98.* Quare dignitas hæc, ejúsque majoritas non est absoluta, sed respectiva videlicet faciens personam utiliorem tali beneficio, & ideo potest minus sanctus ob majorem doctrinam, prudentiam & experientiam esse aptior huic Ecclesiæ, quam sanctior & minus Doctus. Econtra ex circumstantijs Ecclesiæ fieri potest, ut minus Doctus ob integritatem morum sit fructuosior futurus.

Hinc licitè confertur beneficium pinguius minùs digno, digniori verò magis tenue, quando hoc exigit majorem industriam à minus digno non sperandam.

Pariter beneficia curata, quibus est annexa jurisdictio fori externi conferenda sunt potius Theologis Juristis, quam non juristis mam ob munus judicis est necessaria Canonum notitia.

Econtra Theologus est dignior Jurista beneficio curato carente foro externo, uti est Parochiale.

Item quandoquè major nobilitas, & potentia sæcularis præferenda est majori doctrinæ, aut prudentiæ, ut si beneficium poscat majorem resistentiam adversus improbos.

Ex his sequitur, quod præterito digniore sit eligibilis minus dignus, quando hic creditur magis utilis, quia aut est magis sedulus, aut magis expertus, aut est indigena, & residebit, è contra prudenter

ter timetur, quod dignior non residebit; aut minus distinetur externis curis, aut alijs de causis Viva *n. 17. vers. sequitur tertio.* Lugo *Disp. 35. à n. 24.*

567. Quæres secundò an cooperantes ad electionem indigni, aut minus digni omisso digniore ad beneficium aut officium publicum debeant restituere aliquid communitati ad quam spectat beneficium aut officium? Item an ipsi digniori neglecto? De hac quæstione fusè disputat Lugo *de just. Disp. 35. Sect. 6.*

Respondeo ad primum ex sententia certa eligentes scienter, aut cum ignorantia graviter culpabili indignum, aut minus dignum obligari ad resarcienda omnia damna communitati, aut Ecclesiæ quæ sequuntur ex mala administratione indigni, aut minùs digni, nisi hic resarciat, uti tenetur primo loco, causa enim immediatè influens in damnum primo loco tenetur, secundario verò influens mediatè, qualiter influit eligens; si ipse electus non se ingesserit culpabiliter, sed crediderit se sufficientem prout communiter accidit, tunc elector primo loco tenetur. Ratio quod eligentes &c. vi muneris, & contractûs teneantur procurare bonum commune, consequenter ex justitia commutativa, sed si sic, tenentur resarcire omnia damna communitati, in qua officium gessit, aut Ecclesiæ cujus beneficium administravit, Viva *ad propositionem 48. Innoc. XI. n. 18.* Lugo *n. 76.*

Respondeo ad secundum cum distinctione vel dignior est talis extra concursum, vel in concursu, si negligatur extra concursum, nulla illi facienda est restitutio, quia nullum jus strictum habet ad beneficium per tradita *à n. 280.* seu quod perinde est nulla justitia commutativa violatur relate ad digniorem, & ita sentiunt communius, ac verius Doctores cum Soarez, Less. Lug. *n. 76* contra Cajetan. Salon. Vasq. & alios apud Lugo *n. 76.*

Loquendo de digniore ex concursu per examen, etsi Navar. Sot. Henriq. fateantur electores mortaliter peccare, non tamen agnoscunt aliquid esse restituendum omisso digniori, eorumque sententiam existimat probabilem Sanch. *lib. 2. Consil. c. 1. dub. 46. n. 6.* apud Lugo *n. 85*, verissimam tamen esse sententiam oppositam communen meritò docet Lugo *n. 86.* dans rationem quod ipsa ad concurrendum per edictum evocatio cuivis det jus concurrendi, ac insuper saltem implicite spondetur collatio facienda cuivis, si fuerit repertus dignior, hac per concursum purificatâ conditione acquirit jus strictum ad beneficium.

Dices cum aliquibus apud Lugo Edictum non dare jus concurrentibus, ut ex iis dignior eligatur, sed ne alius extra illorum numerum assumatur. Contra hos rectè insurgit Lugo: vi edicti electores non possunt eligere extra numerum competitorum, ergo multo minùs ex competitoribus omitti potest dignior: quia ex natura rei magis debetur digniori electio, quam quod sit eligendus ex competitorum numero.

568. Quæres Tertiò an concurrens minus dignus cum digniore graviter peccet? Circa hoc valde dissentiunt Doctores apud Lugo *n 88*, multis negantibus peccare, quia non ejus est eligere nec de meritis judicare, nisi excipit Sanch. *dub. 48. n. 5.* Sciat se esse minùs dignum, certoque aduertat occasione sui impediendum digniorem, aut de hoc rationabiliter dubitet,

bitet, extra casum hunc licitè competit, potest enim superior ex aliquibus circumstantiis licitè conferre beneficium minus digno.

Turrianus mortalis damnat certo scientem ex proprio aliorum judicio esse minùs dignum, quia petit rem, quam justè electores facere non possunt: Palao obligat illum ad satisfaciendum digniori, si per concursum huic præferatur.

Respondeo cum Cardinali Lugo *à n. 89.* tria statuendo. Primum est, quod rarò contiodat, ut quis se judicet minus dignum, ita ut nequeat judicium suum submittere censuræ electorum, cum enim variæ sint competentium circumstantiæ, facilè unus alterum doctiorem superat charitate, prudentia &c. Licitè igitur concurrit, dummodo non appetat nisi dignior, aut æquè dignus judicetur. Secundum est, quod in concursu, in quo aliquis est te dignior, reliqui minus, aut æque digni, licitè compareas ex fine, ut si contingat âb Electoribus non assumi digniorem, tu minùs, aut æquè dignis præferaris, dumodo non solicites præferri digniori, sed intendas id, quod licitè fieri potest. Tertium est, quod in casu, quo concurris cum unico, quem. Scis omnibus pensatis esse digniorem, possis te sistere examini ex fine, ut in futurum habeatur tui notitia, non tamen persistere, sed desistere antequam fiat electio, dum electores tenentur eligere digniorem, quia persistens vel peteres, ut scienter omittatur dignior, vel ut judiceris dignior aut æque dignus: primum est intrinsecè malum, uti & secundum respectu tui, quia cum scias te esse minùs dignum, non potes petere licitè id, quod electores non possunt facere justè nisi excusante eos ignorantia.

569. Quæres Quartò an in casu prioris quæstionis, seu concursus minus digni cum digniore licite ille queat acceptare, si præferatur digniori conscius iniquæ electionis. Negant Tanner. *de justit. Disp. 4. q. 8. dub. 2. n. 15.* Navar. *lib. 2. de Restit. c. 2. n. 173.* quia injustitiæ electorum acceptando beneficium cooperaretur. Respondeo cum Lugo *Disp. 35. n. 93.* & communiore affirmativè invertendo fundamentum Adversariorum: eatenus peccaret acceptatione, quatenus cooperaretur injustæ electioni, sed huic non cooperatur, ergo. Minor probatur quia ante acceptationem jam est tota injustitia iniquæ electionis posita. Dignior enim non habet immediatum jus ad beneficium sed ad sui electionem, seu ne postponatur minus digno, sed antequam hic acceptet, est dignior postpositus, in qua postpositione est sita adæquata injustitia. Exemplificat Lugo in casu rei venditæ duodus Emptoribus, quorum primo res non est tradita, sed secundo, in hoc casu primus emptor nullum acquirit immediatum jus rei emptæ, sed mediatum nempe jus ad rem, quod est jus immediatum in personam venditoris; secundus verò acquirit jus immediatum seu jus in re emptæ rei, & ideo acceptatione ejus non peccat, nullumque jus lædit primi Emptoris, quia tota injustitia jam est commissa per secundam venditionem, & traditionem. Si dignior appellet, prout appellare potest, ut revocetur prior electio, positâ appellatione, eaque pendente minus dignus licitè retinet beneficium, donec per sententiam fiat revocatio, debétque pendente lite introduci ad possessionem, quia jus electi est

est melius, valida enim electio majus jus confert electo, quam sola major dignitas ad electionem.

570. Quæres Quintò an minùs dignus teneatur aliquid restituere digniori, aut minùs digno is, qui per vim, aut fraudem impediret electionem minùs digni, ut eligatur dignior. Respondeo ad Primum negativè, nam per numerum priorem digniori nullam fecit injustitiam, sed habet se sicut secundus Emptor, qui, uti supponitur, non est causa, quod venditor non tradiderit primo, si enim esset causa, teneretur ex injusta actione, ita minus dignus, si esset causa exclusionis dignioris, foret erga hunc injustus cum obligatione restituendi, secùs si non esset in causa, tunc enim nulla est radix restitutionis, non injusta acceptio, non enim est cooperatus, non res accepta nimirum beneficium, cum hoc non sit proprium dignioris, Lugo *â n. 95.* | universaliter deobligans minus dignum, quoties justè debitóque modo competit, videlicet, vel si dubitet de excessu, & submittit se examini, vel petit non absolute, sed conditionate, nimirum si petit solùm jus sibi reservari, id est, ne minùs digno postponatur, aut ut præponatur, æque digno in casu non eligendi dignioris.

Respondeo ad secundum cum distinctione, aut enim supponis casum, in quo electores ex justitia commutativa saltem erga communitatem debent eligere digniores, vel verò est casus, in quo duntaxat ex justitia distributiva digniori debetur electio. In casu primo nihil teneris restituere minus digno (nisi famam si forte falsò crimine impediviſti) quia tunc impeditur ab eo, quod sine alterius injuria acquirere non potest, eò quod electio minus digni tunc contineret injustitiam erga communitatem, impediens autem injustè aliquam âb eo, quod injustè acquireret, non tenetur quidquam ei restituère *Sanch. lib. 2. Consil. c. 1. dub. 49. n. 13.* Lugo *n. 100.*

In casu secundo etiam deobligat cit. Sanch. *n. 14.* quia minùs dignus nullum habet jus ad beneficium, at bene dignior saltem titulo justitiæ distributivæ. Contra est quod non habeat ullum jus, non sequitur non fieri illi strictam injuriam impediendo illum violenter, aut fraudulenter: sicut etsi pauperi non debeatur Eleemosyna, aut Titio legatum &c. attamen impediens per vim, aut fraudem elemosynam, aut legatum reus est strictæ injuriæ obligantis ad restitutionem faciendam impedito, ergo etiam in casu nostro, Lugo *â n. 97.* Exemplificat: Cajus voto castitatis obstrictus vult ducere Titiam pauperem in uxorem, ut Cajum â nuptijs istis removeas, fingis illam non esse virginem, in hoc casu etsi fraude tuâ Cajus inducas ad observantiam voti, ad quam Religio eum adstringit, nihilominus reus reus es mortalis injustitiæ erga Titiam, etsi careat jure ad nuptias cum Cajo, quia habet jus strictum, ne per vim, aut fraudem impediatur.

571. Quæres Sextò an resignans beneficium obligetur resignare digniori. Affirmant Sotus, Navarra, Vasq. parificantes renunciantem electoribus. Negant Sanch, *dub. 7. n. 4.* Less. Pal. quia resignans non distribuit beneficia, sed jus suum transfert, proinde non lædit justitiam distributivâ non resignando digniori.

Huic opinioni nequit negari probabilitas teste Lugo *n. 50.* eamque fatetur etiam Navarr, a & Vasq. dummodo re-

signet æquè digno, si enim sine peccato poterat retinere, etiam poterit subrogare æquè dignum.

Dominicus Viva *ad propos. 47. Innocent. XI. n. 13.* adhæret Affirmativæ credens communicare alienis peccatis, uti dicit Tridentinum, resignans curatum beneficium digno omisso digniore, qui sit aptior ad præcavenda peccata. An negativa sit probabilis non vult dijudicare, licet dicatur practicari etiam â Pontifice.

Lugo *â n. 51.* regulam dat unicam tam de resignante, quam permutante beneficium simplex cum simplici, aut curatum cum curato; nimirum considerandas esse omnes causas, ac circumstantias, quibus ponderatis, si prudenter credatur parvum aut nullum damnum Ecclesiæ secuturum, licitè fit resignatio, aut permutatio (ampliat etsi permutet cum minùs digno, quam ipse sit, quia etsi minus dignus tunc noceat aliqualiter Ecclesiæ, hoc tamen incommodum compensat dignior in Ecclesia pro qua permutavit,) Ex Regula data infert primò semper esse suspectam resignationem Episcopatûs, quia communiter resignans reservat sibi pensionem, unde decedit Eleemosyna pauperibus. Secundò ob eandem rationem non debere admitti (nisi re bene examinatâ) resignationem beneficij curati in gratiam tertij: & etiam ex eo quod in resignatione non habeatur industria tanta, quanta adhibetur in electione. Tertiò idem sentit de permutatione curati pro simplici, aut econtra ob easdem causas.

Respondeo insistendo rationi Dominici Viva, ejus sententia videtur probabilior, quia tamen nimis dura videtur obligatio resignandi digniori, si datur resignatarius æquè dignus, nego tunc communicare alienis peccatis, aliàs etiam dicam peccaturum, nisi resignet digniori etsi aliàs non cogitarit resignare, hoc autem nemo dixit.

572 Quæres Septimò An ubi viget collatio beneficiorum curatorum per concursum, Episcopus debeat habere examinatores? An hi sint solùm consultores, & Judicès? an debeant judicare solùm, qui sint digni, aut etiam qui digniores? An Episcopi teneantur ex ijs exquirere judicium de majore dignitate. Respondeo ex vi Concilij Trid. *Sess. 24. c. 18. ref.* debere habere; ubi vero non viget concursus, nulla est obligatio. Etsi examinatores etiam non interrogati valeant exponere Episcopo tum dignos, tum digniores, num tamen judicium relate ad majorem dignitatem, non est decisivum, quia Concilium, uti constat ex ejus verbis, judicium de majoritate committit Episcopo, ibi, *Ex hisque* (nempe ex examinatis) *Episcopus eum eligat, quem Cæteris magis idoneum judicaverit:* quia tamen finis Concilij fuit, ne inepti eligantur, ideo præcepit Episcopo ut habeat examinatores, debeatque ex ijs quærere, qui sint idonei, & hoc probat declaratio congr. apud Lugo *n. 65.* unde Episcopus non tenetur indagare ex illis quis dignior; proinde nec illi aperire, nisi interrogati, nam concilium eos ad id non obligat, nec officium, non enim sunt electores, sed consultores, ac Judices: Judices circa idoneitatem, non quoad excessum, consultores verò ad Episcopum instruendum âb eo interrogati.

Tota Responsio est Lugo *Disp. 35. â n. 64.* contra aliquos, qui examinatores

minatores obligant non solùm declarare, qui digni, sed etiam qui digniores, sed hoc negatur, ut dictum, nisi interrogentur, interrogare autem non debet, nisi ut rectè notat Lugo *n.* 67. Episcopus aliunde non habeat notitiam quis dignior, nec Sciat modum se informandi de digniore.

# Articulus XII. Dissertationis V.

## *Miscellaneæ resolutiones de restitutione*

573. QUæres Primò an debitor ex injusta acceptione, aut damnificatione debeat restituere præter rem totum interesse. De hoc fusè disputat Haunold. *tom. 5. tract. 5. â n. 140.* notans ejus nomine specialiter sumpti prout sumitur in quæstione hac intelligi solùm damnum â re principali, & hujus fructibus distinctum, illud definit Haunold. *esse id quod nobis facto alieno abest, quodque lucrari potuimus.* Est ergo quid extrinsecum rei, seu extra rem ipsam principalem accidit, ut si debitor tempore debito non solverit pecuniam, cessat lucrum, quod habuisset elocando illam, & quâ emisset merces tunc minus constantes, quas postea cogitur solvere pretio majore, unde patitur etiam damnum emergens hinc tam damnum emergens, quam lucrum cessans uno vocabulo appellati solet interesse. Radix proinde obligationis, & condemnationis ad interesse inquit Haunold. *n.* 147. est mora in solvendo debitum, aut factum debitoris, sic si res aliena fide bonâ vendita, & empta evincatur â vero Domino, venditor Emptori condemnatur in id, quod interest Emptoris rem non fuisse alienam, aut sibi non esse venditam *L. 8. ff de Evict.*

Porrò interesse est, vel ordinarium, vel extraordinarium: primum accidit, dum res uno tempore valet plùs, quam alio sive id fiat ob accrementum rei intrinsecum, ut fit in equo facto ex hinnulo, sive ab extrinseco crescat valor, ut si hoc mense pluris, quam alio æstimetur E. g. triticum. Extraordinarium erit, quando lucrum fundatur in extraordinaria opera creditoris E. g. in ejus negotiatione privans isto lucro dicitur privare interesse extraordinario, Tambur. *Lib. 8. in Decal. tract. 3. c. 2. §. 6. n. 2. Ex. his.*

Respondeo ad quæstionem affirmativè, seu debet ultra rem solvere totum damnum emergens, & lucrum cessans â tempore moræ culpabilis restituendi, quia privat dominum non tantum re principali, sed causat totum damnum, quod inde emergit, ac impedit totum lucrum cessans etiam exrraordinarium, Molin.

*Disp. 724.* Lugo *Disp. 18. n. 26.* etsi creditor dum posset monere debitorem, non monet, quod hujus causa damnum patiatur, Tamb. cit. §. 6. Dicastill. *Lib. 2. tract. 2. à n. 109.* contra Lugo *num. 32.*

Unde furans mercatori pecuniam præter hanc debet reddere lucrum cessans ex pecuniæ negotiatione, Molin. *Disputat. 315. num. 3.* quia tota ferè Mercatorum pecunia destinatur ad lucrum. Et hæc sunt vera, etsi mora ob impotentiam, aut inadvertentiam præsentem careret culpa in se, sufficit enim, quod sit culpabilis in radice nempe in injusta acceptione, aut culpabili retentione, exinde enim omnia damna imputabiliter sequuntur etiam pro tempore gravis, aut extremæ necessitatis, in qua est debitor ex delicto Lugo *num. 40. & Disput. 21. n. 17.* contra Less. *lib. 2. c. 16. à num. 33.* ubi excusat talem à restitutione damnorum, quæ sequuntur pro tempore, quo si restitueret gravem, aut extremam necessitatem pateretur.

574. Quæres secundò an restitutio differri possit ob lucrum cessans? Respondeo negativè cum Lugo *Disput. 21. num. 15.* Dicastill. *Lib. 2. tractat. 2. Disput. 10. num. 48.* ex Doctorum consensu, quia non possum licitè proximo accipere rem ob lucrum faciendum, ergo nec retinere, nisi ut limitat August. Michel *Tom. 2. Theolog. Canonico-Moral. tract. 6. fol. 943. q. 6.* Summa debita apud me multùm sit operatura, nihil autem, aut modicum apud creditorem, dummodo sim paratus illi rasarcire lucrum cessans.

575. Quæres tertiò an debitor debeat resarcire damnum totum (de quo *n. 573.*) quod creditor patitur ex justa debitoris dilatione, ut si mora restituendi sit inculpabilis in se propter impotentiam restituendi? Respondeo aut debitor est injustus, aut justus: si injustus est, affirmo ex *num. 573.* si justus, tunc, vel est in contractu præfixus terminus solutionis, vel non: si non, solutionis tempus est illud, quo alter non impeditus petere solutionem, petet solvi: si est præfixus, etsi creditor non petat, mox est præstanda solutio (vide *num. 364.*) dies enim solutionis interpellat pro creditore, terminus autem præfixus non Mathematicè, sed moraliter sumendus est per *num. 364.* Utrum autem mora debitoris justi, ut obliget ad reparandum totum interesse, debeat esse Theologicè graviter culpabilis, ut sit locus obligationi reparandi interesse, constat ex *num. 366.*

Quamvis Regula generalis sit injustam moram debitorem obligare ad restituendum tam lucrum creditori cessans, quam damnum emergens, attamen ista Regula generalis est restricta à jure civili *L. si sterilis §. cum per venditorem ff. de act. empt.* & alijs apud Lugo *Disp. 18. n. 27.* ut se non extendant ad contractum emptionis & venditionis modo indicato *n. 364.*

Hæc restrictio quoad morosum emptorem, & venditorem utrum eum liberet etiam in foro conscientiæ, vel duntaxat in foro externo est controversum Molin. *Disput. 368. ante conclus. ultimam* stat etiam pro foro conscientiæ, eo quod possit Princeps sic validè disponere, defactóque sic disposuisse præ-

præsumitur ad tollendas difficultates multiplices ita poscente summâ frequentiâ utriusque hujus contractus. Lugo *n. 28.* præfert opinionem Angeli oppositam, proinde dictas leges pro foro interno, aut non esse latas, aut usu receptas, atque adeò licet creditori negetur actio ultra ea, quæ illi vi legum competunt per *num. 364.* in conscientia tamen tenetur tam lucrum cessans, quam damnum emergens bonificare, quia juxta leges has, & Molin. res vendita ante persolutum pretium venditori fructificat, & ideo usuras compensativas fructuum Emptor debet venditori solvere, sed hæc dispositio non est intelligenda absolutè, aliàs auctis, aut decrescentibus fructibus crescerent aut decrescerent usuræ, quod est falsum, cum hæ sint præstandæ semper in eadem quantitate juxta taxam usuratum, quæ solvi tunc solent ex mutuata pecunia, unde si leges hæ haberent locum in conscientia sæpe continerent usura illicitas, seu non compensativas, sed lucrativas.

576. Quæres quartò an uxor medijs vivendi destituta possit frui rebus à marito furto sublatis. Apud Sanch. *L. 10. de Matrim. Dispus. 17. num. 9.* eam excusat Cajet. si habet propositum restituendi cum sui juris fuerit effecta: Navarrus verò *Summæ c. 17. num. 268.* penitùs liberat, dummodo non vivat sumptuosius, quam ejus statum deceat, quia sic quasi coacta jis bonis utitur: quam sententiam videtur sequi Sanchez, quia eam ultimo loco refert, nec refutat. Respondeo vel furto sublata transiverunt in dominium mariti per commixtionem, vel non: si ita, sequor sententiam Navarri & Sanchez etsi prævideat maritum non esse solvendo, quia strictior est obligatio, inquit Navar. uxorem alendi, quam restituendi: si non, excuso illam à peccato, dummodo habeat propositum restituendi (cum hoc Dominus nequit esse rationabiliter invitus, supponitur enim non suasisse furtum) quale omnino debet concipere titulo rei acceptæ.

577. Quæres quintò an Petrus prævidens damnum à se illatum, imputandum innocenti, teneatur compensare damna quæ innocens postea subire cogitur, ut solvere Chirurgum, Medicinas vulnerato applicatas, &c. Respondeo affirmativè de omnibus illis expensis, quas Petrus ex natura rei debuisset solvere læso, quia ejus loco innocens reparavit, Lugo *Disput. 8. num. 84.* negativè verò reliqua, quæ in pœnam infliguntur innocenti, Lugo. *num. 82.* Molin. *Dispus. 86.* Less. *Lib. 2. c. 9. n. 111.* Ratio quod Petrus nec sit causa physica, nec moralis damnorum, quæ imputantur innocenti, Lugo *num. 84.* nisi ut bene limitat, cum Molin. *num. 2.* Petrus gladio innocentis isto invito vulnerâsset, Judéxque præsumeret ex gladio vulnus illatum ab innocente, tunc enim omnino esset causa moralis, uti etiam, si alterum occidat, aut vulneret in domo, aut fundo vicini, quia communiter præsumitur facta damnificatio cum consensu Domini, secùs si cadaver à te occisi ad tuam domum defers alio, unde postea Domino vicinæ domûs imputatur occisio, nam ut plurimum non imputatur occisio Domino domûs, ad quam reperitur Cadaver, cum alibi læsus potuerit ibi mori, ita cit. Lugo &

*Disput. 18. n. 114. & 116.* contra Sanch. *Lib. 1. Consil. c. 8. dub. 6. n. 72.* consentientem *num. 70.* in casu quo quis depositum infantem ad suam januam, deponit illum ad vicini januam, deponens enim secundus non peccat contra justitiam erga vicinum suum, quia per hoc non facit, ut ex justitia vicinus debeat infantem alere siquidem hic, nec ex charitate tenetur, sed potest mittere ad hospitale publicum, ubi pro infantibus est erectum.

578. Quæres sextò an sine injustitia erga creditores debitor possit alienare è rebus suis se reddendo impotentem solvendi illos, & utrum alienatio talis sit valida? Respondeo ad primum negativè cum Molin. *Disput. 330. §. prima est & §. eo, qui mutuo* Less. *L. 2. c. 20. à n. 169.* Lugo *Disp. 20. num. 111.* quia contrahendo priora debita se obligat ad ea integrè solvenda, ergo etiam se obligat ad non ponendum impedimentum integræ solutionis, sed alienatio, de qua hic, est impedimentum integræ solutionis, ergo, &c.

Ob hanc causam debitor, dum est in proximo periculo impotentiæ solvendi, nequit uni eorum constituere hypothecam realem, quia per hoc faceret hunc melioris conditionis, reliquos verò deterioris, Lugo *num. 106. ex L. cum inventum ff. quæ in fraud.* credit. Hypotheca ergo tunc nequit esse privilegium in cæterorum præjudicium Amicus *Disp. 40. n. 32.*

Respondeo ad secundum validam esse atque adeo transferre Dominium, nam supponitur res aliis creditoribus non hypothecata (si esset, ex ea possent quærere solutionem) ergo alij habent actionem purè personalem, qualis licet faciat alienationem injustam, non tamen invalidam, ut patet in equo uni prius vendito, sed non tradito alteri postea vendito, & tradito, ita potiores cum Lugo *num. 112.* Molin. *Disp. 328. num. 2.* contra Sot.

579. His non obstantibus difficultas gravis est, an res in dicto casu alienata v. g. per venditionem, aut donationem ab Emptore, vel donatario malâ fide accipiente, ut si scivit, quod alienans fiet impotens solvendi creditores, sit restituenda, & insuper satisfaciendum pro illatis inde damnis. Affirmat utrumque Lugo *num. 116.* cum Vasq. Banar. & communi, etsi non inducat, sed sponte oblatam acceptet gratis, aut cum onere E.g. pro pretio, Molin. *cit. & Disp. 330.* distinguit, consentiens in casu incitationis, negans verò si non induxit, quia ex parte accipientis supponitur tota malitia peccati: eum sequitur Less. *Lib. 2. c. 20. num. 168. & num. 170.* si ante alienationem debitor statuisset creditores non solvere, quia tunc causa non solvendi est illud pravum propositum. Sententiam Molinæ fatetur probabilem Lugo spectato jure naturali, naturali inquam, quia jus humanum *L. 1 & L. si debitor. & L. fin. ff. quæ in fraudem credit. & L. penult. c. eodem* contra accipientem malâ fide titulo oneroso dat intra annum à die, quo creditores resciunt fraudem, actionem rescissoriam obligantem ad restituendum non recepto pretio, nisi quatenus reperitur apud alienantem, aut factus est ditior: si accepit titulo lucrativo conscius fraudis, similis actio in illum conceditur, ut rem restituat, aut valo-

valorem rei, si hanc absumpsit: at fide bonâ accipiens ad nihil tenetur, nisi res exter, aut id, in quo factus locupletior *L. qui autem §. simili modo, ff. quæ in fraudem credit.* Hæ leges, cum sint justæ procedunt in utroque foro. An, & qui fructus rei eo casu restituendi? vide Lugo *n. 114.*

Respondeo sententiam Lugo esse verisimiliorem, quia etsi non cooperetur malitiæ dantis antecedenter conceptæ, ac externæ consumatæ per oblationem rei, cooperatur tamen injustæ damnificationi externæ creditorum, his enim determinatè sequitur damnum non minus ex acceptatione, quam ex damnificatione, obligatio ergo restituendi non radicatur in cooperatione malitiæ dantis, sed in injustitia, quam acceptans causat creditoribus: instantiâ pulchrâ illustrat Lugo *num. 117.* unde manet soluta ratio Molinæ.

Petes quando quis censeatur conscius fraudis, seu hujus particeps? Respondeo cum Molin. *Disp. 328. num. 2.* Amico *num. 40.* quando scit debitorem non sufficere ad solvenda debita vetera: inscium fraudis liberat à restitutione rei, cum hujus sit factus Dominus citra omnem injustam actionem: & *num. 43.* concedit debitorem tempore impotentiæ contrahere licitè in casibus, in quibus licitè differt, aut omittit restitutionem procurando necessaria sustentationi statûs, idem censet Lugo *n. 126.*

Infero primò peccare contra justitiam creditorum illos, qui oberratos inducunt ad compotationes, &c. quibus evadunt impotentes expungendi vetera debita.

Infero secundò esse reos gravis culpæ contra justitiam erga uxorem, & proles, qui frequenter sunt Authores, quod ejusmodi mariti, aut parentes abliguriant sua cum damno ingenti uxoris, & prolium. Unde monet Gobat *Theolog. juridico-Moral. c. 12.* ut Confessarius quærat ex compotatoribus, an non fuerint Authores compotationum gravatis ære alieno, ac pro majoritate, aut minoritate, aut nullitate delicti imperet eisdem magnam, vel parvam, vel nullam restitutionem: nihilominus rarò fit, ut prudenter consideratis omnibus hæc restitutio imperetur facienda uxoribus, aut creditoribus, quia vel non apprehendunt injustitiam, aut vix induci possent ad restituendum, atque adeò relinquendi sunt in bona fide.

§ 80. Quæres septimò an citra injustitiam fas sit primo largius propinare Legatis ad conciliandam ebrietatem ex fine expiscandi secreta, quæ Legati nequeunt licitè prodere?

Secundò an viciſſim licita sit praxis legatorum inquirentium in occultos mores tam naturales, quam morales Ministrorum Aulæ promotorum, vel promovendorum.

Tertiò an Legati inquirant licitè Secreta bellica contra suum Principalem?

Respondeo ad primum negativè, quia talis propinatio est injusta utpote fraudulenta cooperatio ad peccatum, ex qua, si quæ sequantur damna, oritur obligatio reparandi. Imò isto medio non possunt licitè elici etiam illa Secreta, quæ absque peccato prodi possunt citra obligationem, quia Legati sunt rationa-

tionabiliter inviti talibus mediis eruere Secretorum notitiam, Gobat *Theolog. Juridico-Moral. c. 13. Sect. 4. q. 4. n. mihi 47.*

Respondeo ad secundum affirmativè, si inquirant modis non fraudulentis, Balldellus *Theolog. Moral. lib. 3. Disput. 12.* Navarr. *Summæ c. 18. n. 31.* docens fas esse Secretos alterius defectus prodere propter bonum commune Reipublicæ. S. Thom. *2. 2. q. 73. num. 2. in corp. Verba*, inquit, *per quæ fama alterius diminuitur, proferre propter bonum aliquod, vel necessarium debitis circumstantijs observatum, non est peccatum, nec detractio.* Ratio est, quod præfata inquisitio non sit intrinsecè ita mala, ut nequeat ex fine bono honestari, uti liquet ex praxi superiorum inquirentium in mores subditorum etiam ex solo rumore, & fama, in electionibus, electorum confirmationibus, ordinationibus, in contractu matrimoniali juxta Trid. *Sess. 24. c. 1. de reform. matrim.* ubi quisque sub mortali propalare debet impedimentum occultum in foro externo etiam improbabile, ac redundans in infamiam E. g. affinitatem ex illicita copula, si reus priùs fraternè monitus nolit desistere à matrimonio, uti præmonendus est, quamdiu prudentis arbitrio speratur emendatio.

Quod autem Legati habeant finem honestum, nempe bonum commune, propter quod queant indagare, probatur spectat ad bonum commune pax, ac mutua intelligentia inter Principes, ad eam autem conducit aptitudo, & bonitas Ministrorum; unde sicut spectat ad Principem scire mores suorum Ministrorum, cum hinc dependeat bona gubernatio, ita indirectè, & per accidens spectat ad alios Principes scire mores eorundem Aulicorum. Unde rescius aliquem, qui huic bono communi posset obesse, potest vijs licitis agere, ne Princeps eum audiat, vel ut eum removeat, aut non assumat.

Dixit autem cit. S. Thomas licere observatis debitis circumstantiis, quales ut sint, non sufficit intentio boni communis, sed insuper abesse debet omnis vitiosa circumstantia, quapropter cit. Navar. *num. 41.* subdit peccare Prælatum, Judicem, & quemvis alium cupientem nosse alterius Secreta, quando procurat nosse Secreta alicujus à quo, quando, quomodo, & ubi non debet.

Respondeo ad tertium affirmativè tum de illis, quæ de jure debeat revelari, ut belli indictio, & hujus causa, tum de alijs, quæ revelandi nulla est obligatio, sunt tamen licitè revelabilia (nisi de his, aut illis quis speciali titulo tacere sit obligatus) secùs de jis, quæ salvâ conscientiâ revelari non possunt, tunc enim Legatus inquirens duplici se obstringeret peccato cooperationis, nempe injustitiæ contra jus Secreti, & infidelitatis, imò etiam contra Religionem, si vult rescire ex Ministris juratis, si verò ex non Ministris est crimen mortale proditionis conformiter jis, quæ tradit Gobat cit. *quæst. 4. & c. 19. sect. 9. & 10.*

Si Secreta bellica sint injusta evidenter, Legatus Principis, contra quem cuduntur, licitè indagat, quia etsi per se non sint investiganda crimina aliena, eorum tamen scrutatio ob boni communis conservationem honestatur, quando

do moraliter non est possibilis via facilior, famæque consultior, de quo copiosè Lugo *de justitia Disput.* 14. præsertim *à n.* 101. *ad* 108. Hinc fas est scrutari in Consilia Turcorum contra Christianos utpote injustæ.

581. Quæres octavò quæ potissimùm injustitiæ contingant in militia cum onere restituendi?

Respondeo sequentes. Primò si bona Ecclesiæ, & innocentium Ecclesiasticorum tollantur, non enim sunt pars Reipublicæ politicæ, unde etsi hanc in membris suis etiam innocentibus licitè Victor legitimus puniat exuendo bonis (extensio ad bona innocentium est contra Becan. Palao, &c. contendentes post victoriam esse bona restituenda laicis innocentibus) secùs tamen in Ecclesijs, ac Ecclesiasticis, atque adeò bona jis rapta debent reddi Molin. *Disp.* 121. Laym. *lib. 2. tract. 2. c. 12. num.* 11. *&* 13. Dicastill. *lib. 2 tract.* 1. *Disp. 10. dub. 16 § 7. à num 402.* Unde in direptione Urbis duces cavere debent, ne res Ecclesiarum personarum que Ecclesiasticarum diripiantur, nisi Ecclesiastici actu pugnarent contra justum Victorem, tunc enim ante partam Victoriam possunt bonis, imò etiam vitâ spoliari (quia tunc sunt hostes) secùs post partam Victoriam, quia extra conflictum dux belli non est Clericorum Judex, Diana *p.* 11. *tract 3. Resol.* 1. *num. 9. & p. 9 tract. 9. & Miscell. 4. Resol. 9. n. 4.*

Privilegio Ecclesiasticorum in dicta direptione gaudent bona peregrinorum, ac mercatorum externorum, quia non sunt pars civitatis hostilis.

Cæterum omnes conveniunt, quod spoliatis innocentibus etiam jis, qui sunt membra Reipublicæ reliqui nocentes debeant resarcire damna. Item si quæ damna innocentibus inferenda ad finem belli nihil conducunt, ea justè non possunt inferri. Hinc si bellum commodè potest geri sine agricolarum spoliatione, injustè spoliantur, Diana *p. 6. tract. 4. Resol. 11. n. 31.* Pro immunitate rusticorum stat *c. innovamus de treuga, & pace*; quo tamen, inquit Molin. *vers. fin.* non prohibetur omne spolium, sed solùm præcipitur, ut quando exeunt ad agriculturam, aut in ea cum animalibus morantur, aut redeunt, sint securi, sic enim bono publico prospicitur, ne ex agris incultis fames sequatur. Quid autem dicendum est de bonis sæcularium tali tempore in Ecclesiam comportatis, possuntne justè occupari ab expugnatore justo? Affirmat ut verius Dicastill. *num.* 403. contra Soarez *de charit. Disput. 13. Sect. 7. num. 14.* volentem gaudere immunitate. Ratio verioris opinionis est, quod bonis occupationi justæ obnoxijs Ecclesia non præbere possit immunitatem, cum sit per accidens ea ibi reperiri.

Imò ipsa Ecclesia, si pax, & victoria aliter non posset obtineri, potest Vastari & comburi, ex illa hostes extrahi, aut in ea occidi, præsertim si est instar propugnaculi munita, sic enim ipso facto amittit immunitatem *Can. SS. Patrum. 10. q. 1.* nisi præcisè sit munita pro defendendis Ecclesiasticis, & innocentibus, Dicast. *n. 404.* cum Valent. Coninch. &c.

582. Tertiò milites præsidiarii, aut confligentes, quamdiu spes est prævalendi, non possunt stationem deserere sub culpa mortalis injustitiæ etiam

cum vitæ periculo, aliàs obligarentur damna inde orta reparare, ac capitalem pœnam luere *L. 3. ff. ad L. Jul.*

Quartò duces militum gravissimè lædunt justitiam cum onere restitutionis omnium damnorum secuturorum præsentantes plures milites, quam habeant, hinc enim sequitur, quod numerus militum sit impar ut defendat Castrum, aut ut vincat hostem in conflictu, quo fit, ut hostis vincat, castrum cadat, belli sumptus reddantur inanes, &c. Molin. *Disp. 116. vers. solet cum hoc, &c.*

Pari culpæ, ac oneri subsunt Commissarij annonæ furaces, aut ob suam socordiam corruptum cibum aut potum porrigentes, unde mars multorum evenit, aut simulantes se habere sufficientem munitionem, dum eâ carent; unde Victoria non obtinetur aut retardatur non absque ingenti dispendio, cit. Molin. *vers. non dissimile.*

Si Principi annonam taxant pretio altiore, quam emerint, injustè agunt, nam vi officij, proinde ex justitia debent agere utiles œconomos. Idem dic de jis, quibus incumbit cura comparandi pecora pro exercitu, si pretium attollant ultra expositum.

Commissarij Cassæ injusti sunt, non solventes, aut diminuentes stipendia, aut facientes difficultatem, ut extorqueant donaria, quæ non minus sunt restituenda, quam non soluta, aut dimidiata. Unde si occasione dilatæ, aut imminutæ solutionis miles prædetur, aut aufugiat, aut rebellet, universa hæc damna jis imputantur.

Commissarij armilustrij peccant contra justitiam non prodentes defectum numeri militaris in regiminibus, aliàs fiunt Rei totius nocumenti. Unde non possunt accipere pecuniam à Colonellis, ut fileant, sed acceptam debent reddere re adhuc integrâ, videlicet, si opus turpe nondum sit patratum, ut si damnum est impedibile per manifestationem: at si jam sit patratum, ut si Commissarius tacuit estque colonellus jam mortuus, cum damnum sit inimpedibile, pecunia accepta retineri potest per *n. 214. & 216.* ast restat resarciendi jacturam numeri militaris, pro qua pretium acceperat. Doctrina hæc est certa ex *n. 321. & sequent.*

583. Quintò eandem culpam, ac obligationem restituendi contrahunt duces transeuntes cum exercitu, ac tenentes loca vicina suspensa non manifestando diversorium, ut sic quisque locus accedat, & offerat notabilem summam, ne illac traducatur exercitus, sic enim injustè gravatur populus, quia etsi ducibus sit liberum eligere transitum per hunc locum præ alio, dum nequit onus in omnes æqualiter dividi, injusta tamen est venalis electio hujus præ alio, pretiique retentio, cit. Molin. vers. *Molestum valdè.*

Sextò malo simili, ac oneri se obstringunt dicti duces, qui signant suos famulos in milites, ut sibi stipendium pro militibus deputatum reservent, Bonac. *de Restit. Disput. 2. q. fin. p. 12. num 27.* notat tamen P. Richard. Arsdeckin. *Theolog. Tripart. tom. 2. p. 2. tract. 6 in tit. pro Missione Castrensi q. 1. in fin.* quod sit usu militari receptum Capitaneis concedi locum mortuorum pro duobus, aut tribus famulis, & unum

unum pro signifero, etsi famulos actu non habeant.

Idem dic si stipendia debita militibus mortuis ab intestato non dent eorum hæredibus ( his enim de jure communi debetur hæreditas cit. Arsdeckin in *q. 2.* cum nullum jus scriptum capitaneis det jus ad ea stipendia : scriptum inquam, quia teste Laym. *lib: 2. tract. 3. c. 12. num. 18. vers. accedit.* quibusdam in locis hæredibus nihil solvitur ) aut mortuos in numerum vivorum referant, ut pro eis acquirant stipendia, nisi constet de voluntate donativa Principis, quæ tamen non est extendenda ad stipendia, quæ defunctus est meritis, & hæredibus reliquit.

Septimò delinquunt graviter, si militibus stipendia subtrahendo sinant eos prædari, obligantur tam prædas, quam subtracta stipendia resarcire Laym. cit, ubi Principem bellantem onerat ad reparanda omnia damna rapinis illata, quas miles destitutus stipendio exercet, facit tamen discrimen inter Principem sponte bellum inferentem, ac inter coactum præsertim ad defensivum ; prior tenetur abstinere, nisi sciat se belli nervum tantum possidere, qui sufficiat ad continendum in officio militem, aliàs particeps erit omnium damnorum cum onere satisfaciendi ; posterior verò excusatur, si ob penuriam æris stipendia tardius, aut tenacius solvantur, quo casu, si miles incolas molestet rapinis, quin valeat ab officialibus contineri, coguntur hi permittere inter duo mala minus, nempe damna in subditis, quam ut exercitus fiat perduellis, deficiatque ad hostem consentit cit. Dicastill. *dubit. 10.*

584. Consuetum est plerisque locis trium, quatuorve mensium stipendia retinere ad militem impediendum à fuga, & dum dimittitur stipendium imminuere in pœnam ob actas contra voluntatem ducum prædas multas, esto multi sint innocentes, quia dantes nomen militiæ, scientésque hunc morem videntur in eum tacitè consentire. Hæc & similia ait cit. Laym. interdum probabiliter excusantur, ut saltem à Confessariis tanquam manifestè injusta damnari non possint.

Verissima est Doctrina Dianæ *p. 6. tract. 4 Resol. 26.* nempe ea, quæ Rustici præter servitia, ut sunt Lumen, ignis, lectus, & paleæ offerunt : communiter non esse donationes spontaneas, sed coactus metu majoris mali, atque adeò peccant accipientes, nisi constet liberè omnino ea fieri, aut nisi gravi necessitate milites premantur, tunc enim licitè possunt etiam extorquere sustentationi necessaria, ne exercitus pereat cum maximo damno communi, tunc autem Princeps obligatur compensare gravamen.

In Principis subditorum, aut amica terra æquitatus non licitè pabuletur, si publicum aliunde sufficiens devehatur aut pretio haberi possit, miles enim sicut nihil juris habet in alienum gregem, ita nec in pabulum, Less. *in Posthumis verbo bellum p. 150.* nisi excusat extrema necessitas faciens omnia communia, dummodo enorme damnum passis, sicut in alijs rebus magni pretij solet fieri, compensetur, cit. Arsdeckin *q. 7.* monens aliquos existimare, quod communis consuetudo in castris recepta faciat liberam pabulationem, quam si verè talis

sit, non audet condemnare Less. si à Principe positivè permittatur, & fiat pauperibus graviter læsis satisfactio. An autem Princeps hanc facultatem pabulandi fecerit, est quæstio facti: quod non insinuat causam cit. Arsdeckin.

Contingit sæpe, quod conscribens militem, ut alliciat, largè polliceatur alicui vexillum, alteri, quod futurus sit scriba lustratorius vuglò Muster-Schreiber / aut Decurio, at prodeuntes in campum nihil horum præstant, est ne fas sub tali conditione oppositа conductis clam fugere citra culpam. Respondeo affirmativè cum Joachimo Bürgers *in Observat. Juridico-Polit. Jurisconsulto centur. 5. Observat. 19.* quia contractus ob non secutum implementum resolvitur Carpzou. *Lib. 2. Respons. 88. n. 13.*

585. Quæres nonò quid restituendum præcisè pro occisione, mutilatione, vulneratione, cicatrice & deformitate. Est duplex sententia: prima nullam agnoscit restitutionem, seu reparationem jacturæ bonorum naturalium corporis: Probatur primò: *c. 21. Exod. vers. 19.* dicitur: pro percussione solùm obligari percussorem operas, & impensas in percussum factas solvere. Secundò *L. fin. ff. de his, qui effuderint*, habetur: *cum quid læsum fuerit, Judex computat mercedes Medicis præstitas, & cætera impendia, quæ in curatione facta sunt, præterea operarum, quibus caruit, aut carituras est ob id, quod inutilis factus est, cicatricum autem, aut deformitatis nulla fit æstimatio, quia liberum corpus nullam recipit æstimationem.* Tertiò probatur ratione: tum quod pro vita, aut mutilatione &c. æquale reddi non possit, vita enim, & membra nullo pretio sunt comparabilia; tum quia sunt bona altioris ordinis, quæ per bona ordinis inferioris non possunt resarciri, tunc quia si ex natura rei esset facienda pro his restitutio, hæc non cessaret, etsi percussor lueret delictum pœnâ capitali, quod tamen communiter negant etiam Adversarij cum Molin. *Tom. 4. Disp. 84. n. 8.* Hæc Prima sententia est Vasq. *de Restit. c. 2. §. 2. dub. 6. n. 17.* Sanch. *Lib. 1 Consil. c. 4. dub. 2. n. 7* Lugo *Disp. 11. Sect. 1.* Less. *Lib. 2. c. 9. n. 141.* post Navar. *in man. c. 15. à n. 22. ad 27.*

Secunda sententia stat pro reparatione cum S. Thom. 2. 2. *q. 62. art. 2. ad 1.* ubi ad objectionem factam, quod pro membro & vita ablatis sit impossibilis restitutio? Respondet: *in quibus non potest recompensari æquivalens, sufficit, quod ibi recompensetur, quod possibile est.* Quam sententiam amplectitur Molin. *à. n. 3.* Valent. *in 22. Disp. 15. q. 6. p. 5.* Azor. *p. 3. Lib. 5. c. 3. q. 4.* &c. Ratio est: quòd etsi bona corporis sint ordinis superioris, proinde ad æqualitatem æstimari non possint, attamen bona inferioris ordinis augeri possunt, ut prudentis arbitrio accedant ad æqualitatem damni illati in bonis superioris ordinis, quis enim dicet agere imprudenter eum, qui excussionem unius dentis pateretur pro amplo dominio: bona fortunæ sunt ordinis inferioris, quam sit vita canis aut bovis, ut argumentatur Scotus, & tamen horum injusta damnificatio est compensabilis bonis fortunæ, ergo etiam vita corporalis hominis. Non ergo mens est jurium, quæ pro se allegat prima sententia, quod bo-

na

na corporis sint prorsus inæstimabilia etiam in casu, quo accedit arbitrium & moderamen Judicis taxantis restitutionem pro damno injuriæ, nam ut notat Navar *n.* 25. præter vindictam publicam læsori inferendam agi potest actione injuriarum ad vindictam privatam pro damno privato seu injuria quam illæsus incurrit,

Notandum hic ex Molin. *Disp.* 40. *n.* 1. & 2. quod secundum Vulpian. *L.* 1. *in pr. ff. de injurijs* injuria sumatur vel latissimè pro omni eo quod non jure fit, id est, contra jus; sub injuria sic sumpta comprehenditur omne damnum injustè illatum etiam sine contumelia. Secundò presse pro contumelia id est, pro eo, quod in contemptum & dedecus ejus cedit, cui est illata injuria, quæ uti exponit *n.* 3. dividitur in atrocem, seu gravem, & in levem; dupliciter autem contingit contumelia, nempe aut verbis (horum nomine venit omne signum minoris æstimationis significativum) æstimationem minuentibus, aut factis, ut percussione, violentæ manûs injectione, percussionis attentatione E. g. baculum aut manum elevando ad percutiendum, aut iuclusione in aliquo loco, aliovè modo simili qui cedat in nostrum dedecus contra bona corporis nostri, aut personarum nobis conjunctarum, de hac injuria hoc loco agitur (secùs de contumelia contra bona alterius generis E. g. honoris, æstimationis, aut in præjudicium bonorum nostrorum externorum) Ex contumelia explicata contra bona corporis oritur actio injuriarum, de qua agitur in cit tit. ff. estque per se æstimanda.

Unde patet injuriam utramque scilicet tam latè, quam specialiter sumptam posse concurrere, ac ex utraque actionem læso, aut hujus hæredibus competere posse; ex injuria latè accepta competit actio legis Aquiliæ tendens ad reparationem damni E. g. illari in bruto occiso, & actio injuriarum ratione contumeliæ.

586. Porrò plerique apud Molin. *n.* 7. videntur exigere satisfactionem in pecunia, ipse verò cum aliis est contentus aliquâ sive ea sit pecuniaria, sive spiritualis.

Coveniunt Doctores utriusque sententiæ, consuluntque, quod sicut Judex fori externi potest mulctare homicidas pecuniâ, si vitæ parcat, applicanda hæredibus, ita confessarius homicidæ possit imponere satisfactionen spiritualem (nisi constaret decessisse in statu peccati) E. g. Sacrificia, eleemosynas preces applicantes animæ occisi, præsertim si interfectus, ut notat Molin. *n.* 10. defraudatus sacrificijs, quæ præcepisset, si non fuisset occisus, esto hæredes occisi condonent mortem occisori.

Cæterum idem Molin. *n.* 8. docet etiam in sua sententia in foro conscientiæ nihil esse satisfaciendum pro vita, si occisor pœnâ mortis condemnetur, quia reddit æquivalens in eodem genere bonorum, ibidemque asserit secundum jura ad compensaticnem mortis non agi civiliter, sed solùm criminaliter ad talionis pœnam, quod *n.* 9. extendit, si hæredes condonent mortem, sic enim cedunt juri ad satisfactionem pro vita Lugo *n.* 3. Navar. cit. *n.* 25. contradicit Molin. quatenus docet, quod etiam luens ex sententia Judicis pœnam

mortis adhuc hujus hæredes non minus quam pro alijs debitis debeant resarcire damnum illatum læsæ parti.

Respondeo utramque sententiam esse probabilem, primam tamen esse probabiliorem, utpote conformiorem juri, juxta quam negandum est secundæ, quod unquam fieri possit compensatio ad æqualitatem, tunc enim tantum est ad æqualitatem compensatio, quando idem in specie recipitur, vel æquivalens, æquivalens autem tunc accipitur, quando eo, quod accipitur, potest per se comparari illud in specie, quod ablatum, prout fit in compensatione pecuniariâ pro vitâ canis, aut bovis, secùs pro vita aut membro hominis.

587. Quæres Decimò an occisor, mutilator, vulnerator debeat restituere omnia realia damna secuta ex occisione, &c. ante mortem occisi? Respondeo affirmativè de damnis ob expensas necessarias, & rationabiles, videlicet moderatas secundum conditionem statùs occisi, vulnerati &c. sic ad damna mortem præcedentia spectant expensæ in medicinas, Medicos, chyrurgos, victum delicatiorem (detractis expensis, quas aliunde feciset in sui sustentationem) jactura lucri ex arte aut negatione cedentis in commodum uxoris, prolium &c. horum enim omnium est injusta causa, ita omnes cum Molin. *Disp. 83. n. 1.*

Infero Primò occisorem, mutilatorem &c. teneri alere eos, quibus strictum jus competebat in occisum pro alimentis, hi autem sunt occisi uxor, proles, nepotes, parentes præsertim egentes, & ab occiso soliti accipere alimenta, Molin. *n. 6.* secùs alij cognati, ut fratres sorores, amici, mendici, et sicos alverit, quia ex liberalitate, non exjuris obligatione id fecit.

Infero Secundò occisorem, &c. liberari â restitutione lucrorum, si occisus nihil lucrabatur, aut si lucrabatur, ipse autem prodigebat sine commodo uxoris &c. aut si aliqui senserunt quidem commodum, attamen occisus non tenebatur illos alere, ut si parentes sint divites, proles jam puberes aptæ ad se ipsas alendas, uxor non egeat, nisi ob dotem ex justitia sit alenda, sed nec tunc si æquè commodè possit alteri nubere, quia præfati tunc non habent jus, ut âb occiso alantur.

Infero tertio si occisus est Nobilis (nobiles ob ingenuitatem facilè solent condonare Molin.) aut opulentus absque arte, aut laboribus suos sustentans, aut jam ob ætatem decrepitam laboribus ineptus cessat compensandi obligatio, nihilominus de Nobilibus vult ex circumstantijs dijudicandum Lugo *n. 49.* si enim sunt substantiæ tenuis, proles teneræ &c. credit non præsumi remissionem, quam etiam non agnoscit Molin, dum res est dubia.

588. Infero Quartò quando occisus negotiando, aut laborando sustentabat eos, quos de jure tenebatur non est restitutio facienda secundum æqualitatem rei, ac certum annorum numerum, sed secundum moralem æstimationem prudentis judicio taxandam attentis circumstantijs occisi, nempe ætatis, complexionis, valetudinis, artis, diligentiæ, ita ut sit moralis certitudo habitâ ratione spei lucrandi, ac periculi amittendi, aut non consequendi lucrum præfatos tantum emolumentum fuisse precepturos, nisi esset occisus. Quanti ergo ante occisionem spes ista, si foret venalis, prudenter venderetur, tantum

est

est restituendum, Molin. *Disp. 87.* (notans *Disp. 83. in fin.* hanc restitutionem melius fieri transigendo cum ijs, quibus est restituendum ad vitandam molestiam ponderandi omnes circumstantias, â quibus quantitas restitutionis pender) Lugo *â n. 46.* Less. *c. 9. dub. 26.* addens etiam speratum augmentum hæreditatis obventutum uxori, & proli-bus, si vixisset, esse restituendum, secùs alijs hæredibus, sive ex testamento, sive âb intestato, hos enim non tenetur hæredes facere, Molin, *Disp. 83. n. 7.* Verùm cum hæreditatis augmentum regulariter sit valde incertum ob contingentiam mortis tum occisi, tum hæredum, ideo negat Sporer *Tract. 5. Decal. c. 3. n. 228.* titulo solius hæreditatis esse restituendum, nisi sit moraliter certum augmentum speratum.

Infero Quintò etsi certum sit hæredes occisoris non teneri compensare damna, quæ occisus passus est in sua persona usque ad mortem, si ea condonet, cum juri suo cedere possit validè & licitè, attamen probabilius est remitti non posse damna, quæ patiuntur personæ post mortem habentes jus ad alimenta, ut uxor, proles, quia horum juri non potest cedere occisus, cum id ad eos non derivetur (imò per *n.* 101, vi juris proprietatis, etsi non solius, tenetur alere proles contra salmaticenses *tract. 13. c. 2. n. 113.* agnoscentes solum obligationem pietatis, aut charitatis) ita Lugo *n. 63.* contra Less. *n.* 158. Thom Sanch. *Lib. 1. Consil. c. 4. dub. 12. n. 5.* quorum sententiam censet probabilem Tambur. *Lib 6 in Decal. c. 4. §. 3 n. 11.* quia patiuntur quidem damna, hæc in sua persona, totum tamen debebant habere â defuncti voluntate.

Infero Sextò in quæstione illa an hæredes occisoris debeant restituere damna, quæ patiuntur creditores, in qua affirmativam sustinet, Molin. *cit. Disp. 83. n. 8.* Laym. *Lib 3. p. 3. c. 6. n. 4.* Sporer *n. 230.* eo quod justitia arctiùs obliget occisum ad satisfaciendum creditoribus, quam necessarijs hæredibus, quales sunt proles; & uxori, quæ non est necessaria hæres, nam nec hæredibus præstantur alimenta, nec uxori jus, præter dotalia, competit, nisi deducto priùs ære alieno, negativam tuetur communior cum Less, *n.* 151. Lugo *n. 83.* Tambur. *n.* 12. quia proles, uxor parentesque occisi sunt una moraliter persona cum occiso (& ideo occisor est causa per se damni eorum) secùs creditores cum occiso, eorumque damnum per accidens utpote rarissimè sequitur ex occisione debitoris. Negativa est verosimilior.

589. Quæres Undecimò, an, & qualis sit obligatio restituendi ex duello, aut rixa. Differt duellum â rixa, quod illud sit singulare *ex causis privatis certamen inter tuos, aut plures ex condictio designato tempore, & loco*, Sanch. *Lib. 2. c. 39.* si non fit ex condicto, ut si ex duobus ità commotis unus dicat, exeamus eodemque impetu exeuntes in aliquo loco extractis gladijs pugnare incipiant, non est duellum sed rixa, & quidem verius, etsi aliquis eorum condicat in locum, & tempus durante illo impetu E. g. hic te expecto, donec armatus huc redeas, quia conventio, & pugna in illo calore non sunt duæ, sed una moraliter actio, Tamb. *c. 1. §. 3 n. 12.*

Re-

Respondeo Primò quando duo se mutùo sponte prouocârunt, neuter tenetur resarcire damna realia, sive antecedentia sive subsequentia mortem, Molin *Disp. 82. n. 1.* Lugo *n. 66.* ex communi consensu contra Turrianum, quia etsi sit verum homicidium utpote authoritate privatâ & sine necessitate commissum, non tamen est injustum seu cum injuria occisi, in qua sola fundatur obligatio restituendi. Amplia, quando unus provocat, alter ad declinandam pusillanimitatem, ac infamiam coram mundo coactus consensit Lugo *n. 71.* contra Molin. *n. 2.* idque locum habet etiam respectu damnorum realium mortem subsequentium, quæ patientur proles (de quorum jure relege *n. 587.*) quia etsi post vulnus lethale occisus nequeat remittere damna prolium, cum jam sit læsum jus illorum attamen ante injuriam potest impedire, ne sequatur obligatio compensandi, consensus enim in necem suam impedit, ne occisio sit injusta etiam respectu prolium &c. juxta communem sententiam, quæ negat ex justitia teneri parentem alere proles oppositum sentio secundum sententiam affirmantem, quia tunc non potuit impedire injustitiam relatè ad proles, consentit Lugo *n. 72.* ubi â priori doctrina excipit casum, quo provocans ex justitia tenetur aliquem alere, tunc enim provocatus occisor peccat respectu hujus contra justitiam (quia cooperatur provocantis injustitiæ,) quem casum putat esse rarissimum.

590. Quæres Duodecimò an injustè invasus occidens invasorem cum excessu notabili moderaminis inculpatæ tutelæ teneatur restituere damna, de quibus hactenus. Est autem moderamen inculpatæ tutelæ vis repellens vim injustè illatam quantum necessitas postulat, ut dum quis vim aliter moraliter nequeat vitare, quam occidendo consideratis circumstantijs loci, temporis, personarum, quod in particulari boni viri arbitrio relinquendum monet Laym. *l. 3. tract. 3. p. 3. c. 3. n. 1.* tres autem generaliter requiruntur conditiones Prima est ut sit vera aggressio per violentiam, sive vi apertâ sive occultâ per insidias attentatâ. Secunda ut sit vera, & necessaria defensio nempe facta in ipso actu aggressionis, aut cum certum sit, quod alter me sit aggressurus, secus ante aggressionem, aut hac jam cessante. Tertia ut defensio non excedat modum necessitatis, unde si invasus potest fugere citra ignominiam, uti potest Religiosus, aut clericus, secùs vir nobilis, vel miles Laym. *n. 2.* aut clamare cum spe auxilij; vel vulnerando se liberare, non est licita occisio utpote non necessaria ad sui defensionem, consequenter nec est inculpata tutela, Sporer *Tract. 5. in Decal. c. 2. n. 133.* ex communi.

Respondeo nunc ad nihil teneri invasum occisorem notabiliter excedentem moderamen inculpatæ tutelæ consistentem in eo, quod non fugerit, dum posset sine nota ignominiæ Laym. *n. 2.* Less. *Lib 2. c. 9. n. 136.* contra Lugo *n. 55.* quia non tenetur ex justitia, sed charitate E. g. Religiosus, &c. qui numero sequenti *ex n. 106.* extendit contra Navar. Sylvest. ad casum, quo occisor contumelia, aliâvè injuriâ præbuisset occiso ansam invadendi armis, quia convitium non est via justa ad ulciscendum armis.

Alius

Alius non obligatus fugere excedens notabiliter moderamen tutelæ inculpatæ â plerisque damnatur ad restitutionem damnorum apud Less. *n.* 134, approbantem, quia est injusta occisio, subdit tamen cum aliquibus, quod probabiliter non teneatur ad tantum, *ad* quantum apertâ vi, aut ex insidijs occidens, sed notabiliter minus, quia ex parte amittit jus ad damni compensationem, imò probabile est ad nihil teneri, injustus enim invasor censetur æquè remittere, ac provocans, cum sciat, quod invasus sit omnia tentaturus ad vim repellendam, ergo licet posset vitam tueri vulnerando, proinde mortaliter peccat propter notabilem excessum occidendo, non tamen peccat contra justitiam erga occisum, Sporer *c.* 3 *n.* 217. post Tambur. c. 4. §. 3. *n.* 15. Ex his.

591. Deduco Primò, quod adulter occidens cum moderamine inculpatæ tutelæ maritum invasorem ad nihil teneatur, quia occisio non est culpabilis in defensionem sui. Nec obstat quod adulter præbuerit occasionem, nam adulterium non est causa proxima, sed occasio remota occisionis mariti Less. *c.* 9. *n.* 317. Molin. *Tom.* 4. *Tract.* 3. *Disp.* 81. *n.* 3. qui *n.* 10. probat: maritum, quando hic in adulterio cum uxore deprehensum occidit in foro conscientiæ non teneri damna resarcire, donec causa ad Judicem delata cognoscatur, utrum in pœnam delicti an compensationem injuriæ sit facienda restitutio, habens enim jus ad justè excipiendum contra eum, qui potest petere restitutionem, hanc differre valet, donec peratur â Judice, qui de ea cognoscat.

Deduco Secundò incipiens rixari absque animo occidendi postea advértens invasum prævaliturum, seque âb eo occidendum, nisi præveniat, licitè prosequitur defensionem sui cum occisione invasi, quia infasus non habet jus aggressorem, qui mortem non intentat occidendi, si tamen invasus credit aggressorem non destiturum hic tenetur damna restituere hæredibus occisi invasi, est enim per injustam aggressionem damnorum causa, nisi aggressor sit protestatus se nolle ulterius pugnare, tunc enim cessat esse causa injusta, proinde invasus non se tuetur prosequendo, sed injustè ulciscitur Molin. *n.* 4.

Ex Resolutione postremæ partis sequitur, quod tempore belli, si hostis offerat adæquatam satisfactionem, nequeat amplius pars altera bellum continuare, bellum enim inquit Augustinus *non est voluntatis sed necessitatis*. Ratio est, quod â momento oblatæ adæquatæ satisfactionis pro injuria, quam pars justè bellans potest ulcisci cessat injuria ex parte hostis injustè bellum moventis, aut resistentis, sed cessante injuriâ ex parte hostis, & ablatâ adæquatâ satisfactione, dummodo hæc sit tuta, pars justè bellans tenetur ex justitia desistere â bello etiam in actuali conflictu Molin. *Tract.* 2. *Disp* 103. *vers. cessat ergo &c.* contra aliquos apud eundem *vers. Postquam autem* &c. negantes ex rigore justitiæ teneri desistere, quia dum ante pugnam non offertur satisfactio, Princeps justè bellans est factus judex, & vindex, Judex autem non te-

netur oblatam satisfactionem à Reo acceptare, si enim teneretur, jam non daretur locus justitiæ vindicativæ, sed tantum commutativæ, Princeps autem belli justi est judex, & vindex, qui etsi reparetur injuria per actum justitiæ commutativæ, non impeditur, quò minùs propter delictum sumat pœnam de Reo, ita cit Molin. Dicastill, *Lib. 2. tract. 1. de just. Disp. 10. à. n. 321.*

Confirmatur quando non offertur debita satisfactio, non est obligatio cessandi â bello, sed in conflictu actuali vix potest offerri debita satisfactio præsertim secura, nam ut notat Dicastill. *n. 318.* ad debitam satisfactionem ultra restitutionen ablatorum ac reparationem Vastationum spectant etiam expensæ belli, æstimatio periculorum, quæ miles subivit, & quidquid spectat ad securitatem pacis futuræ, horum autem omnium in actuali Conflictu vix est possibilis sufficiens satisfactio. Nihilominus uterque cit. Author addit, quod sæpe ex lege charitatis sit obligatio cessandi âb inchoato conflictu, ne afflicti agantur in desperationem.

592. Deduco Tertiò servatâ inculpatâ tutelâ invasus licitè occidit quemvis injustum aggressorem Primò etiam proprium patrem, Dicastill. *n. 30.* ex communi.

Secundò furiosum, amentem, aut ebrium, nullus enim horum habet jus servandi vitam cum morte innocentis, etsi esset Princeps, nisi hic multùm prodesset Reipublicæ, tunc enim bonum commune prævalet vitæ privati, Less. *Lib. 2. c. 9. n. 42.* ex communi.

Tertiò etiam constitutum in peccato mortali, & quidem si est rationis compos, raiio est aperta, quod non egeat extremè spiritualiter, cum si vellet, posset desistere, damnationemque æternam evitare, nemo vitam corporalem pro alterius non extremè egentis spirituali salute prodigete teneatur. Si autem sit rationis incompos, tunc aut est certum, quod sit in mortali peccato, aut est incertum, si incertum, potest occidi, quia etiam invasus est incertus, an sit in gratia: si est certum, tunc si invasus est moraliter certus de statu gratiæ, aut de sua pœnitentia finali, tenetur potiùs permittere sui occisionem, quam occidere ex jure charitatis præferendis vitam alienam spiritualem propriæ corporali, Dicastill. *n. 39.* Gobat *Theolog. Juridicomoral. c. 19. n. 5.* Cum S. Thom. *2. 2. q. 26. art. 5.* ab omnibus recepto.

Quartò dictis locus est, etsi invasus sit clericus, aut det operam rei illicitæ præbenti ansam injustæ aggressioni *per n. 591.* in princip.

593 Controvertitur an invasus etiam obligetur invasorem vitæ occidere cum moderamine inculpatæ tutelæ. Communior negat apud Tambur. *Lib. 6. Decal. c. 1. n. 5.* Less. *n. 55. & 92.* Dicastill. *n. 34.* Molin. *Tract. 3. Disp. 14. n. 1.* nisi invasus mortalis culpæ conscius æternum damnaretur, aut ex ejus morte magna imminerent damna familiæ, uxori, prolibus, aut aggressor esset summe utilis bono communi, nam in isto casu prævalet bonum commune, in secundo præponderant damna familiæ, in primo ordinata charitas præfert propriam salutem alienæ. Extra hos casus ratio negativè est, quod laudabiliter in pari necessitate charitas suam vitam postponat

nat alienæ, seu non tenetur tueri suam cum jactura vitæ proximi, sicut nemo tenetur eandem tueri cum abscissione brachij aut propriæ tibiæ.

Citatus Tambur. Affirmativæ ut probabiliori subscribit, quando invasor,& invasus sunt æquales, & attenditur solus ordo charitatis, quia ista cæteris paribus præfert propriam vitam vitæ proximi, cum non simus vitæ Domini, si tamen accedat motivum excellentioris charitatis, aut alterius virtutis E. g. fidei, aut pietatis licitè etiam secundum Tambur. negligitur vita propria præ vita E. g. patris, avi ex motivo pietatis, aut præ vita sævientis in fidei odium etiam privata authoritate, tunc enim ob motivum fidei christianæ licitè occumbit martyr,etsi posset se tueri, aut si invasus bonâ fide se credat in gratia, invasorem verò in peccato.

594. Quæres 13. *an licitum sit laico, aut Religioso & Clerico calumniatorem gravia crimina de se, vel de sua Religione spargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non suppetit uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus vel ipsi laico, vel ipsi Religioso, vel ejus Religioni publicè & coram gravissimis viris impingere nisi occidatur.* Est autem calumniator propriè is, qui per fraudem alios accusando vexat Pereyra *in Elucid. Juridico, Theolog. n. 1193.*

Ratio affirmandi de laico est, quod periculum famæ & honoris æquiparetur periculo vitæ præsertim apud illustres personas ex communi juristarum apud Less. *Lib. 2. c. 9. n. 81.* & Thomistarum apud Mendo *in statera opin. Dissert 4. 4. q. 2. n. 4. &. 9.* estque conforme scripturæ Proverb. 22. *melius est bonum nomen, quam divitiæ multæ,* sed ad harum & vitæ defensionem est licita invasoris occisio cum inculpata tutela, etsi spectent ad Clericum, vel Religiosum, ergo etiam hic licitè potest cum occisione calumniatoris tueri nomen bonum, seu famam, eam scilicet, quæ ex virtute & sapientia nascitur,talis enim fama conciliat Religiosis,& clericis æstimabilitatem, quæ est aptissimum medium lucrandi affectum populi ad sui spiritualem directionem. Et cum quisque Religiosus, aut clericus suæ Religionis, aut statûs Ecclesiastici bonam famam ex lege charitatis debet tueri, ex eadem debet impedire imminentem infamiam, quâ integra Religio infamabitur.

Pro decisione nota quod honor possit dupliciter impeti nempe verbis, aut factis ignominiosis: verbis calumnia infertur per detractionem famæ sive coram, sive in absentia factam: factis si quis attentet violare al cujus thorum, aut virum nobilem nititur fuste, aut alapâ percutere, aut violentus stuprator virginem deflorare, aut sodomita pudicitiam viri violare.

Nota secundò quod propositio affirmativa ad quæstionem proposita sit ipsissima propositio 17. ab Alexandro VII. proscripta, cui consonat 30. Innocentij XI. quæ ita habet: *fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominiæ vitari nequit: Idem quoque dicendum, si quis impingat alapam vel fuste percutiat, & post impactam alapam vel ictum fustis fugiat.*

595. Respondeo Primò ad quæstionem prout jacet propositam negativè,

nã quatenus movetur de laico est censurata ac damnata âb Innocentio XI in allegata propositione 30. de Religioso autem, & clerico âb Alexandro VII. utraque habuit ante decreta Pontificum plures defensores apud cit. Mendo censuram Pontificiam esse justissimam constat ex ratione ad hanc eandem quæstionem *n.* 320.

Confirmatur Responsio ex Regula generali, ut invasoris occisio sit licita duo sunt necessaria, nempe quod is evidenter inferat grave damnum, sitque evidens moraliter non posse aliâ viâ illud impediri, quam nece invasoris, aliàs innumeris cædibus panderetur ostium, sed in casu proposito invasor per hoc, quod nitatur calumniam inferre, non infert evidenter grave damnum, eo quod sæpæ viri cordati calumniam habeant ut calumniam, qualis nocet soli calumniatori, non etiam est evidens non posse eam aliâ viâ impediri E g. per judicem adhibendo testes. Deinde licet daretur, quod aliquando utrumque evidens appareret, minimè tamen etiam tunc liceret occidere, quia facillimum est invasum ex passione hallucinari, atquè adeo jus naturale absolutè debuit prohibere ne in dicto casu invasus unquam queat uti nece invasoris velut medio calumniam vitandi, longè enim graviora damna per cædes sequerentur in Republica, quàm bonum inde sperari posset, publicumque bonum cum prævaleat privato, ideo potius præstat, ut invasus innocenter aliqualiter dehoneretur, quam ei sit concessa defensio occisiva invasoris. Vide cit. Didac. Hurtad. *â n. 14.* idem quoad substantiam argumentum urgentem.

Respondeo Secundò ad quæstionem *n. 594.* fas esse resistere armis calumniam nitenti inferre ipso facto, ut dictum est in notatione prima, tunc enim possum gladium opponere, ne violet thorum, quo casu si persistat, tunc non solum est aggressor honoris, sed etiam vitæ, proinde occidi poterit cum moderamine inculpatæ tutelæ, non propter solum honorem, sed vitæ defensionem. De violento stupratore virginis, aut sodomita constat Responsio ex *n 320. vers. similiter.*

Illi, qui vult viro Nobili alapam impingere, aut eum fuste percutere fas est opponere arma, quibus appositis si nolit desistere, jam fit etiam aggressor vitæ, proinde contra hunc servato moderamine inculpatæ tutelæ est licita defensio etiam cum morte invasoris Carden. *n.* 50.

An post inflictam alapam aut fustem impactum licitum sit repercutere in continenti injuriantem si stet, aut si fugit, insequi, atque repercutere, Victoria Navar. Summæ *c. 15. n.* 4. plureſque alij apud Mendo *in statera opin. Dissert 4. q. 3.* affirmant. Cui opinioni negat Mendo *n. 15.* intrinsecam probabilitatem, imò etiam nunc caret omni probabilitate extrinsecâ, cum sit certo falsa, uti patet ex propositione 30. Innocentij relata *n. 594. in fin.* quia post injuriam consummatam repercussio non esset injuriæ propulsatio, sed ultio, & ideo est etiam illicita insecutio, fugiens enim post alapam datam non secum defert honorem ablatum instar furis fugientis cum furto, unde tunc repercussio non foret medium impediendi ignominiam, sed fieret ad resarciendum honorem

rem sublatum, quod est proprium non defensionis, sed ultionis, Dominicus Viva ad propos. Alexand. VII. 17. *n.* 9. monens quod Pontifex solùm damnet propositionem quæ justificat occisionem impingentis alapam, si fugiat; secùs docentem, quod percussus ad vitandam infamiam continuò possit repercutere, quantum sufficit ad recuperationem honoris, ut si sit repercussio moderata, & ad correctionem & non ad vindictam, quæ opinio etsi speculativè sit visa probabilis etiam Lessio *lib. 2. c. 9. dub. 12. n. 80.* practicè tamen meritò censet esse improbabilem ob periculum odij, vindictæ, rixarum, &c. His sic stabilitis,

596. Respondeo ad rationem affirmandi productam *num. 594.* primò negando prudenter æquiparari, cum vita sit longè præstantior utpote fundamentum honoris & famæ.

Respondeo secundò transeat major, & concessa minore nego consequentiam: disparitas eruitur ex confirmatione, quod dum quis stricto gladio me invadit, sit evidens periculum, simúlque evidens illud esse inevitabile, nisi nece invasoris, oppositum fit in calumnia, hæc enim vel est jam illata, vel imminet, si illata, occisio non est defensio famæ utpote jam sublatæ, sed ultio, si imminet, occisio est medium immoderatum excedénsque moderamẽ inculpatæ tutelæ præsertim in Ecclasiasticis personis per *n. 590.*

Dictis adde Primò quod fas sit tueri pudicitiam proximi etiam cum occisione invasoris servato moderamine ita Lugo. *Disp. 10. â n. 201.* Ex communi, quia quod quisque potest per se ipsum facere licitè, idipsum etiam est præstabile ab aljis, nisi ut bene excipit Sporer *tract. 5. in Decal. c. 2. n. 172.* post Lugo *n. 203.* persona invasa consentiat in libidinem, quia tunc invadens cessat esse injustus aggressor: si tamen non obstante consensu redundet in tuam injuriam adhuc potes defendere etiam cum nece, ut si deprehensus in copula cum uxore aut filia consentiente nolit desistere, nam respectu tui est injustus invasor Lugo citatus,

An autem tenearis defendere pudicitiam innocentis Lege Lugo *â n. 204.* Adde secundò quod occisiva defensio pudicitiæ propriæ sit obligatoria, quando est periculum consensus, quale vix abest, Tolet *lib. 5. in Decal. c. 6. n. 3.* Tambur. *lib. 6. Decal. c. 1. n. 5.*

Adde tertiò quod sit licita percussio moderata impudicè sollicitantis, tangentis, osculantis etiam post sollicitationem, tactum, osculum, quia aliàs sollicitas non crederet, quod sit serius dissensus sollicitatæ, atque adeo facilè denuo instaret, quapropter percussio non est vindicta, sed defensio pudicitiæ adhuc periclitantis, Tambur. *num. 7.* Sporer *num. 167.* Lugo *num. 196.*

597. Quæres 14. ad quid teneatur adulter propter adulterium cum conjuge alterius? Respondeo primò eum nihil debere restituere præcisè pro injuria in adulterio inclusa est communis cum Lugo *Disput. 13. n. 6.* contra aliquos, quia illa est quid transiens nullum aliud post se relinquens damnum in honore, fama. Si maritus exinde patiatur dedecus, & infamiam, ut si adulterium publicetur, adhæret ei nomen cornuti, damnum istud tenetur adulter reparare, si potest, sicut teneretur, si detraheret, Lugo *num. 1.* notans dictam infa-

miam communiter esse inauferibilem, compensari tamen aliquando posse honorando maritum, aut promovendo ad altiorem gradum. Hinc uxor istud dedecus viro causans obligatur resarcire, secùs maritus adulter uxori, quia hæc vix patitur dedecus ex mariti adulterio, cit. Lugo.

Respondeo secundò adulter tenetur marito adulteræ omne damnum temporale, si quod patitur ex prole spuria, seu adulterio concepta videlicet à primo triennio alere, nisi maritus adulteræ remittat, vel adultera possit, ac velit alimenta præstare, uti velle debet, si adulter non possit, Lugo *n. 9.* tradens ut certum post Less. *c. 10. n. 41.* quod si adulter suadet adulteræ, ut marito prolem suam supponat, uterque teneatur ex æquo, proinde quisque illorum ad totum damnum in defectum alterius, ut si maritus alat prolem, relinquat hæreditatem, sic enim diminuitur legitimorum hæreditas.

Quid si adulter non suadeat suppositionem prolis, teneturne saltem partialiter prolibus legitimis, aut hæredibus damna restituere. Affirmat Lugo *num. 10.* cum communiore, quia mater supponens tenetur, etsi positivè non asserat esse prolem legitimam, sed sufficit ab ea permitti prolem in domo mariti manere, hinc enim maritus decipitur credens esse prolem suam, & ideo uxor censetur esse causa proxima ejusmodi damnorum, ergo etiam adulter proximè concurrit, imò magis, quàm adultera, quia adultero post primum triennium incumbit obligatio prolem alendi, consequenter ad se accipiendi.

Nihilominus negativa sententia pluribus videtur probabilis apud Less. *n. 43.* Tambur. *lib. 7. Decal. c. 3. §. 4. n. 6.* Dian. *p. 2. tract. 3. Miscell. Resol. 55.* Sporer *de matrimon. seu in 4. part. Tyrocinij Sacramentalis c. 2. n. 292.* præfert tamen affirmativam, solvítque argumenta negativæ, inter quæ est illud præcipuum, quod adulter sit causa proxima, ac directa solius adulterij, suppositionis verò duntaxat indirectè, ac per accidens, utpote non consulens sicut is, qui tibi furatus est equum, tu verò occasione hujus furti, si fureris tertio equum, fur tui equi non est causa furti à te facti tertio, nec tenetur ad hujus restitutionem. Verùm Lugo *num. 12.* dat disparitatem, quod adulter moralem necessitatem imponat adulteræ supponendi prolem, qualem tibi ut tertio equum fureris non imponit furans tibi equum. Et rectè *n. 46.* ostendit adulterum per se esse causam, quia cum error, quo creditur proles legitima, uti plurimum, proinde per se sequitur ex facto injusto, est ejus causa per se, atque adeò etiam damnorum ex errore secutorum, quæ facilè poterant prævideri.

Respondeo esse adhærendum affirmativæ.

598. Ut adulter sit obligatus prolem pro sua agnoscere, consequenter resarcire damna præmemorata, qualis certitudo, aut probabilitas necessaria quod proles sit sua? Respondeo non sufficere probabilitatem, sed moralem certitudinem: is autem est moraliter certus in casu præsenti, qui ita prudenter credit, ut oppositum non appareat ullatenus probabile, ut si partus correspon-

deat

deat cum tempore conceptionis, & adulterij commissi, maritúsque tunc abfuerit, aut ob morbum impotens, aut aliàs nunquam genuit, aut aliunde sit merito fides adhibenda adulteræ asserenti se ex adulterio concepisse, Less. *c. 10. n. 39.* Lugo *n. 13. n. 20.* Sporer *n. 295.* Responsio ejúsque probatio fusè cum solutione sententiæ oppositæ videatur *à num. 107.*

Si maritus resciat adulterum, an hic possit, aut teneatur transigere cum marito? Respondeo non teneri, posse tamen occultè transigere, ita Less. *n. 37. & sequent.* Ratio primi quo transactio pro injuria adulterij sit à jure vetita, ne maritus videatur fovere lenocinium, seu uxorem prostituere *L. transigere c. de transactionibus*, ibi: *transigere vel pasci de crimine capitali excepto adulterio prohibitum non est.*

Ratio secundi quod occulta transactio non sit scandalosa, consequenter nec peccaminosa Leges vetantes concernunt potiùs Judices, ne concedant marito actionem ob præsumptum lenocinium, quam forum conscientiæ.

599. Quæres 15. quæ sit obligatio adulteræ. Constat *ex n. 111. vers. Infero primo* deobligari prodere crimen marito, aut filio legitimo, nisi moraliter sit certa se impedituram damna, imò nec tunc, si periclitaretur de vita, aut de tanta infamia, quanta præponderet notabiliter damno temporali mariti, aut legitimæ prolis.

Respondeo eam per se obligari ad restitutionem omnium damnorum, quæ marito, aut aliis prolibus legitimis per se ex adulterio sequuntur, si sit moraliter certa prolem esse adulteram, qualiter non est certa, quando sub idem tempus est à marito cognita.

Amplia cum Sporer *Theolog. Sacram. p. 4. c. 2. n. 547.* ad casum, quo adultera post adulterium de industria petit copulam à marito, si præcisè facit ad occultandum crimen, ne fortè nata proles aliquando innotescat esse spuria, tunc enim utitur jure suo, secùs si id facit directè intendendo, quod proles fortè postea nata supponatur marito, cum hujus & legitimarum prolium damno, Lugo *Disput. 13 n. 38. & 39.*

Infero adulteram teneri restituere marito alimenta præstita proli spuriæ etiam post primum triennium, prolibus verò legitimis diminutionem debitæ hæreditatis paternæ, maternæ, avi, avunculi, ab his enim provenientia per se videntur pertinere ad legitimos propter maximam eorum conjunctionem, unde mater per se obligatur restituere majoratum, fideicommissum, si perveniret ad spurium. Idem est si mariti consanguineus jam sit paratus facere hæredem primogenitum ejus, & hic esset spurius, aut si spurius ab intestato succedat alicui ex fratribus legitimis, vel alteri consanguineo, omnia enim hæc damna per se sequuntur ex adulterio, secùs autem si consanguineus patris putatitij ex affectu erga illum spurium, quem putat legitimum, aliqua donet, aut in testamento relinquat, aut si amici, aut si consanguinei ob amorem vel gratitudinem erga parentem putatitium se exhiberent, spurio munificos, vel procurarent nuptias honestas, aut in studiis alerent, aut facerent hæredem, quia proles legitimæ non habent jus in dictam hæreditatem. Hæc enim & similia per accidens sequuntur

tur ex adulterio. Tradita illatio est Lugo *num. 39. & 40. & 41.* præmittentis *n. 38.* spurium si sciret se esse talem, obligari ejusmodi donationes saltem magni momenti restituere, quia intentio donandi videtur alligata veræ non putatitiæ proli, unde restitui deberent jis, ad quos pervenissent, si spurio non darentur vide Lugo *n. 37.*

600. Dubitatur primò ex quibus bonis & quomodo adultera resarcire debet damna marito, & legitimis prolibus. Respondeo debere facere ex bonis paraphernalibus relinquendo legitimis prolibus æquivalens quantitati, quantum spuria proles habet ex hæreditate paterna. Non obstat, quod spuria proles de communi jure nequeat succedere patri, aut matri ex testamento, aut ab intestato, quia per hoc non est capax accipere à matre per viam donationis, unde mater compensando legitimis portionem hæreditariam spuriæ proli datam, hæc retinet illam titulo donationis, Lugo *n. 36.* vide Less. *Lib. 2. c. 19. num. 66.* ubi ait non esse improbabile spurium posse retinere ea, quæ mater ipsi reliquit, donec per Judicis sententiam privetur, legésque oppositas quasdam loqui de patre, quæ utpote odiosæ non sunt extendendæ ad matrem: quædam autem loquuntur de muliere illustri, unde non comprehendit matres non illustres, imò nec illustres, si careant aliis prolibus.

Dum adultera paraphernis est destituta, debet aliis modis pro posse resarcire, nempe rem domesticam accuratiùs administrando, parcendo sumptibus concessis in suum usum, &c. si hæc media desunt, debet conari inducere spuriam prolem ad statum Ecclesiasticum, aut Religiosum; ac persuadere renuntiationem hæreditatis, Lugo *n. 41.* Less. *num. 47.* & communissima sententia.

Si demum nullo ex prædictis modo potest satisfacere, regulariter non obligatur adulterium prodere marito, aut proli illegitimæ, ita plerique cum Laym. *Lib. 3. tract. 3. p. 3. c. 14. n. 1.* Non marito ob certum infamiæ, divortij, perpetui odij, aut etiam mortis periculum. Non filio, quia rarissimè præsumi potest eum crediturum, aut, licet crederet, recessurum à portione sibi relicta aut relinquenda cum tanto dedecore.

Dixi *Regulariter* nam utrum saltem aliquando obligetur se spuriæ proli prodere, dependet ab ea quæstione, an quandóque filius teneatur matri credere se esse illegitimum.

Et quidem in foro externo est inter utriusque Juris Doctores certum non stari dicto matris, nisi indubitatis argumentis id ostendat Less. *Lib. 2. c. 10. n. 51. ex L. quia semper ff. de in jus vocando*, ibi: *Mater semper est certa, pater verò juris præsumptione, ejs is, quem nuptiæ demonstrant*, etsi mater sub tempus conceptionis esset deprehensa in adulterio, quia cum possit esse alterius, præsumitur esse potiùs mariti, nisi graves sint conjecturæ in contrarium, ut dictum superius *n. 598.* Lugo *num. 61.* Laym. *lib. 3. tract. 3. p. 3. c. 14. num. 1.* Doctrina priores versus probabilius habet locum etiam in foro conscientiæ, id est, proles hactenus possidens legitimos natales non tenetur credere matri asseveranti esse spuriam, *n. 62.* nisi liquidis probet argumentis, tunc enim deberet crede-

credere, consequenter nec hæreditatem capere. Vide de hoc *n. 111.*

601. Dubitatur secundò an quando matris infamia ex manifestatione adulterij nihil, aut non multum præponderat damno prolium legitimarum, obligetur manifestare. Negat Less. *à n. 53.* Navar. Vasq. ob tria argumenta. Primum est *exc. officij pœnitent. & remissionib.* ubi Pontifex consultus an fœminæ adulteræ partum marito supponenti, timentique marito detegere sit deneganda absolutio, respondet negativè, sed duntaxat, quod sit illi imponenda competens satisfactio. Secundum est authoritas scripturæ Proverb. 22. *melius enim est nomen bonum, quam divitiæ multæ*, ergo bona fama adulteræ præponderat temporalibus, in quibus patientur proles legitimæ, & maritus. Tertium est quod fama sit superioris ordinis, quàm sint bona temporalia, ergo pro his illa non est prostituenda. Ex hoc principio homo etiam vilissimus non tenetur vitam exponere pro restitutione Thesauri, & reparatione famæ personæ illustris.

Affirmant Molin. *Disp. 102. n. 12.* Lugo *n. 45.* Sporer *Theolog. Sacram. p. 4. c. 2. n. 564. in Tyrocinio autem Sacram. p. 4. n. 302 | vers. quandocúnque, &c.* Distinguunt duo postremi inter hæc duo; prol damno boni unius Ordinis non est obligatio amittendi bonum alterius Ordinis (sic pecunia non est danda ad compensandum damnum vitæ, aut membrorum, ut fert communissima sententia) & damnum in bonis unius Ordinis non debet reparari cum damno in bonis alterius Ordinis, primum fatentur esse verissimum, secundum verò esse falsum, quia ibi non potest haberi æqualitas intenta à justitia, at benè in secundo, læsus enim potest recuperare sibi ablatum, etsi hæc recuperatio non fiat ex parte restituentis sine damno famæ, restitutio enim non fit per infamationem, sed formaliter per id, aut æquivalenter, quod ablatum est in temporalibus marito, & prolibus, quapropter ut mater excusetur ab horum restitutione, si citra infamiam fieri non potest, recurendum est ad regulam aliam, nempe utrum infamatio matris in morali æstimatione notabiliter sit major jacturâ temporalium, quam subeunt proles legitimæ, vel non, si ita, deobligatur, si non, minimè deobligatur. Ratio prioris partis est, quod universaliter possit differri, aut quandóque etiam penitùs omitti restitutio, quando fieri nequit sine longo notabiliore damno Lugo *num. 47.* idque constat ex *num. 379.* Ratio posterioris quod injustus læsor teneatur reparare damna, quoties sine suo majore damno potest, adultera autem in casu nostro potest sine majore damno reparare damnum marito, & prolibus manifestando adulterium, uti hæc pars posterior supponit, maximè si fiat per confessarium cum licentia adulteræ sub Sigillo prodendi prolibus, & rursus desuper loquendi cum adultera, hæc enim modica est infamia facta sub Sigillo Lugo *n. 60.* Sporer *Theolog. Sacram p. 4. n. 566.* qui *n. 564.* ex Lugo *num. 53.* ostendit, etsi fama sit altioris Ordinis, quam temporalia, ea tamen in prudenti æstimatione potest æquiparari, aut etiam superari à bono Ordinis inferioris, sic major quantitas argenti potest æquare, aut etiam superare parvam quantitatem auri, ergo ex eo capite, quod fa-

ma sit bonum altius bonis fortunæ non sequitur ab his superari non posse, atque adeò ex hoc capite adultera non potest excusari.

Ex his solvuntur argumenta Lessij. Primum quod illud Capitulum supponat metum justum, seu causam excusantem ob malum notabiliter præponderans. Secundum procedit de bono nomine, seu vera fama radicata in virtuosa vita, qualem non habet adultera, sed fictam, & fundatam in ignorantia hominum, ad qualem conservandam, utpote non multùm conducentem ad animæ salutem non est credibile scripturam respexisse in casu nostro. Tertium solvit fundamentum pro sententia affirmativa allatum.

602. Respondeo utramque sententiam esse probabilem, negativam tamen videri probabiliorem ob ea, quæ discussa sunt in quæstione, an pro mutilatione, occisione, &c. sit aliquid restituendum *num. 585.* cit. Sporer *n. 566.* scribit esse sibi certum tribus in casibus esse prodendum adulterium spurio filio, dum moraliter est certa crediturum. Primò, quando nullus modus alius superest, ut legitimis resarciantur damna, hæc enim infamia est modica. At ut obligetur prodere etiam marito est longè majus periculum, proinde rarò potest obligari, cautè ergo Confessarius procedat. Secundò si est adeò vilis conditionis, ut prudentum judicio sit modicæ æstimationis. Tertiò si adultera jam aliunde sit notabiliter suspecta. Tria hæc etiam sententiæ negativæ Doctores concedunt apud, & cum Lugo *à n 57.* ubi *n. 58.* ex Molin. *n. 13.* observat aliquando adulteram excusari à revelatione criminis, nimirum quando prudenter potest præsumi maritum, & proles potiùs velle cedere juri ad reparationem damnorum, quam scire crimen. Ex hoc resolvit eam deobligari, dum est certa, quod si prolibus detegeret in communi unam ex jis esse spuriam, rogaretque mutuam invicem in sui gratiam remissionem, sponte remitterent, quod tunc accideret, quando etsi noscerent spuriam, ei condonarent, secùs si remitterent ob metum, aut dubium, quod singuli de se conciperent. Idem tenuit Molin. *tom. 4. Disp. 102. n. 13.* ita scribens: sæpe est credendum Patrem putatitium velle, ut res potiùs sit occulta, & potiùs spurius in bonis succedat, quam quod cum tanto suo dedecore detegatur, afflictione id ipse sciat, legibúsque hujus sæculi cogatur interficere suam uxorem aut alia facere, quæ ne adduceretur, ut faceret, optaret potiùs se nunquam sciviſſe id uxoris delictum. Talem nobilem testatur se reperisse, qui propter adulterium ab alio derectum suam interfecerat uxorem, valdéque conquerebatur de quodam, qui id adulterium patefecerat.

603. Quæres 16. an, & quid debeat restituere stuprator, aut defloratator Virginis sine, aut cum ficta promissione matrimonij. De hac quæstione egi *in tractatu Canonistico de matrim. à n. 52. usque ad 61.* Omnium primo exposui significationem vocum sequentium, *defforationis, seductionis & stupri. Defloratio* est fornicatio cum virgine, *seductio* est vera deceptio; suasiones, & importunas preces esse seductionem censet Gobat *tract. 10. n. 200. & 210.* Lugo verò *de justitia Disp. 12. n. 2*

*n. 12.* dubitat. *Stuprum* propriè est non violenta illicita Virginis sub cura parentum existentis violatio, ita S. Th. *2. 2. q. 154. Art. 6. aut* (addit Gobat) *viduæ honestæ*: si violatio fit cum violentia, seu oppressione, est stuprum strictissimè sumptum. Latè sumptum ex communi Canonistarum, & Legistarum est illicitus concubitus cum Virgine, aut vidua honestè vivente §. *item Lex 4. Instit. de publicis judicijs.* Seductorem *c. 1. de adulterijs* obligat ut seductam dotet, & simul habeat uxorem; stupratori verò *c. 2. eod.* statuit: ut vel stuprata m ducat, vel corporaliter castigatus, & excommunicatus, detrusúsque in Monasterium agat pœnitentiam absque egressu sine licentia. Hodie neutrum Capitulum integrè servatur teste Fagnano ad *cit. c. 2. n. 3.* sed ex consuetudine etiam in Romano imperio recepta stuprator non violentus obligatur alternativè strupratam, aut ducere, aut dotare, si autem sit Clericus, cum dotatione deponitur ab officio apud Jul. Clar. Hodie autem teste Wiestner *de adulterijs n. 20.* cum dotatione punitur arbitrio Judicis pœnâ, vel pecuniariâ, vel corporali E. g. incarceratione, vel depositione.

Violentus stuprator de jure civili punitur pœnâ Capitali apud Clar. §. *stuprum n. 3. qui. n. 4. testator* stuprum non violentum cum vidua se nunquam vidisse puniri.

*Resp.* Nunc ad quæstionem violentum stupratorem (idem est, si metu gravi, aut fraude, aut deceptione defloret) obligari totum damnum reparare ducendo, aut dotando secundum omnes, ita ut electio sit penès fœminam, Lugo *de just. Disput. 12. num. 12.* Gobat *tract. 10. n. 217.* contra Molin. *tract. 3. Disp. 104. & alios.* Ratio quia stuprator, vel est sortis inferioris, vel paris, vel majoris, si inferioris, conjugio non compensatur damnum, uti nec, si est paris, adhuc enim esset inæqualitas, si deberet ei nubere, quia privaretur nubendi libertate; si est majoris, potest eum in maritum poscere, quando aliter damnum est irreparabile, ut si aliàs careret nuptijs, aut cogeretur nubere inferiori, tunc enim nuptiæ sunt unicum medium satisfaciendi prout in contingentia facti Lugo *Lib. 6. Respons. Moral. dub. 19.* obligavit nobilem juvenem ad nuptias cum violenter oppressa minùs nobili.

Nihilominus si oppressor sit longè majoris conditionis non tenetur violatam ducere, etsi defectu facultatum dotare non potest, Lugo *num. 18.* Gobat *n. 221.* ex generali principio, quod debita etiam ex delicto non sint compensanda in conscientia quando compensatio est longè gravior damno, tali autem nuptiæ essent longè graviores damno illato, idem in simili docet Molin. *Disput. 752. in fin.*

Quid si ejusmodi oppressor majoris conditionis se offerret ad eam ducendam, at illa, vel parentes nolunt, teneturne resarcire damnum dotando. Respondeo affirmativè, quia juxta Canones cogi non potest ad matrimonium seclusâ promissione.

Ex his colligitur, quod in casu Responsionis principalis ad quæstionem non sit locus Regulæ 70. Juris in 6. *in*

*alternativis debitoris est electio* propter rationem supra allegatam.

605. Respondeo secundò ad quæstionem 16. si oppressa æque benè nubat alteri, ad nullam compensationem teneri oppressorem in conscientia ante sententiam judicis, Lugo *num. 16.* cum alijs contra Molin. *tom. 4. Disp. 106. n. 6.* quia nullum patitur damnum distinctum à Sigilli virginalis ruptura, pro qua nihil est restituendum contra Molin. est enim de genere pretio non æstimabilium.

Respondeo tertiò ad quæstionem 16. stuprator non violentus viduæ honestæ, & deflorator Virginis simplici petitioni consentientis sine promisso matrimonio in foro conscientiæ ante sententiam judicis, nec tenetur ducere, nec dotare, ita sentit communis opinio cum Lugo *Disput. 12. n. 2.* quia scienter volenti nulla fit injuria sive viduæ, sive Virgini: talis enim non est seducta, qualem *c. 1. de adulteriis* obligat ad ducendam, & dotandam, ubi copulativa *Et* hodie ex recepto more sumenda est pro disjunctiva *vel.*

An precibus importunis, aut muneribus allecta censenda sit seducta, atque adeò debeat duci, aut dotari, affirmat Molin. *Disput. 104.* & multi apud Lugo *num. 4.* cum quo *num. 10.* negativam esse probabiliorem sentio, quia preces, munera, &c. relinquunt perfectam libertatem, nisi ut rectè ibidem excipit preces importunæ sint Domini, Principis, aut superioris puellæ, tunc enim causant metum reverentialem, consequenter quandam injuriam; quæ obligat, ut ducatur, aut dotetur, Gobat *tract. 10. n. 214. in edit. anni 1681.*

Dixi ante *sententiam Judicis*, nam post hanc cogitur eam ducere Less. *lib. 2. c. 7 n. 44.* ad hoc enim justè secundum leges potest condemnari.

605. Respondeo quartò ad quæstionem 16. violatorem fœminæ cum sincera matrimonij promissione obligari determinatè ad eam ducendam, nisi superveniat impedimentum dirimens], aut sufficiens ad divortium, si esset matrimonium contractum. Responsio est certa apud Sanch. *lib. 1. de matrim. Disp. 27. & 28.* Sponsalia enim sunt contractus oneroſus, ísque reciprocus obligans non ex sola fidelitate, sed etiam ex justitia sub mortali.

Utrum si ejusmodi violator fuisset obstrictus voto simplici castitatis, aut ingrediendi Religionem, priúsquam promisisset & violâsset, nihilominus adhuc teneatur ducere? Negant plures cum Laym. *lib. 5. tract. 10. p. 1. c. 2. n. 5.* quia votum non cessat, præponderátque sponsalibus utpote nullis, ac irritis, aliàs obligarent ad illicitum nempe ad matrimonium. Affirmant Sanch. *Disput. 45.* Lugo *de just. Disp. 12. n. 42.* Ratio est, quod obligatio voti ortum habeat à gratuita voventis voluntate, proinde imbibat conditionem, si rerum status notabiliter non mutetur, ita ut citra magnam difficultatem promissum nequeat impleri, uti explicat Lugo *Disput. 20. n. 140.* in casu autem proposito observatio voti præjudicaret juri à defloratæ acquisito, non titulo promissionis matrimonij utpote post votum irriti, sed titulo oneris ab inducta sub spe matrimonij injustè illati.

Re-

Respondeo affirmativam esse probabiliorem eámque in tract. Canonistico impresso Anno 1713. amplexus sum *n. 56.* ibíque argumenta probabiliter dissentientium solvi.

606. Respondeo quintò ad quæstionem 16. fictè promittens fœminæ matrimonium, eâque abutens debet determinatè ducere, non vi promissionis, utpote nullius, seu factæ sine animo se obligandi, sed quia ex rigore justitiæ ex natura hujus contractûs debuit sincerè promittere, id est, habere animum se obligandi, quem cum defacto possit concipere, tenetur ad id ex justitia. Sanch. *lib. 1. de matrim. Disput. 10.* contra Perez, Bonacin. &c. obligantes duntaxat indeterminatè, nempe si nolit dotare. Excipit à dato Responso Sanch. *à num. 5.* si fœmina advertat fictionem, præsumitur autem advertisse, quando scit viri conditionem esse notabiliter majorem: quando autem id accidat arbitrio viri prudentis relinquit, exemplificátque, si vir sit nobilis, fœmina autem rustica, aut si pares sint conditione, multum tamen dispares in divitijs, éstque id verum, esto ficta promissio esset juramento confirmata animo se non obligandi, Sanch. *n. 8.* imò sufficit, quod facilè potuerit advertere, etsi non adverterit fictionem Sanch *n. 5.* dat rationem Gobat *tract. 10. num. 232.* quod fingens prudenter præsumat fictionem esse notatam, proinde à Fœmina fieri potestatem corporis non ob promissionem, sed libidinem, unde videtur hic locus Regulæ penultim in 6. *damnum, quod quis suâ culpâ sentit, sibi debet non aliis imputare.*

Sed quid? si Fictus promissor dignioris conditionis defloret ignaram excessûs, aut consciam, sed cui ita promisit matrimonium, ut prudenter crederet esse veram promissionem. Multi cum Dicastill. *de matrim. Disput. 1. n. 187.* obligant ad ducendam; promissor enim est conscius notabilis excessûs, éstque hujus Dominus, atque adeò sponte promittens cedit juri suo, donátque excessum, unde à fortiori tenetur, si ab ea accepit usum corporis, Vasq. *de matrim. Disput. 6. c 4 & in opuscul. de Restit. dub 3. num 21.* Hanc sententiam esse satis probabilem sentit Molin. *tract. 4. Disputat. 106.* Sanch. *n. 20.* cum quo *n. 21.* Respondeo negativè, tenetur ergo instar vi, aut fraude deflorantis ob datam rationem *num. 603. vers. Nihilominus*, nimirum cessare obligationem ducendi, quando nuptiæ cum tali forent longè gravius damnum, quam sit damnum fœminæ tam dispari illatum.

607. Quæres 17. an docens falsum, aut ad peccatum inducens peccet contra justitiam, sive an sit quid restituendum ab eo, qui alterum læsit in bonis animæ naturalibus, aut spiritualibus.

Respondeo primò inducens culpabiliter alterum in errorem practicum E.g. ut restituat, quod non est restituendum, aut ècontra peccat graviter contra justitiam cum onere restitutionis, aut si nondum sit Consilium datum executioni, revocare, Lugo de *just. Disp. 9. n. 2.*

Respondeo Secundò inducens in errorem purè speculativum unum, aut alterum non peccat mortaliter contra ju-

stitiam etsi ex officio doceat, quia est damnum exiguum, nisi error concernat principia universalia, ex quibus multæ falsæ conclusiones deducerentur, aut error sit contra mysteria fidei principalia, seu gravia, ut si doceret spiritum S. non procedere â filio; tunc enim est damnum grave, Lugo *â n.* 3. Sanch. *Lib. 1. Consil. c. 3. dub. 4. â n.* 10. Prior. *n. 6.* addit Magistrum ex officio satisfacere suo muneri tradendo doctrinam probabilem, etsi ipse crederet falsam.

De comprehensis hoc secundo Responso *in Tract. de actib. human.* Sequentem tradidi conclusionem. Professor in quacunque materia sive speculativa, sive practica, sive fidei, sive morum scienter docens opiniones falsas peccat, quia omnis error voluntarius est peccatum, ergo illum docens peccat, & quidem indubiè mortaliter erronea docens in materia fidei, aut morum, præbet enim suis auditoribus occasionem gravis ruinæ, eisque infert gravem injuriam, agitque contra munus magistri, unde est mortale contra justitiam præsertim in Magistris stipendiatis, idque probabilius procedit contra salas etiam in Philosophicis, nisi materiæ erroneæ parvitas excuset, Rhodes *de Actib. Human. Disp. 2. q. 2. sect 3. §. 3.* excusans â mortali docentem minus probabilem relictâ eâ, quam censet probabiliorem, putatque esse verius contra Sanch. *Lib. 1. Moral. c. 9. n. 26.* nec venialiter delinquere, cam cuivis fas sit sequi probabilia; & contra Soarez 1. 2. *D 12. sect. n. 9.* damnantem mortalis apud cit, Rhodes, P. Stephan. Champs *in quæstione facti c. 8* ubi sub finem inducit sic loquentem: *tenetur præceptor saniorem, & veriorem doctrinam docere, in quo potest per gradus peccare juxta materiæ qualitatem.* & Becan. *in Summa p. 2. c. 4. q. 9. n.* 64. ait. *tertio sequitur Præceptorem teneri docere sententias, quas credit esse probabiliores, & adhibere moralem diligentiam, ut veritatem assequatur, quia alioquin injuriam facit discipulis.* assumendo enim munus publici Magistri, videtur ad id se obligare, cum Reipublicæ mens sit tradi doctrinam propriam Magistri, quia tamen doctrina minùs probabilis adhuc est sana, idcirco non videtur esse intentio se obligandi graviter, sed solùm leviter. Et hoc existimo esse probabilius, pro hac conclusione plures Doctores vide apud Champs *in cit. quæst. facti* quam P. Honorat. Fabri sui Apologetici appressit *in p. 2. in. princ. â fol. 4.*

Addo Consiliarium danrem consilium obligari aperire sensum proprium quia hæc est mens consulentis.

608. Respondeo Tertiò ad quæstionem 17. inducens vi, metu aut fraude alterum ad peccatum, vel errorem in moribus, & rebus fidei peccat in materia gravi mortaliter contra justitiam cum obligatione restituendi, quia invito graviter nocet in bonis animæ, ita Lugo *n. 9.* meritò negans contra Scotum, & plures alios, quorum opinionem probabiliorem amplectitur Sporer *Tract. 5. in Decal. c. 1. n. 115.* secluso metu, vi, aut fraude peccari solùm contra charitatem, quia ubi non est vis, aut fraus, non est injuria: imo Vasq. apud Lugo existimat, quod seducens sine vi per deceptionem, & fraudem non peccet contra justitiam, nisi inducat ad peccatum contra justitiam, at

in

in alijs materijs reus sit solùm peccati contra præceptum illud, contra quod est error. Verùm rectius Lugo *n. 12.* cum Less. *Lib. 2. c. 8. dub. 2. n. 3.* arguit peccati injustitiæ etiam sine vi decipientem, omnes enim dolum vel fraudem æquiparant violentiæ, cum quisque habeat jus, ne inducatur ad peccandum etiam fraudulenter.

Amplia datum Responsum præcedens ad casum, quo inductus hic, & nunc invincibiliter ignorat culpam, patitur enim grave malum materiale, quod etsi per se grave non sit, per accidens tamen grave esse potest, ut si innocenti puellæ persuadeas peccatum carnale non esse peccatum, tunc enim graviter noces cooperando amissæ virginitati, exponisque periculo continuandi postea peccatum sublatâ hujus ignorantiâ Sporer *n. 116.* ex Lugo *n. 14.* notans ex *Disp. 16. de pœnit. à n. 155.* non esse peccatum ejusdem speciei inducere invincibiliter ignorantem in peccatum cum inductione sine ignorantia (nisi sit inductio ad injustitiam, tunc enim præter scandalum continet injustitiam ob cooperationem ad læsionem juris alieni) sicut non est peccatum ejusdem speciei violare jejunium, & provocare ad id violandum, sicut non est ejusdem virtutis velle jejunare, & velle quod alij jejunent, quia singulæ virtutes directè obligant ad suos actus directè præceptos, indirectè verò, ne alij avertant âb earum observantia.

Quamvis quisque ex charitate obligatus sit corrigere proximum peccantem, majori tamen titulo obligatur vi, aut fraude inducens, quia hic est Author peccati, secùs alij, attamen communiter non tenetur sub mortali ad plus, quam alij, quia charitas non obligat sub mortali, nisi urgente necessitate gravi proximi, quo casu etiam cæteri tenentur Less. *n. 10.* approbatus â Lugo *n. 15.*

Qui malo suo exemplo E. g. furto est occasio furti gravis alterius prævisi, sed non intenti, an peccet mortaliter non solùm peccato scandali indirecti contra charitatem, sed etiam contra justitiam cum obligatione restituendi, dubitari potest; Lugo cit. *Disp. de pœnit. n. 159.* negat peccari contra justitiam, sed solam charitatem rationem reddens *n. 161.* quod quævis quidem virtus obliget non solum directè ad sui amplexum, sed etiam indirectè, ne in alijs positivè impediam non tamen me obligat, ut positivè procurem ejus impletionem. Hinc docet non teneri pœnitentem explicare in confessione speciem peccati, ad quod indirectè exemplo suo induxit, sed sufficit exponere malitiam scandali dicendo E. g. meo exemplo, aut opere dedi proximo occasionem gravis lapsûs. Affirmat. Sanch. *Lib. 1. in Decal. c. 6. n. 8.* Vasq. *1. 2. Disp. 102. c. 3. n. 5. & c. 7. n. 23.* Coninch. *Disp. 32. de charit. dub 5. n. 35.* Dicastill. *de pœnis. Disp. 9. n. 336.* cum quibus sensi *in Tract. de pœnit.* & de facto teneo, etsi fatear sententiam Lugo esse tutam.

Respondeo ergo ad primum probabilius opponi etiam justitiæ, proinde esse peccatum injustitiæ saltem reductivè, quia quævis virtus non solùm obligat, ne directè procuretur violatio ejus, sed etiam indirectè, nempe exemplo pravo positivo.

Respondeo ad secundum non obligari restituere eriam in nostra sententia,

Sanch

Sanch. *n. 5*, Dicastill. *n. 343*. Soarez *de charitate Disp.* 10. *Sect. 2. n.* 10. Ratio est, quod obligatio restituendi fundetur in actione perfectè læsiva justitiæ, talis autem est sola verè, ac directè influens.

609. Quæres 18. quæ sit culpa, & obligatio primò impedientis aliquem âb ingressu Religionis. Secundò extrahentis ex Religione. Tertiò negantis suffragium pro professione.

Respondeo Primò ad Primum vi, aut fraude impediens âb ingressu secundum omnes peccat contra justitiam mortaliter, quisque enim habet jus, ne violenter, aut fraudulenter impediatur, estque materia gravis, & ideo ex justitia debet tollere vim aut fraudem. At impediens, aut extrahens ex Novitiatu sine vi, aut dolo, sed blanditijs, & precibus peccat contra solam charitatem Lugo. *de just. Disp. 9. n. 27.* & quidem non mortaliter. Filliuc. *Tom. 2. Tract. 32. c. 6. n.* 171. Dian. *p.* 11. *Tract. 3. Resol.* 22. ex communi, etsi enim hoc sit spirituale damnum sat magnum, alter tamen voluntariè patitur, est tamen grande veniale secluså causâ justâ Soarez *tom. 3. de Relig Lib. 5. c. 9. n. 9.* addens quod intendens Solam dilationem minus peccat, imò vacat omni culpâ si adsit causa justa; unde parentes licitè aliquantulum filios detinent ad probandam eorum constantiam; in margine autem sic habet: qui avertit alterum âb ingressu Religionis solùm precibus, & promissionibus, non graviter peccat, nisi preces sint importunæ, ac sine ulla causa contra certam Spiritûs S. Vocationem.

Respondeo Secundò ad Primum ultra ablatam vim aut dolum, obligatur raparare ex justitia totum damnum tam temporale, quam spirituale, si quod passus est impeditus â Religione; item debet impeditum inducere ad Religionis ingressum ex charitate, non ex justitia, Lugo *n.* 28 Sanch. *Lib.* 1. *Consil. c. 3 dub. 2. n. 8.* contra Aragon. quia ablatâ vi, & fraude non amplius patitur invitus damnum, si non persuasit ingressum non tenetur ex iustitia procurare ingressum alterius æquè boni, aut eo non reperto ipse ingredi Lugo *n.* 30. *& sequent.* contra Scot, Sylvest. Molin *Tom. 5. Disp.* 51. *n.* 8. quia forum externum non condemnaret eum, ut ipse ingrediatur, aut alium procuret, ergo signum est non esse obligationem justitiæ, idque probatur etiam â priori, quod non sit obligatio compensandi damnum ordinis inferioris per damnum ordinis superioris, si autem deberet ipse ingredi, aut alium substituere, damnum ordinis inferioris deberet compensare per damnum ordinis superioris, nempe per amissionem suæ, aut alterius libertatis jacturam impediti ab ingressu Religionis &c. quæ jactura est damnum temporale ordinis inferioris libertate humanâ.

610. An ex justitia debeat resarcire Religioni damna si quæ patitur occasione per vim, aut fraudem impediti, ut si hic attulisset aliqua Religioni emolumenta, est controversum. Negat Sanchez *n.* 22. quia Religio nullum habet jus ad emolumenta Novitij ante professionem. Communis apud Lugo *n.* 33. affirmat, quia etsi Religio non habeat jus dictum, habet tamen jus, ne vi, aut fraude impediatur âb emolumentis speratis

ratis âb ingressuro, sicut habet jus, ne quis vi, aut fraude impediat, volentem legare tibi centum, sed impediens tenetur tibi restituere, quantum valet spes legati, etsi ad hoc nullum habeas jus ergo etiam, &c.

Lugo *n. 34.* Distingvit inter emolumenta per se connexa cum persona impediti, uti est industria ipsius personæ E. g. ex peritia juris &c. & emolumenta per se non connexa, uti si sit dives, aut speret hæreditatem, nam ante professionem potest alijs donare, Emolumenta primi generis debet refundere Religioni, quia voluntas ingrediendi est per se connexa cum hisce, emolumentis non minùs quam voluntas legandi cum emolumento legati, sed hoc debet resarciri, etsi impeditus âb eo ad illud non habeat jus, ergo etiam emolumenta primi generis debent resarciri Religioni, etsi hæc ad illa non habeat jus, unde solutum est fundamentum Sanchezij quatenus huic parti opponitur.

De Emolumentis secundi generis, seu per se non connexis cum persona ingressura subdistingvit, si vi, aut fraude impediat ingressum Religionis ex intentione, ne bona talia perveniant ad Religionem, amplectitur affirmativam, proinde esse restituenda emolumenta non integrè, sed secundum spem præsentem (sunt enim multipliciter impedibilia) & deductis expensis, quia hæc prava intentio est vera causa influens in jacturam talium emolumentorum per actionem externam graviter injustam, si verò impediat sine tali intentione censet opinionem Sanchez esse probabilem, quia cum persona possit ingredi, quin bona sua det Religioni, voluntas per se tendens ad impediendum ingressum, non est causa per se jacturæ bonorum respectu Religionis, sed per accidens, cum bona talia per se non sint connexa cum persona.

611. Respondeo Primò ad Secundum in quæstione 18 propositum, si fiat extractio ex Novitiatu, dicta *n.* 609. de impedito âb ingressione applica extractioni, quæ similiter fieri potest cum vi aut fraude, aut sine vi & fraude.

Respondeo Secundò ad secundum in quæstione 18. qui absque vi, aut fraude, sed consilio vel precibus &c. extrahit Professum aut Religiosum societatis post vota emissa simplicia gravissimè peccat tum contra charitatem, tum contra Religionis virtutem, attamen ad nihil ex justitia tenetur Professo, aut dicto Religioso, scienti enim, & volenti non fit injuria, obligatur tamen ex charitate, & quidem plus quam alij regressum ipsius, & pœnitentiam procurare. Molin. *tom. 5. Disp. 51. n. 3.* ob rationem *n. 608. in Fin.* Ratio autem primi, & secundi est, quod Consilium, aut preces ejusmodi intendant malum grave proximi, ad cujus oppositum se Religiosus obstrinxit per vota, proinde exitus est secrilegus, si autem vi, aut fraude est extractus, debet extrahens reparare ex justitia omnia damna spiritualia, & temporalia, peccat enim gravissimè contra justitiam. Hunc applica *n.* 609. Responsum secundum ad Primum.

612. Difficultas major est, ad quid ex justitia teneatur Religioni extrahens etiam Consilio, aut precibus, aut promissis, si enim peccat contra justitiam, sequitur teneri resarcire totum damnum. Utrum autem peccet contra justitiam,

multùm controvertitur. Affirmant cit. Molin. Vasq. & communis obligantes ad omnem curam impendendam, ut abstractus reducatur, si abstrahens id nequit facere, volunt Scotus, Sylvest. Palud, &c. ut alium æque commodum inducat, aut si nec hoc, quod ipse abstrahens debeat se offerre Religioni exemplo S. Raymundi ex tali causa ordinem S. Dominici ingressi. Verum hæc opinio quatenus obligat ad procurandum alium, aut quod debeat ipse abstrahens se offerre, est refutata in Fin. *n.* 609. Ratio affirmativæ est, quod Religio habeat verum, & strictum jus ad Religiosum, & omnia ejus emolumenta, hoc jus violatur per extractionem etiam non violentam, aut fraudulentam.

Negat Sanch. *Lib.* 1. *Consil. c.* 3. *dub.* 2. *n.* 6. Less. *c.* 8. *dub.* 3. *n.* 16. Lugo, *n.* 41. quia quando causa principalis non peccat contra justitiam, etiam non peccat contra justitiam causa secundaria, sed professus egrediendo non peccat contra justitiam, sed contra virtutem Religionis, etsi sit causa Principalis, utpote causa exequens, ergo nec peccat causa secundaria, talis autem est consulens &c. comparativè ad exequentem.

Respondent affirmantes, sive Professus obligetur ex justitia, sive ex obedientia procurare bona ordini, hic habet verum jus ad commoda âb eo procuranda, ergo ijs absque injuria ordo nequit privari, estque egressio verè Ordini injuriosa, atque adeò etiam privatio commodorum temporalium, cum qua per se connectitur egressio, est injuriosa Ordini.

Reponit Lessius *n.* 18. & 19 primò negando âb abstrahente fieri injuriam, quæ sit contra justitiam, sed contra virtutem Religionis, quæ non obligat ad restitutionem. Secundò etsi verius sit, quod egressio sit injuria opposita juri, quod habet Orde in eum, quia tamen non obligatur ex justitia, sed sola obedientia procurare emolumenta Ordinis, idcirco horum non procuratio ut pendens ab egrediente non est injustitia, consequenter nec suadens egressionem, etsi sit injustus relatè ad egressionem, non tamen respectu damni alterius distincti, si quod sequitur ex ipsa injusta egressione, nec ex suasione, sed immediatè ex Libera voluntate egredientis, oppositum fit, quando vi, aut fraude extrahitur.

Respondeo utramque sententiam esse probabilem, præfero tamen affirmativam, quia etsi ipse Religiosus non sit injustus contra Religionem, sed Sacrilegus, cum ex justitia non teneatur curare commoda Religionis, quia tamen Religio habet jura suitatis, ac dominium professi, etiam habet jus ad rem in emolumenta âb eo promanatura, hoc jus lædit extrahens consequenter est verè injustus.

613. Pro coronide ad secundum punctum superioris quæstionis nempe 18. *n.* 609. propositæ circa restitutionem per vim, aut fraudem inducentis ut Professus, aut Novitius egrederetur, aut ne quis Religionem ingrederetur, plura tradit Vasq apud Lugo *de just. Disp.* 9. *n.* 45. qui colligit sequentem Regulam in sententia Vasquezij, si is, qui induxit, fraudem, vel vim abstulit post tempus illud, quo aliquis Religionem ingredi volebat, veldonationem facere &c. obligatur damna resarcire, secùs si ante illud tempus fraus, aut vis ablata verè fuit

fuit. Idem ferè Sentit Sanchez *n. 19.* ubi de extrahente vi aut fraude Professũ, docet, quod si extrahens manifestet veritatẽ, tollatque vim extracto Religioso, qui tamen nollet regredi ad Monasteriũ, non teneatur de damno in futurum secuturo ipsi Monasterio, quia tota injustitia consistebat in vi, & dolo, quo ablato nequit amplius esse causa injusta respectu damni sequentis

Lugo *n. 49.* censet Regulam præfatam procedere, si ita retractetur vis, aut dolus, ut postea nullatenus ea de causa moveatur inductus ad non regrediendum, aut non ingrediendum Religionem nec in affectus subsequentes aliquem influxum habeat facta vis, aut dolus, tunc omnino illi imputari non possunt sequentia damna, nec debet reparare, id tamen rarissimum esse, ut post sublatam vim aut fraudem adhuc non moveatur â causa posita per extractorem, hic enim sustulit primum fervorem non facilè recuperabilem, aut si posuit aliquid reddens difficiliorem redditum, ut si mores corrupit curis sæcularibus, aut debitis intricavit, igitur ordinariè injustus impeditor etiam sublatâ vi, aut fraude influit in damna, consequenter debet resarcire Religioni non integrè, sed secundum proportionem spei, ut superius dictum. Imò frequenter cessat in totum, aut potiore ex parte obligatio restituendi, ut si defectus extracti facilè suppleatur per alium æque utilem monasterio; Lugo *n. 52. in fin.* ex Vasq. & Less.

614. Respondeo ad Tertium *n.* 609 propositæ quæstionis 18. Punctum, Novitio negantes suffragium absque causa justa peccant mortaliter tum contra charitatem, tum contra justitiam legalem, tum commutativam. Pars Prima est communis cum Lugo *n.* 54. Soarez &c. contra Sanch. *Lib. 5. in Decal. c. 4. n. 59.* se fundantem in hoc: Novitius absque causa egrediens non peccat mortaliter, ergo nec Religio eum non admittens ad Professionem. Verùm disparitas est, quod sponte exiens nullam incurrat notam, secùs dimissus, cum sciant omnes volentem non dimitti ullum, nisi ob defectus naturales, aut morales reddentes inhabilem, aut minus aptum, quæ opinio non potest non esse gravi dedecori dimisso, proinde nequit â mortali contra charitatem excusari Religio, aut Prælatus absque causa sufficiente dimittens Advertit autem Lugo *n. 55.* ad licitè dimittendum non requiri defectus notabiles, sed sufficit, quod sanitas, aut indoles, aut aliud Novitij talentum minùs utile Religioni videatur, ut si parentum indignatio parentium obesse ordini timeatur.

Pars Secunda probatur cum Sporer *Tract. 5. in Decal. c. 1. n. 143.* quod hoc sit contra officium suffragatorum, horum enim muneris est judicare de aptitudine & causæ meritis, atqui judicare absque causa justa aliquem non esse aptum Religioni est gravis disordinatio contra communitatem talem Religiosam consequenter contra justitiam Legalem, cujus est procurare bonum communitatis.

Probatur pars tertia quod receptio Novitij sit contractus mutuus onerosus, vi cujus Religio offert alimenta, probationem, examen, & judicium legitimum ferendum de Novitij Professione secundum experimenta probati-

bationis, Novitius verò ex parte sua subit onus probationis, periculum majoris damni si fortè non correspondebit. Est ergo contra contractum onerosum, atque adeò contra justitiam commutativam absque justa causa ad professionem non admittere.

An qui absque causa egreditur ex Novitiatu debeat expensas Monasterio refundere, communior veriorque sententia apud Lugo *n.* 61. Negat teneri etiam ad partem contra aliquos bonâ fide ingredientem, affirmat verò de ingrediente malâ fide, seu animo redeundi ad sæculum, unde scholasticus societatis vota emittens animo exeundi peractis studijs, teneretur refundere, licèt postea extorqueat dimissionem, quia decipit injustè societatem, Lugo *n.* 65. Ratio primæ partis suadetur ex praxi Religionum. Ratio secundæ, quod tunc dolus Novitij det causam contractui, de quo proxime est dictum cum damno religionis. Hæc Ratio etiam probat partem tertiam, deduci tamen deberet valor operæ â Novitio, aut scholastico Societatis Religioni præstitæ.

# ARTICULUS. XIII

## *De Beneficijs seu privilegijs â jure statutis pro, aut contra debitores aut circa contractus.*

615. QUæres Primò quid sit beneficium senatûs Consulti Macedoniani. Respondeo essei llud, vi cujus parentes, si quid sinè horum scitu est filijs familias concessum, & in non necessaria, aut utilia, aut parentibus commoda, sed in ludicra, superba, comessationes &c. expensum excipi potest contra mutuatores postulantes solutionem, ac debitum non solvi, ita habetur *in Legibus ff. de S. C. Macedoniano* de quo vide *n.* 116.

Quæres secundò quid sit beneficium Senatûs consulti Vellejanum, de quo *in LL. C. ad Senat consul. Vellejanum*? & quibus in casibus cessat ejus usus? Respondeo ad Primum, quod sit id, vigore cujus succurritur fœminis propter eorum imbecillitatem, simplicitatem, ac facilitatem iminentis ejsdem deceptionis, ne earum fidejussio non confecto publico instrumento â tribus testibus subsignato sit ullius Roboris ad pariendum obligationem, sivè civilem, sivè naturalem, confecto verò instrumento solenni datur quidem creditori actio, mulieri verò opus est oppositione exceptionis ex senat consult. Vellejano, si velit liberari âb obligatione per *L. 23. §. fin. C. ad senat. Consult. Vellejan.* imò jurè novissimo *Novell. 134.*

ex

ex qua est desumpta *Auth. in qua mulier. cod. eod.* fidejussio etiam solemnizata pro marito facta non valet, nisi manifestè probetur, quod creditum pecuniarium fuerit expensum in propriam utilitatem ipsius mulieris, aut consuetudo contraria recepta sit, prout in Germania passim mercatorum uxores quasi sociæ, & correæ debendi pro maritis tenentur teste Gaill. *lib. 2. Obser. 90. num. 5.* solùm pro casu, quo pecuniam, aut merces accepit, & comparavit pro communi negotiatione, secùs quoad accepta in suam propriam utilitatem. In Bavaria tamen aliter est constitutum apud Haunold. *tract. 9. de contr. 7. senat. Consul. Vellejan. n. 117. vers. in Germania.*

Respondeo ad secundum quæstionis secundæ non habere locum primò, quando mulier adhuc tutrix prolium (huic ante Reliquos agnatos, uti & Aviæ tutela permittitur) nondum datis rationibus administrationis suæ convolat ad vota secunda, *Auth. matri, & Aviæ c. quando mulier offic. tutell. fung.* quia sine fidejussione nequit tutela commodè administrari. Eo casu maritus secundus pro uxore tenetur, & ejus bona liberis primi matrimonij tacitè obligantur *per textum in L. penult. c. in quibus causis pig. tacit. contrah.* Gaill. *cit. num. 2.* monens id singulari pupillorum favore esse receptum, ob quem mulier tutrix etiam incarcerari potest, & aliàs in causa civili mulier Regulariter ratione debiti ob sexûs pudorem nequeat carceri mancipari. Unde idem Gaill. insinuat, ut viri volentes contrahere cum vidua implicata rationibus prolium prioris matrimonij non contrahant ante rationes liquidatas. Secundò, si pro eo, pro quo fidejussit, sit parata judicium accipere, ut non detur actio in veterem debitorem, &c. cavere debet se non usuram exceptione sibi concessâ & sic ad judicem ire *L. fin. ff. de senat. consult. Vell.* adhunc §. fin. supponit Gloss. interlinealis Bartoli quod cautio fieri debeat.

Tertiò fidejussio non gaudet dicto privilegio, quando fidejubendo mulier intendit decipere creditorem, *L. 30. c. ad senat. consult. Vell.* ut si permittat dissimulanter oppignorari bona sua â marito quasi propria mariti, aut fingit pecunias mutuas accipere in suam utilitatem, vel si pro fidejussione accipit pretium, *L. 23. c. eod.* vel si biennio elapso à fidejussione pignus det, aut ratificet illam, *L. 22. cod. eod.* vel si fidejusserit in suam utilitatem E. g. pro suo creditore, *L. 2. cod. cit. & L. 3 ff. eod.*

Si petatur differentia inter senat. consult. Macedon. & senat. consult. Vell. Respondeo esse hanc, quod Vellejanum sit favor inductus præcisè in favorem mulierum, Macedonianum verò constitutum est etiam, ac æquè in odium fœneratorum, & ideo filiusfamilias nequit renuntiare suo favori, quem habet ex Macedoniano, nec si solvit debitum non excipiendo contra mutuatorem, solutum repetere per *num. 116.* Econtra mulier potest saltem judicialiter renuntiare Vellejano, ac solutum repetere, secùs extra judicialiter, nisi juramento firmet renuntiationem, Haunold. *tr. 9. n. 135. & 138.*

616. Quæres tertiò quid sit beneficium cessionis bonorum? quibus concedatur? an bonis cedens possit occultare necessaria ad tenuem victum, De eo agitur *in tit. ff. de cessione bonorum & C. qui bonis cedere possunt.* Respondeo ad primum esse beneficium inductum in remedium debitorum incarcerabilium ob solvendi impotentiam, *dictum Flebile ac miserabile*, ut possint unum ex duobus eligere, carcerem aut cessionem bonorum. Traditis juridicè bonis, ut creditoribus pro posse satisfiat, duo habet emolumenta debitor; primum, quod amplius ob debita nequeat incarcerari; Secundum quod ad cedenda bona post cessionem acquirenda nequeat cogi, sed solùm ex jis debet solvere restantia debita, quantum commodè potest.

Respondeo ad secundum quæstionis tertiæ id denegari debitoribus ex delicto *L. generaliter ff. de pœnis.* Huc spectant sua bona in creditorum fraudem alienantes, aut qui spe futuræ cessionis debita contraxerunt, modo de ea voluntate indubitatè constet, aut qui bona sua prodegerunt, aut æs alienum contraxerunt conscij se non esse solvendo, aut qui bona, aut partem bonorum celarunt, dum crederent. Secundò denegatur tutoribus conventis ob administratam tutelam. Ad hos Fuldenius revocat administratores priorum locorum, verum consuetudo loci est consulenda, Haunold. *443.*

Respondeo ad tertium quæstionis tertiæ affirmativè, quia leges statuentes, ut omnia manifestentur (relinquitur illis solus vestitus, exceptis jis, qui sunt privilegiati) sunt pœnales, forétque iniqua judicis sententia conjiciens in extremam, aut gravem necessitatem debitorem, cum sit contra jus naturale. Hinc in Germania opificibus relinquuntur instrumenta ad victum quærendum teste Manzio apud Haunold. *n. 445.*

Circa beneficium cessionis ulterius nota primò plures personas à jure esse privilegiatas, quæ non possunt incarcerari pro civili debito apud Haunold, *tract. 2. à n. 434.* videlicet primo fœminas honestæ vitæ. Secundò milites armatæ militiæ. Tertiò personas Nobiles, ac Illustres. Quartò constitutos in dignitate, ut Doctores, & Professores. Quintò Clericos gaudentes privilegio fori, nisi sint de fuga suspecti.

Nota secundò præter dictas personas privilegiatas etiam incarcerari non posse, de quibus notoriè constat non esse solvendo, non titulo privilegij, sed quia non sunt contumaces: proinde illi soli sunt incarcerabiles, qui vero similiter sunt solvendo (horum carcer non dicitur pœnalis sed obedientialis) imò nec hi si jurent se nihil habere ad solvendum, dummodo inculpabiliter sint effecti inopes, *Novel. 135.*

Nota tertiò debitor de fuga non suspectus conventus à creditoribus ad bonis cedendum, potest ab jis petere inducias quinquennales ad solvendum, ne cogatur facere cessionem: jis obtentis, si non solvit, nequit uti amplius beneficio cessionis, sed aut integre solvere in ære, aut luere in pelle, nempe carcere Gloss. *in L. fin. c. qui bonis cedere possunt.*

617. Quæres quartò quid sit beneficium competentiæ, & quibus concessum?

sum? Respondeo ad primum esse illud, vi cujus quis non possit conveniri in plus, quam salvâ competente sustentatione præstare possit, Haunold. *n. 453.*

Respondeo ad secundum ex Regula generali contra Hunnium quicúnque cogi non possunt ad cedendum bonis, gaudent beneficio competentiæ, Haunold. *num. 458. à n. 453.* numerans sequentes personas, quæ nequeunt conveniri, nisi salvâ sustentatione congruâ, uti parentes conventi à liberis, frater à fratre Germano, Socius à Socio, maritus ab uxore dotem repetente, idem privilegium competit militi armato *ff. de re judic.* éstque probabilius extendendum cum Haunold. *n. 457.* ad milites togatos contra Zasium, Duaren. Hunnium. videlicet ad Doctores juris, Advocatos, Medicos, Professores, eorúmque uxores, & filiós idque colligitur *ex L. Medicos 6. c. de Professoribus & Medic.* eos liberante ab incarceratione ob debita civilia. Accensentur jisdem ex communiore contra CC. propter eandem causam Clerici in sacris constituti, quod aliqui ampliant ad omnes Clericos privilegio fori gaudentes.

Item competit viri socero, seu patri uxoris, si durante matrimonio conveniatur titulo doris insolutæ, secùs soluto matrimonio *L. penult. ff. de jur. dot.* socero verò uxoris, seu patri mariti, si convenitur à nutu tam stante, quam soluto matrimonio *L. 15. §. 2. ff. solut. matrim.*

Item redactis ad inopiam ob temporum iniquitatem, ita ut probabilius cum Manzio & alijs decem Jurisconsultis tradit Haunold, *n. 460.* quibus *num. 435.* ex communiore addit personas nobiles, ac Illustres.

618. Quæres quintò, quid sit beneficium *c. Odorardus de solutionibus?* quibus competat, aut non competat? & an sit renuntiabile? Respondeo ad primum esse privilegium, seu immunitatem personalem personæ Ecclesiasticæ concessam in casu, quo conventa à creditoribus ob civilia debita solvendi impotens liberatur à cessione bonorum, & incarceratione, instantibus tamen creditoribus redditus, & fructus beneficij in solutum assignandi sunt deducto semper eo, quod exigit honesta sustentatio præstitâ cautione juratoria (pignoratitiam aut fidejussoriam pauperes communiter præstare non possunt) de solutione integra pinguioris fortunæ tempore.

Ad hoc beneficium non admittitur Clericus, nisi instent debitores adversus illum, Barbos. *Lib. 1. Jur. Univers. c. 39. §. 6. n. 3.* debétque prius probare suam paupertatem, quia solvendi impossibilitas fundat dictum privilegium, sufficit autem probatio summaria, eáque non multùm scrupulosa, sed urbane fiat, ita servatur in Curia Romana.

Respondeo ad secundum quæstionis quintæ id competere primò Religiosis, Barbos. *ad cit. c. Odoardus num. 5.* Secundò probabiliter etiam Clericis minoribus, aut Tonsuristis destitutis beneficio, aut servitio Ecclesiæ, dummodo Clericam gestent. Pirhing *de solutionibus n. 25.* Fagnan. *ibid. à n. 24.*

Econtra non prodest hoc privilegium Clericis. Primò redactis ad inopiam culpabiliter Barbos. *num. 21.* contra Hostien. & Joannem Andream. Secundò

cundò ob dolum commissum, ut si quis spe hujus beneficij contraxit debita, aut bona dissipavit in fraudem creditorum Barbos. *num. 17. & 18.* Tertiò conventis ex delicto, quo casu pœna pecuniaria, quæ de jure infligeretur, commutatur in corporalem propter inopiam Rei, *L. 1. §. fin. ff. de pœnis c. 5. de dolo & contumacia*; hoc intelligendum, quando actor agit de delicto criminaliter, seu de pœna fisco applicanda: si agit de pœna sibi applicanda sine ejus consensu nequit commutari in corporalem *Arg. can. Fraternitatis 11. 12. q. 2.* qui interest tantum actoris: si autem agitur civiliter, sive ad interesse actoris, non potest fieri commutatio, sed differenda est executio, donec debitor veniat ad pinguiorem fortunam, *cit. c. Odoardus.* Quartò conventis actione reali, quia beneficium præsens est personale Barbos. *num. 20.* Quintò debitum negantibus *Gloss. in cit. c. Odoardus.* Sextò obligantis ex causa depositi restituendi, Barbos. *num. 13.* Septimò si creditor sit pauperior debitore, Barbos. *num. 7.* Octavò non conficientibus inventarium in administratione tutelæ, aut curatelæ, Barbos. *n. 22.*

Respondeo ad tertium quæstionis quintæ verius esse, quod renuntiari non possit, quia est in favorem totius Ordinis Clericalis. Amplia ex verosimiliore, etsi renuntiaret quis cum juramento se non usurum hoc beneficio, quia tale pactum est contra bonos mores naturales, utpote oppositum juri statûs Clericalis, Pirhing. *num. 29.* ex communi Canonist. juramentum siquidem promissioni adjectum sortitur conditiones, & naturam hujus, est contra plures apud Ægid. Ranbeck. *in Panoplia libertat. Ecclesiast. Disp. 2. sect 2 c. unic. § 2.* contendentes posse renuntiari indirectè, ut si juret se centum mutuò acceptos soluturum, quo casu indirectè jurat se cedere beneficio; huic, plura enim principaliter, ac directè à jure prohibita, accessoriè, ac indirectè fieri possunt, sic jus patronatûs directè vendi non potest si tamen castro est affixum, isto vendito illud indirectè venditur.

619. Quæres sextò quid sit beneficium restitutionis in integrum? an sit personale aut reale privilegium? de eo extat titulus in utroque jure; in civili quidem *lib. 4. in ff. tit. 1.* in Canonico autem *in lib. 1. Decret. tit. 41.*

Respondeo ad primum definiri communius cum Gloss. *in cap. auditis de in integ. restit. Quod sit reductio in eum locum, seu statum, in quo quis fuit ante læsionem.* Clarius alii apud Wiestner *h. t. n. 1.* ex Molin. *Disp. 573. n. 1.* vocant remedium extraordinarium à Prætore introductum, quo minori, & instar illius aliis (quibus reperitur id jure concessum cuicúnque utriusque sexus) ex contractu, vel quasi contractu validè celebrato graviter læsis Judex ex æquitate subvenit eos in pristinum statum reponendo. Tria autem, ut hoc beneficium concedatur, prærequiruntur, nempe ut contractus valeat, probetur legitimè læsio, & hæc sit gravis, ut patebit.

Dicitur primò *extraordinarium*, quia non habet locum nisi deficiente medio ordinario, unde si contractus, vel quasi contractus minoris, aut Ecclesiæ est

est nullus defectus solennitatis non conceditur, cum læsus tunc agere possit viâ nullitatis v. g. rei vindicatione, vel etiam ad interesse, vel excipiendo contra lædentem, quando hic nihil præstitit.

Dicitur secundò *minori*, id est nondum 25. annos punctualiter expletos nato, sive sit mas sive fœmina *L. 1. ff. de minorib. c. constitutus 8. de in integ. restit.*

Amplia ad minoris hæredes *L. non solum 6. ff. h. t.* sunt enim eadem moraliter persona cum defuncto *Novell. 48. pr.* & huic in jus universum succedunt *L. nihil 24. ff. de V. S.* An ad fidejussorem ejus extendendum, vid. Wiestn. *h. t. à n. 14.* negantem ob clarum jus *L. in causa 13. pr. ff. de minoribus.*

620. Dicitur tertiò *& instar illius aliis, &c.* nam plures alii secundum jura gaudent beneficio isto. Primò Ecclesia æquiparatur minoribus, gaudétque, horum *jure c. requisivit 1. & c. auditis 3. h. t.* vide de hoc Molin. *Disputat. 574. num. 1.* notat, cum Ecclesia non sit minor, semperque in eodem statu permaneat, illam gaudere solùm isto privilegio quadriennio à celebrato contractu, aut quasi contractu, aut acceptâ læsione.

Secundò cum nomine Ecclesiæ veniant omnia loca pia, & sacra, sequitur extendi ad hospitalia authoritate Episcopi erecta, Monasteria, Capitula, & Collegia Clericorum, confraternitates ad Religionis augmentum institutas, &c, omnia enim hæc gaudent privilegiis Ecclesiæ datis *L. omnia 24. c. de Episcop. & Cleric.* Pirhing. *h. t. num. 13.* rectè observans cum Molin. *num. 2.* de Ecclesijs Capitulis, vel Collegijs procedere quoad læsionem in bonis, aut juribus ipsius Ecclesiæ, aut Capituli, &c. qua talis, secùs quoad bona propria Clericorum etiam ex beneficijs acquisita, Haunold. *tract. 2. num. 477.* Wiestn. *num. 18.* quia in his cessat publicus favor Ecclesiæ.

Adde cum Wiestn. *num. 24.* beneficium istud competere etiam Collegijs Studiosorum ratione personarum in jis degentium, hæ enim ferè sunt minores, Abb. *in c. 1. h. tit. num. 15.*

Tertiò secundum veriorem opinionem uti potest isto privilegio Respublica cit. Haunold. *ex L. penult. c. ex quibus causis major*, ibi: *Respublica minorum jure uti solet, ideóque auxilium restitutionis implorare potest.* Porrò hujus nomine non venit solùm integra, ac suprema, sed etiam inferior, quæ per administratores regitur, ut civitas, oppidum, pagus, quoad bona, & jura communia, Wiestn. *num. 25.* extendens ad Principem quoad bona coronæ, seu Principatûs, & fisci.

Quartò quandòque etiam majoribus 25. annis, nempe dum præter gravem læsionem (hæc sola sufficit in minoribus) concurrit causa justa concernens absentiam non ob privatum negotium, sed necessitatem, aut utilitatem Reipublicæ, ut Gubernatores Provinciæ alicujus, Legati, absentésque in expeditione militari, sive in castris, sive in præsidijs, hi cum suis uxoribus maritos comitantibus, quamdiu commodè reverti non possunt,

fruuntur beneficio restitutionis in integrum apud Wiestn. *num. 26.* extendentem ad majores absentes ex causa necessaria, ut ob metum justum mortis, atrocis cruciatus, &c. ob infirmitatem, vel luem Epidemicam, vel captivitatem, &c. Hæ enim, & similes personæ ex clausula generali edicti Prætoriani *in L. 1. num. fin. ff. ex quibus causis majores: si qua inquit alia mihi justa causa esse videbitur, in integrum restituam.*

Restitutio minoris, & Ecclesiæ à restitutione majorum tripliciter differt. Primò quod, ut minor restituatur, probanda sit sola læsio, majoribus etiam justa causa absentiæ. Secundò quod minoribus, & Ecclesiæ etiã sine instantia succurratur isto beneficio ex Officio Judicis, majoribus duntaxat ad ipsorum instantiam. Tertiò non succurritur majoribus, quando possunt appellare, aliove medio ordinario juvari, è contra minor, & Ecclesia possunt alterutrum eligere, videlicet beneficium restitutionis, quando hoc est pinguius, prout pinguius est, ac facilius remedio appellationis cum non sit necessitas novam inchoandi instantiam, aut adeundi Judicem appellationis fortè remotum, Pirhing. *h. t. n. 31. in not. 3.* Wiest. *n. 27.*

621. Dicitur quartò in definitione beneficij hujus *ex contractu, vel quasi contractu validè celebrato*, nam ex invalido læsus nullus restituitur per *n. 619.*

Dicitur quintò *graviter læsus*: non ergo est necessaria enormis contra aliquos apud Wiest. *n. 6.* id est tanta, ut pretij justi dimidium excedat, ut si rem valentem mille florenis vendas 400. aut 450. quia tunc venditor tueri se potest ordinario juris remedio *L. 2. c. de rescindenda vendit.* decidentis, quod etsi non de rigore juris, attamen ex æquitate possit petere rescissionem relictâ libertate Emptori, ut recepto pretio restituat rem, aut hâc retentâ suppleat pretium justum, verum etsi in casu læsionis infra infimum pretium non sit necessarium beneficium restitutionis, probabilius tamen eo posse succurri sit læso tradit Wiestn. *n. 11.*

Proinde ad hoc beneficium sufficit mediocris, seu gravis, & notabilis non gravitate absolutâ, sed respectivâ attentâ qualitate contractûs, conditione que personæ læsæ E. g. an Ecclesia, aut minor sit dives, vel pauper; item quantitas, an magna, aut parva, ex his enim, & similibus, si arbitrio prudentis viri definiatur, quod sit gravis, peti potest restitutio, ut si fundus valens mille sit venditus 900. aut 800. aut 700. censetur gravis etsi læsio sit multùm infra dimidium; è contra læsio in 20. aut 30. foret levis respectu tantæ summæ, ob qualem non est locus restitutionis beneficio; at si res valet centum, si vendatur 90. læsio est gravis, decem enim ad centum sunt notabilis pars relate ad talem summam, & ideo læsus potest restitui in integrum, Molin. *Disput. 573. num. 9.* Abb. *in c. requisivit 1. n. 8. h. t.*

Læsio dupliciter potest contingere primò in substantia contractûs, ut si minor, aut Ecclesia vendat, aut emat, quod absolutè non expediebat vendere aut

aut emere, Secundò, si læsio fiat in quantitate pretij. In læsione substantiali, rescinditur ex toto contractus Officio Judicis læsoque E. g. in venditione datur actio contra quemvis rei alienatæ possessorem, etsi cum eo non fit initus contractus, *L. in causæ 13. §. interdum ff. de minoribus.* In læsione quoad quantitatem contractus non debet rescindi, sed sufficit reductio ad æqualitatem pretij, est tamen in optione Emptoris rescindere aut pretium supplere. Ratio autem, cur tunc non sit necessitas rescindendi, est, quod pars læsa non sit restituenda, nisi in eo, in quo est læsa, ergo si est læsa in sola pretij quantitate, in ista sola debet restitui, si autem in substantia, tunc in totum contractus debet rescindi, Pirhing. *num. 17 h. t.* desumens utramque partem ex *L. si res 12. §. mulier ff. de jur. dot.* verum Westner *num. 10.* cum Fachin. Palao tuetur ut probabilius etiam in priori casu peti rescissionem posse.

Restitutio fit ob læsionem sive hæc contingat ex negligentia proptia minoris E. g. ex omissa probatione, *L. minor. 36. ff. de minorib.* sive ex culpa Tutoris, aut Administratoris, aut Procuratoris negligentis probationes producere, aut exceptiones necessarias opponere, ita de minoribus est decisum, *L. etiam in his c. si tutor, vel curator interven.* De Ecclesia verò *c. veniens 2. h. t.*

Item minoribus succurritur non solum damnum passis, sed etiam titulo notabilis lucri cessantis Pirhing. *h. t. n. 8. & 38. ex L. ait, Prætor. 7. §. Hodie ff. de minorib.* ibi: *hodie certo jure utimur, ut & in lucro minoribus succurratur.* Exemplum in ea ponitur, si Ecclesia, aut minor repudiâsset lucrosam sibi hæreditatem.

Dicitur sextò in definitione beneficij restitutionis *Judex ex æquitate subvenit*, qualis autem & cujus Judex restituere possit in integrum patebit ex mox subjiciendis.

622. Quæres igitur septimò à quo, contra quem, & coram quali judice petendum est beneficium restitutionis in integrum. Respondeo peti posse non à solo minore læso, sed etiam ejus hæredibus per *n. 619. versu Amplia ad Minoris.*

Hinc sequitur privilegium restitutionis in integrum non esse præcisè personale, quale extinquitur cum persona, sed esse mixtum, non enim est concessum purè titulo minoritatis, seu imbecillitatis judicij, sed etiam ratione causæ, seu damni in rebus, aut juribus emergentis Wiest. *num. 13.* Haunold. *tract. 2. n. 470.* adducens *R. J. 196. Privilegia quædam causæ sunt, quædam personæ: & ideo quædam ad hæredes transmittuntur, quæ causæ sunt; quæ verò personæ sunt, ad hæredem non transeunt.*

Petitio restitutionis fit non solùm contra Emptorē, sed etiam contra hujus hæredem, imò etiam aliquando contra tertium possessorem, nempe quando læsio fuit in substantia exposita *n. 621 L. in causæ 13. §. 1. pr. ff. de minoribus* secùs quando est læsio in pretio, tunc enim contra tertium læsus non restituitur, nisi sciverit fuisse Emptam à minore

nore &c. Hæc petitio est facienda coram judice illius, contra quem agitur de restitutione in integrum, cum Actor sequatur forum rei, & quidem vel in loco hujus domicilij, vel in loco rei, cujus petitur restitutio per *L. in causa 13. §. 1. ff. de minorib.* vel in loco initi contractus, si tunc ibi moratur, Felin. in c. *fin. 24. de foro compet.* Wiest. *n. 82.* Inferior Magistratus non potest restituere contra sententiam Magistratûs superioris per apertam *L. 18. ff. de minoribus in pr.* Unde cum delegatus Principis nullum agnoscit superiorem præter suum Principem, hic solus potest restituere contra sententiam àb illo latam per *cit. L. §. penult.*

De Jure potest restituere non solus supremus Princeps, sed etiam inferior ordinariâ pollens jurisdictione cum rerum administratione in aliquo territorio *c. causa. 9. h. t.* cit. *L. in causa. 13.* ( Secùs Ordinarius carens administratione, sed habens judicandi potestatem simpliciter, talis enim jurisdictio non exercetur per nobile judicis officium, sed mercenarium nec actus hujus sunt actus imperij mixti, ad quod spectat restitutio in integrum Pirhing. *h. t. n. 64.*) ut Episcopus, alijque jurisdictione quasi Episcopali præditi, uti etiam sæcularis Magistratus in tali territorio forum contentiosum habentes cum administratione. Item âb his delegati specialiter ad restituendum in integrum, uti & delegati generaliter ad universitatem causarum, hi enim æquiparantur Judicibus Ordinarijs, Pirhing *n. 63.* Wiest. *n. 84.* ubi etiam de delegatis sine administratione pro aliquo territorio ad causarum universitatem docet posse solùm incidenter restituere in integrum, hoc ipsum prius tradidit Pirhing *n. 66.* de quovis judice habente jurisdictionem simplicem sine administratione, imo etiam de hujus delegato E. g. minor, aut Ecclesia est læsa ex probationis necessariæ, aut exceptionis in termino peremptorio omissione, potest Ecclesia, vel minor implorare beneficium restitutionis, idque concedi *c. penult. h. t. L. Fin. c. ubi & apud quem cognit in integ. restit.* Ratio quod delegatio ad causam principalem sit implicita delegatio ad coincidentia velut accessoria ( nisi res sit majoris momenti, ac præjudicij ) ex generali regula quod Judex causæ principalis sit etiam Judex incidentis.

Dictum est, quod *de jure* Judex etiam inferior possit restituere in integrum, nam Zoës *in ff. de integrum restitutionibus n. 5.* testator supremos Principes in pluribus locis reservare sibi, aut supremo suo consilio istud beneficium commisso inferioribus solo examine an preces supplicantis pro isto beneficio subsistant.

In casu læsæ Ecclesiæ potest hoc beneficium peti, & concedi â judice proprio Ecclesiastico etiam contra laicum, Ecclesia enim agens ex jure speciali, seu privilegio habet hunc favorem *in c. penult. de rebus Eccles. alien.* Wiest *n. 86.* Pirhing. *n. 60.* contra aliquos. 62

623. Quæres Octavò an cum re principali etiam fructus inde percepti extantes in se, aut in æquivalenti, ut si emptor factus est ditior, fiat restituendi. Effectus restitutionis in integrum est, ut quisque suum jus integrum recipiat *L. quod minor, 24. §. Restitutio ff. de minorib.* unde non sola Ecclesia, aut minor læsus reponitur, sed etiam contrahens cum minore, aut Ecclesia, proinde sicut emptor debet restituere E. g. fundum, ita minor, vel Ecclesia pretium Emptori (si probetur versum in utilitatem minoris) læsi *L. prædiorum 10. c. de prædijs minorum*, Secùs si pretium esset absumptum, Pirhing n. 70.) imo etiam expensas necessarias, aut utiles bonâ fide factas in fundum emptum &c. ante earum refusionem non tenetur emptor restituere fundum. Hinc quæstio movetur etiam de fructibus interea ab emptore perceptis, an reddendi?

Affirmant multi cum Abb. *in c. 1. n. 4. h. t.* fundantes *se in L. quod si minor 24. §. Restitutio & in L. Patri 27. §. si pecuniam ff. de minorib.* Quibus recepto pretio mandatur restitutio præd ij cum fructibus, nec sine ratione, quia beneficio restitutionis in integrum reponitur Ecclesia, vel minor in statum pristinum atque adeò non debet habere minus, quam si prædium non alienâsset, sed si non alienâsset habuisset etiam fructus, ergo &c.

Negat Laym. *lib. 3. tract. 4. c. 11. n. 7.* cum Less. *lib. 2. c. 17. n. 70.* Molin. *Disp. 575. à n. 4. ex 6. ad nostrum 11. de reb. Eccles alien.* Ubi Monasterio est restitutus fundus, fructus verò sunt adjudicati restituendi, nec absque fundamento, supponitur enim fuisse emptum justo pretio, consequenter sine læsione in fructibus, loco horum poterat etiam Monasterium lucrum capere ex pretio; proinde fuerat læsio solùm ratione rei venditæ, seu quia non expediebat venditio. Tertia sententia Pirhing *à n. 72.* Wiest. *n. 90.* Distinguit inter contractum gratuitum, & oneroſum, quo fundus est alienatus, si alienatus est per gratuitum, ut si fundus sit donatus, aut si venies titulo hæreditatis fuit repudiatus fundus cum fructibus, detractis expensis in culturam, & in fructuum collectionem debet restitui, tunc enim læsio est in re, nempe fundo, & in fructibus, Molin. *n. 6*, Less. cit. Consentiunt cæteri primæ sententiæ Doctores teste Pirhing. Contra hanc partem non urget fundamentum sententiæ negativæ, & quidem non *est c. ad nostram*, quia ut probat Wiest. fundus erat feudalis, cujus fructus ex ipsa natura feudi pertinent ad Vasallum. Non etiam urget ratio, quæ solùm ostendit possessorem facere fructus suos, sed non irrevocabiliter ob privilegium concessum minori, & Ecclesiæ

Si autem fundus est alienatus per contractum oneroſum cum læsione in pretio ut si datus sit pro florenis 800. valens mille, fructus non sunt restituendi omnes, sed soli correspondentes florenis ducentis deficientibus à justo pretio, sicut enim Emptor ex fundo

fructus accepit, ita venditor poterat lucrari ex florenis 800. perceptis, quæ ratio etiam probat, si justo pretio est venditus, proinde læsio est facta in substantia, videlicet quod non expediebat vendere, fructus non debent restitui cum læsio fiat in re solùm, secùs in fructibus, siquidem his respondens lucrum percipi potuit ex pretio.

Ad jura pro sententia affirmativa allata respondet Wiestn. *num. 91.* eorum rigorem esse mitigandum ex æquitate, ut ratio proximè allata suadet, aliàs si dictus rigor esset servandus in conscientia, non essent jura rationi consona Less. *num. 71.* intelligens illa quoad fructus perceptos post rescissum contractum concordat Lugo *Disp. 22. num. 318.*

624. Quæres nonò an minor contra minorem, & Ecclesia contra Ecclesiam læsam restituatur. Ratio negandi desumitur ex illo axiomate juridico: *Privilegiatus non utitur suo privilegio contra æque privilegiatum*, sed servari debet in utroque casu jus commune, communis apud Pithing. *h. t. num. 39.* Nihilominus affirmandum est ex communiore Canonistarum sensu; idque eruitur *ex cap. auditis 3. h. t.* ubi duæ Ecclesiæ invicem litigantes, etiam propter omissam necessariam probationem utraque esset læsa, ambæ sunt restitutæ.

Ad axioma Respondetur id procedere, quando est par utriusque causa, ut si utraque pars agat de lucro captando, aut damno vitando, tunc enim locus est juri communi stanti pro possessore: casum ponit. Wiestn. *num. 20.* si minor temerè concessisset alteri minori pecuniam, hícque eam prodegisset, concedens non restitueretur contra prodigentem creditorem, hujus enim utpote possidentis, seu ut dicitur *in L. si minor. 34 ff. de minorib.* consumentis est melior conditio, nisi hic inde evasisset ditior: aliud exemplum de repudiata ab una Ecclesia hæreditate, & alteri quæsita adfert Sanch. *Lib. 6. de matrim. Disp. 4. n. 15.*

Econtra quando est causa dispar, ut si una pars est læsa, & altera lædens, agitque una de lucro captando, altera de damno vitando, hæc contra illam restitueretur, Laym. *n. 6.* Wiest. *n. 19.* rectè observans isto casu non concurrere privilegjatum cum privilegiato, quia privilegium restitutionis est indultum solis Læsis, non lædentibus.

625. Quæres Decimò ob quas causas est concessum, aut non concessum beneficium restitutionis in integrum? Respondeo de utroque membro quæsiti fusè vide disputantem Wiest. *à n. 31. ad 63.* qui *n. 32.* negat minorem restitui contra factam donationem causæ piæ E. g: Ecclesiæ, aut Monasterio, aut hospitali, & *num. 42.* in quæstione, an restitui de jure possit adversus tres sententias conformes, & post allegatas utrinque sententias duas extremas, eas concordat beneficio distinctionis, vel enim sub pretextu injustæ sententiæ, aut erroris, & imprudentiæ ætatis minor petit restitui, si primum, denegatur restitutio eo quod trina conformis sententia fundet præsumptionem pro Judicum Justitia. Si secundum, restituitur, dummodo summariè informet tum de bono suo jure, tum de prærenso ætatis lapsu, tunc enim executio sententiæ sus-

spen-

spenditur, estque â sic restituto probandus error commissus, ac inde orta læsio.

Secundò beneficium restitutionis in integrum excludit contractus matrimonij tum carnalis, tum spiritualis per Professionen in Religione approbata validè emissam, primum enim est indissolubile jure divino naturali Math. 19. *vers.* 6. Professio verò etiam est perpetua ex natura votorum Religiosorum, nemoque per eam sponte factam læditur.

Dixi *validè emissam*: nam prætendens invaliditatem intra quinquennium â die emissæ Professionis computandum reclamans audiendus est deductis coram suo superiore, et Episcopo Ordinario rationibus. Reclamans post quinquennium â nullo audiri potest viâ ordinariâ ex Decreto Tridentini *Sess.* 25. *c.* 19. *de Regular.* sed ut in integrum restitui possit viâ extraordinariâ, debet adire Papam, vel congregationem Concilij Tridentini, vel congregationē Regulariū negotijs præpositam, quæ summariè priús auditis rationibus deducendis nullitatis, ac justo impedimento intra quinquennium non reclamandi allegato, restitutionem concedere solet teste Barbos. *in collectan ad cit. locum Trid. n.* 9. *&* 10. subdens ad probandam ignorantiam nullitatis ac justo impedimento intra quinquennium non reclamandi allegato, restitutionem concedere solet teste Barbos *in Collectan*, *ad cit. locum Trid. n.* 9. *&* 10. Subdens ad probandam ignorantiam nullitatis Professionis, aut reclamandi impedimentum non sufficere juramentum ignorantis, vel impediti, licet in alijs causis sufficiat, nam post quinquennium præsumitur â jure scientia dicti decreti Sanch. *Lib.* 7. *de Matrim. Disp.* 37. *n.* 14. in qua Disp. fusè præsentem materiam de reclamatione disputat.

Tertiò contra gesta in ætate minori non restituitur is, qui ea factus major annis 25. rata verbo, aut facto habuit scienterque confirmavit, *L.* 1. *& fin. c. si. major. factus ratum.*

Quartò nec minor in pubertate confirmans juramento se contractum initum non revocaturum, contra hoc in integrum restituitur ob reverentiam juramenti velut non dispendiosi animæ, aut tertio. Hinc non est paritas â juramento Prælati quod sit irrevocabiliter observaturus contractum, juramentū enim nequit Ecclesiæ præjudicare, estque de re illicita, dum contractus Ecclesiæ nocet, juramentum verò minoris præjudicat soli huic Wiest *n.* 54. Reliquos casus vide apud eundem â *n.* 55.

626. Quæres Undecimò intra quod tempus est petenda restitutio in integrum? Respondeo minoribus competit totum tempus ætatis minoris usque ad exactum 25. & exinde integrum quandriennium computandum â Primo die anni vigesimi sexti usque ad expletum diem ultimum anni vigesimi noni *L. fin. c. de tempor in integr. resti.* In minoribus veniam ætatis habentibus (quæ masculis saltem non illustribus non ante annum vigesimum, fœminis

fœminis non ante decimum octavum expletum solet concedi. *L. omnes 2. c. de his qui ven. ætat.* ) computatur quadriennium â die impetratæ, ac intimatæ *L. 1. c. eod.* intimatæ, inquam, sive cognitæ, ignorantia enim læsionis est causa justa, puia eâ stante læsus est legitimè impeditus, cui non currit quadriennium ex tunc, ita plurimi apud Wiestner *n. 70.* alij verò inchoant â die læsionis etiam ignoratæ, quia in *Clem. de restit. in integr.* dicitur intra *quadriennium continuum â tempore læsionis debere fieri restitutionem in integrum*, estque argumentum â minoribus, quibus incipit currere quadriennium â 25. expleto ætatis anno, & â majoribus, quibus etiam currit â die cessantis impedimenti non habitâ ratione scientiæ, aut ignorantiæ, ita Zoës. *in ff. de minorib. n. 62.* Perez *in c. de tempor. in integr. restit. n. 6.* pluresque celebres Doctores.

Primam sententiam practicari â Tribunalibus præsertim Ecclesiasticis restantur aliqui apud Wiestner *n. 72.* ipse vero judicat posteriorem in puncto juris esse veriorem, unde ait Ecclesiæ â die læsionis E. g. præscriptionis completæ etiam ignoranti currere quadriennium, argumenta primæ sententiæ solvit *num. 73.* Majoribus restituendis currit quadriennium â die, quo cessat causa absentiæ, aut alterius impedimenti propter quod impeditus restituitur.

Ecclesiæ, cæterisque pijs locis, ac Reipublicæ conceditur quadriennium â die factæ læsionis, aut latæ sententiæ. *c. Ecclesia 1. de in integr. restit. in 6. juncta clem. unic. Verb. â tempore eodem*, aut â tempore quo primum cessat impedimentum, nam legitimè impedito non currit tempus jure definitum, unde si primitus non patet læsio, sed postea detegitur, tempus est computandum â die detectæ læsionis, Laym. *Lib. 3. tract. 4. c. 11. n. 4.* Hinc si Prælatus læsit Ecclesiam malè administrando, & facilè non est inducibilis, quamdiu vivit, ut factum suum revocet, ejus successor potest petere beneficium restitutionis, Wiest. *n. 69.* subjungens præsumi justam ignorantiam læsionis, quando sunt frequentes, ac repentinæ Prælatorum mutationes, ob quas non suppetebat tempus perquirendi ac examinandi gesta antecessorum.

Idem est si Ecclesia non fuerit ausa petere restitutionem â judice iniquam ferente sententiam Abb. *in. c. tum. ex literis 5. n. 10. de in integr. restit.*

Neglectâ petitione restitutionis intra quadriennium non conceditur, nisi Ecclesiæ, & reipublicæ ob justam causam, id enim speciale in his locum habet ob favorem publicum, unde minoribus non conceditur Pirhing, *n. 56.* Molin. *Disp. 574. n. 3.* concedi autem potest non solùm ad alterum quadriennium, sed etiam ad longissimum tempus nempe 30. annorum uterque cit. contra aliquos. Causas rationabiles, ob quas hoc beneficium concedatur Ecclesiæ, & Reipublicæ ponit Molin. Primò si læsa sit fraude, secundò si

læsio

læsio sit enormissima, qualis est dimidium justi valoris excedens. Tertiò si quædam alia rationabilis causa moveat superiorem ad restituendum. Postea dat rationem, cur minoribus denegetur ultra quadriennium lapsum â die prima vigesimi sexti anni, quod tacitè approbent, & confirment gesta in ætate minori negligentes petere intra quadriennium : Ecclesia verò cum semper in eodem statu permaneat, ut minori comparetur, & hujus gaudeat privilegio, fuit illi concessum, ut licet regulariter habeat quadriennium, si tamen enormiter sit læsa, aliave causa rationabilis occurrat, extraordinariè illud prorogetur.

Demum vide Gloss. ad cit. clem. *verb. continuum* distingventem cum jure, tempus continuum â tempore utili *Continuum est, quod contìnuo currit diebus feriatis, & non feriatis, in præsentia, & in absentia, sive sit copia judicis, sive non L. fin. c. de præscript. long. tem. Tempus verò utile non currit diebus feriatis, diebus absentiæ, & diebus, quibus non est agendi copia.* Postea. Verb. *A tempore læsionis* notat per hæc verba differre Ecclesiam à minore, & majore læsis, quod minori currat quadriennium â principio anni 26. majori tempore absentiæ læso post reversionem, Ecclesiæ verò á læsionis tempore.

627, Quæres Duodecimò quænam adhuc beneficia sint in jure circa contrahentes, aut debitores ? Respondeo sequentia : Primò beneficium excussionis *in Auth. Præsente c. de fidejussoribus* situm in eo, quod fidejussor ante conventum debitorem, hujúsque bonorum excussionem nequeat â creditore conveniri, debet proinde inspici prius, an debitor sit ex toto, aut ex parte solvendo? nisi debitor sit absens, fidejussor verò præsens.

Secundò est beneficium cedendarum actionum juxta *cit. Auth. & Auth. fidejussoribus c. 1.* Vi hujus conventus fidejussor à creditore potest petere sibi cedi actionem, quam habet contra debitorem, hujúsque fidejussores, renventi cedere, non tenetur solvere.

Tertiò est beneficium novæ constitutionis de duobus Reis debendi, vel promittendi contentum *in L. 1. c. de duob Reis stipulandi, & promittendi, Auth. Hoc ita c eod. & Novell. 99. de duobus Reis promittendi.* Verb. *Interim.* Istud juvat illos, qui sunt debitores simul facti creditoris ejusdem in eadem summa in solidum aut non insolitum, si non in solidum, nullus tenetur solvere plus, quam partem, nisi condebitor sit absens, aut solvendi impotens : si insolidum, non quisque ab initio potest conveniri in solidum, sed secundum partem, quà quisque est obligatus, postea apparet condebitorem non esse solvendo, aut si est absens, debet totum solvere.

Simile beneficium est dividendarum actionum competens Tutoribus, & contutoribus, vi hujus viriliter, hoc est pro numero personarum, inquit Gloss. *Verb. proportionibus virilibus L. 1. ff. de tutelis.* conveniuntur ex-

emplo fidejussorum, dividiturque actio prout quisque est solvendo.

Ab hoc beneficio excluduntur fidejussores tutorum, aut tutoris pupilli, hic enim propter malam administrationem potest convenire in solidum ex pluribus, quem maluerit cessâ illi actione contra alium fidejussorem, *L. si plures 12. ff. rem pupilli, vel Adolescentis &c.*

Quartò est beneficium provocationis, seu appellationis, vigore hujus condemnatus credens sententiam esse vel erroneam, vel injustam provocat ad superiorem Judicem. Unde definitur, quod sit à *judice minore ratione illati, aut inferendi gravaminis ad majorem provocatio.* Fieri debet de Jure communi intra decendium: concessa suspendit sententiam executionis. Differt à supplicatione propriè tali, quod per istam allegato gravamine petatur, ut lata sententia contra] supplicantem retractetur ex mera gratia Principis, cum enim contra supremum Principem] non detur remedium appellationis, æquitas postulat, ut gravato succurratur per supplicationem, unde cum nullus, nisi Princeps possit sententiam extra casus in jure expressos ob jus parti acquisitum rescindere, supplicatio strictè talis non potest fieri ad judicem inferiorem. Non suspendit executionis sententiam, & ideo is, pro quo est lata sententia, debet præstare cautionem, quod restituet sibi adjudicata, si supplicans causam obtinebit. *Auth. quæ supplicatio c. de præcib. Imperat offerend.*

Judex à quò appellatur, dat appellanti litteras dimissorias ad Judicem, ad quem appellatur, in quibus attestatur à sua sententia appellatum. Ejusmodi litteræ dimissoriæ vulgò vocantur Apostoli, id est, quasi missi, quia condemnatus mittitur ad Judicem *ad quem* ut instruatur de causa appellationis,

Quintò est beneficium recursus ad arbitrium boni viri *L. 1. & 3. §. 1. de receptis arbitris.* Isto utuntur, qui ut in re controversa sumptibus parcant vitentque contentiones, compromittunt in arbitratorem, qui suum judicium (quod juris consulti etiam *laudum* vocant) animique sensum dicat. Si arbitrator iniquum tulerit arbitrium, gravatus potest recurrere ad judicem Ordinarium controversiæ ut cognoscat, hujusque sententiæ super relato arbitrio debet stare.

Sextò est beneficium hypothecarum competens primo uxori in bonis mariti pro dotis securitate, vi illius præfertur omnibus creditoribus etiam antiquioribus, & habentibus tacitas hypothecas per *n. 84.* Secundò competit creditori, creditor enim expressam aut tacitam hypothecam habens præfertur alijs *L. 2. c. qui potior in pignor* de isto beneficio fusè tractavi *à. n. 415.* ad 421.

Septimò est beneficium redhibitorium contentum *in Lib. 21. ff. tit. 1. de Ædilit. Edicto, & redhibitione, & quando minoris.* Quod fuit conceptum de solis iumentis, & servis, postea est extensum ad alia. Duæ actiones ex isto edicto oriuntur, una redhibitoria, altera æstimatoria, seu quanto minoris,

minoris. Prior agit ad recipiendam à venditore rem venditam, & ad restituendum âb eo pretium; agitur istâ tunc quando vitium rei emptæ fuit Emptori ignotum, quo cognito non emisset rem etiam minore pretio: posteriore agitur, quando rem emisset quidem agnito pretio, minoris tamen, quam emerit, consequenter venditor debet reddere de pretio tantum, quanto minoris emisset. Prima conceditur per sex menses, æstimatoria per annum *L. 2. c. de Ædilit. Actionib.* Est in arbitrio emptoris, qua ex illis velit experiri, electâ unâ succumbens in ea, non habet recursum ad aliam *L. 21. ff. de except rei judic.*

Octavò est beneficium conditionis indebiti, ut si solvisti per errorem credens esse debitum, quod non debebatur, potest repetere rigore hujus beneficij per *L. L. ff. de conditione indebiti.* De hoc consule Haunold *de jure tract. 10. c. 13. contr. 9.* ubi *n. 1170.* notat, quod secundum omnes solvens ex errore indebitum transferat dominium, nisi enim esset translatum, non esset necessaria condictio indebiti, sed competeret rei vendicatio. Condictio indebiti, seu actio condictitia competit hæredi solventis, & contra hæredes soluti, prior pars habetur *in L. 12. ff. eod.* posterior ex generali Regula quod hæres defuncti teneatur jisdem obligationibus realibus, quibus defunctus. Reliqua lege apud cit. Haunold.

Nonò est beneficium exceptionis generalem renuntiationem non valere, nisi præcedat specialibus. Isto beneficio defenduntur instrumenta, in quibus specificè, ac nominatim non exprimuntur beneficia, quibus meritò in jis renuntiari debuisset, sed solúm est adhibita clausula generalis E. g. hæc: *Hisce renuntio omnibus juribus, vel quibucúnque alijs beneficijs, statutis, constitutionibus, ordinationibus papalibus, imperialibus, Regijs, localibus, temporalibus à Jure, vel ab homine editis, aut edendis, in genere, vel in specie concessis, aut concedendis.* Unde Notarius, aut quivis alius judicij Assessor diligenter attendat, quibus beneficijs, & exceptionibus juxta formam contractûs sit necessarium renuntiare, ut eorum specificatio nominatim inseratur instrumento, uti pulchrè tradit Gaill. *Lib. 2. Observ. 77. n. 5. & 6.* Alioquin si non fit, tunc exceptioni isti datur locus *Arg. L. obligatione 6. ff. de pignor.*

Et hæc de jure, & justitia dicta sint

*Omnia ad majorem DEI Gloriam.*

# INDEX

*Rerum & verborum, adjectus numerus est marginalis.*

## A


Abortûs procuratio an licita? 323 usque ad 328. dubius an cooperatus sit abortui, an censeatur incurrisse irregularitatem? 327.

Abortûs inanimati fœtus an sit homicidium? 327.

Absolutionis an capax differens restitutionem faciendam ad tempus mortis hæredes? 376. uti & dubitans de Professione legitima non examinans, sed examen relinquens hæredibus. Ibidem.

Acceptio clandestina sæpius excusatur à furto ratione licentiæ Domini 307.

Accipiens à beneficiato summam notabilem an peccet? 70

Accusare justè potens, an accusationem minans simulato animo licitè contrahat pro pretio, ne accuset? 257.

Actio Juridica quotuplex? 44.

Actio hypothecaria persequens res sibi expressè obligatas, dicitur quasi serviana. 420

Actio serviana unde dicta? persequitur res inquilini aut coloni illatas in fundum locatum. 420.

Actus factus contra præcedens juramentum an invalidus? 504.

Administratio bonorum communium est penes solum maritum. 88.

Administratio bonorum Ecclesiasticorum generalis penes Pontificem; particularis penes Clerum cujusvis Ecclesiæ. 31.

Administrator Religiosus quid possit? 400.

Adulteri qualis obligatio ex adulterio. 597. Ut sit obligatus, qualis notitia de prolenecessaria? 598. An possit transigere cum complicis suæ marito. 598.

Adulter cum moderamine Occisor mariti. Vide Occisor.

Adultera ad quid obligetur? 599. Quid si post adulterium de industria petat debitum à marito? 599. Quibus bonis & quomodo resarciat damna. 600. An si aliter non possit satisfacere, debeat se prodere? 600. à v. si demum. Aut ejus infamia non multum præponderet damno prolium legitimarum 601. 602. an deobligetur, si convocatis prolibus diceret: Una ex vobis est illegitima, & roget, ut invicem remitterent, si annuerent remissioni. 602.

Adulteram à marito accusatam is debet alere, quamdiu lis pendet in foro externo 91. Adultera facta post injustam sui à viro expulsionem, an alenda ab illo? 91.

Adultera etiam jurans prolem esse ex adulterio conceptam, non facit certitudinem 110.

Adulteris à Confessario quid dici debeat, aut possit? 110. Non necessariò examinandi, an ex adulterio proles genita sit. Ibid.

Adulterium est gravius detractione & contumelia 310.

Advocatia definitur 464. Definitio Beckmanni rejicitur. 468. Ejus origo. ibid. Est vel temporanea aut perpetua. 464. Item est superior & inferior: Ecclesiastica & Laica. 465.

465. Superior est translata à Papa ad Germanos. 465. Est annexa Imperatoriæ dignitati 465. An alienabilis. 467.
Advocatiæ jus æquiparatur juri confœderationis. 469. Circa advocatiam controversia in concursu Cæsareorum Commissariorum cum Commissarijs Salisburg. Archi-Episcopi decisa est à Cæsare. 473.
Advocatus quid Germanis? 464. Advocati olim fuerunt Ecclesiarum Administratores, secùs nunc. 468. Illis nulla in Ecclesias competit jurisdictio. 468. 469. 471. 472. Modernos nihil juvant exempla veterum. 469. Se immiscentes investituris Ecclesiasticorum in temporalibus an agant contra immunitatem Ecclesiasticam? 472. Exercere possunt conventa in limine fundationis 473. Advocatis supremis plùs permissum, quam cæteris. 473. Advocatis an debitum honorarium? 475 Advocatis plura attribuit Beckmannus, sed non rectè 470. 471. 472. Advocati injustorum defensores sunt palpatores 337. Advocatus injustè defendens in judicio, an teneatur restituere? 337.
Alienare rem Emphytevticam an Dominus possit irrequisito Emphytevta, & è contra 163.
Alienari res Ecclesiasticæ an possint & quomodo? 261. An saltem possit Pontifex alienare pro libitu? 31. Alienare non possunt Religiosi sua bona. 31. Alienatio bonorum Ecclesiæ in casu necessitatis non requirit solennitatem. 263. Alienationem bonorum Ecclesiæ quæ & quot causæ justificent? 264. Eadem an valida sine solennitate? 265. Ad eam, quæ requisitæ solennitates? 265. Alienandi potestas adempta est omnibus Ordinum Generalibus & Capitulis sine Licentia expressa Congregat. Cardinalium, ex decreto ejusdem Congregat. 265. Quid circa hoc in Germania & aliis locis longiùs ab Italia remotis? 265. Alienatio quid? 261. Alienatio dotalis fundi facta à marito, an valida, uxore consentiente? 83.
Alienatio rerum Ecclesiæ, ut sit licita, quæ requirantur. 264 An sine solennitate sit ipso jure nulla? 265. Ejus solennitas in quo sita. 265. Quæ res, & quando sunt alienabiles sine solennitate. 263. Et an permutari cum rebus alterius Ecclesiæ sub eodem Prælato. 263. Alienatio rei hypothecariæ non perimit jus reale hypothecæ. 420.
Alienari potest Patronatus & Advocatia quadrupliciter 467. An etiam suprema? 467
Alienantes Principes Ecclesiastici Germaniæ an recurrant Romam? 265.
Alienare Regulares poterant sine recursu ante Bullam Urbani VIII. secùs nunc. 265. Quæ contra alienantes pœnæ? eas non incurrunt Prælati seculares. Ibid.
Alienare an possit validè debitor exinde, si fiat impotens solvendi creditores: & an res sic alienata ab emptore sit restituenda? 578. 579.
Alimenta quæ prolibus præstanda à Matre & Patre? 104. Alimentorum nomine quid? 104. An spurijs danda etiam à Clericis. 105. A quo præstanda dubiæ proli 107. An à dubio parente? 107. 108. 110. Alere non tenentur proles quæ aliunde ali possunt 105. Alere an debeat frater proles defuncti fratris? 105. Adalimenta an jus detur inter fratres & sorores? 125.
Allodialia non habent annexum onus personale, sed reale. 543.
in Alternativis vid. lit. J. Verb. in alternativis.
Ambitiosæ extravag. vid. extravagans.
Amentes, furiosi. &c. amissa libertate non ammittunt jus proprietatis in actu primo. 3.
Amortizationis lex an justa, & quid ea? à 521. Pro ea argumenta annullantur, à 540. & paritates ad eam dissolvuntur. 549.
Ancillarum furta enodantur, & quid circa ea? 298.
Angeli quarum rerum Domini? 28.
Anima defuncti an hæreat in Purgatorio ob non factam restitutionem. 343.
Annuæ præstationes præscribuntur 30. annis non tantùm quoad obligationes præteritas, sed etiam quoad futuras. 181.
Anticresis quid & an an licita. 149.
Arrha secundùm jus quid significet? hæc completo matrimonio est restituenda eam danti. 79. 86. Non ammittitur matrimonio non secuto ex justa causa ibid. potest illis adjici pactum & quale? ibidem
Auditor detractoris an & quando peccet con-

tra charitatem etiam mortaliter ? 317. Quomodo se habere potest. ibid. Auditor si est superior, an debeat ex justitia impedire detractionem. 317. in fine.

Apostoli an jure Divino exempti sint à jurisdictione seculari. 528. 529.

Aurei 72. tempore Justiniani Imper. faciebant libram auri, & de his loquuntur leges requirentes insinuationem in donatione ultra 500. solidos 509.

# B

Bellum an justum ex opinione probabiliore circa jus, aut circa factum. 302. v. ad 3. Belli injustitiæ 581. Belli ducum quæ injustitiæ; 583. Belli Commissariorum injustitiæ. 582. Bellum an possit continuare pars, cui hostis offert plenam satisfactionem in conflictu. 591. v. ex resolutione.

Beneficiarij sunt Domini superfluorum reddituum, si portio pauperibus assignata non extet : secus si extet. 62. Facti Domini non per commixtionem sed per ipsam divisionem. 64. Si vivant ex patrimonialibus, vel quasi patrimonialibus, possunt uti compensatione ex fructibus beneficij, 61. 67. Possunt disponere liberè, sive in vivis, sive mortis causa de redditibus congruæ sustentationi destinatis 67. Procedit id etiam de beneficiariis & Episcopis Regularibus. 67. Non tamen possunt de jure communi testari, &c. de redditibus simpliciter superfluis, etiam in pias causas. 68. possunt tamen in terris austriacis ; & quomodo præsertim in styria? 68. Et quid circa hæc in districtu Romano & aliis Regnis : ibid. Quid de consuetudine testandi. 68.

Beneficiarii possunt alere proles suas, dotare filias, &c. ex redditibus etiam superfluis, vel etsam consanguineum alere in studiis, licet is à parentibus ali posset. 68. Expendentes verò in profana peccant mortaliter. 69. 70. Non tantùm contra obedientiam, sed etiam contra Religionem. 71. Dicuntur procuratores, dispensatores respectu portionis pauperum. 62.

Beneficiarius nobilis aut doctus plùs potest insumere, quàm alius, dummodo ejus nobilitas aut doctrina prosit Ecclesiæ. 67.

Beneficiatus an totum superfluum ex redditibus debeat erogare in usus pios? 69. Quo jure graviter erogare teneantur ? 71. Et quo tempore ? 404. Et quo ordine ; 407. à Beneficiatis accipientes summam notabilem extra pium usum an peccent mortaliter? 401.

Beneficiati ut peccent mortaliter in profanandis redditibus, quantâ est opus summâ 70. Quantum possint dare consanguineis egenis. 402. An ex superfluis solvere possint sua debita. 405. An ad Eleemosynas obligentur strictius quàm seculares, & an etiam debeant inquirere in pauperum necessitates. 406. Non possunt thesaurizare ad elevandum suorum statum 406. Ut testentur in usus profanos, an Pontifex dispensare, aut consuetudo inducere possit. 72. Beneficiatis intestatis an succedant hæredes ? 72. Beneficiati fructus beneficij possunt alienare ultra triennium sine solennitate & consensu superioris. 263.

Beneficiales resignationes aut cessiones litis circa beneficia nullas patiuntur *absolutas* pactiones circa pensiones aut refusionem expensarum. 476. 477. Cum Beneficiato extra limen fundationis Episcopus invalidè paciscitur de novo onere subeundo. 478.

Beneficium cessionis non prodest debitoribus ex delicto, nec dilapidatoribus, nec in foro conscientiæ : eo utens potest occultare ad victum necessaria. 381.

Beneficium competentiæ quibus competat? non extinguit debitum ; id habens non potest conveniri ultra id, quod commodè solvere potest. 382.

Beneficium simoniacè & invalidè obtinet offerens majorem pensionem, quam fuerit priùs soluta. 480.

Beneficia sunt curata vel non curata : hæc sunt majora aut minora, & quæ illa. 557. Simplicia

plicia quædam sunt majoris momenti. ibid. Ad Episcopalia, quasi Episcopalia, & Cardinalitia sub mortali sunt promovendi digniores, uti & ad inferiora curata. à 557. ad 563. An id ipsum dici debeat de simplibus? 563.
ad Beneficia quis censeatur indignus, dignus, & dignior. 566.
ad Beneficia concurrens minus dignus cum digniore an graviter peccet? 568. Queátque licitè acceptare digniori prælatus, 569. Teneatúrque aliquid restituere digniori. 570. aut minus digno is, qui vi aut fraude impedit electionem minus digni, ut eligatur dignior. 570. Beneficium an resignandum sit digniori 571.
Beneficium S. C. Macedon. 615
Beneficium S. C. Vellejan. 615.
Beneficium cessionis bonorum quid? quibus. concedatur? an cedens bonis possit occultare victui necessaria. 619.
Beneficium competentiæ quid & quibus concessum? 617.
Beneficium C. Odoardus de solutionibus quid & quibus competat? 618.
Beneficium restitutionis in integrum quid (ubi expediuntur potiora ad istud privilegium spectantia) à 619. ad 627.
Beneficium excussionis. 627.
Beneficium cedendarum actionum. 627.
Beneficium novæ constitutionis. 627.
Beneficium dividendarum actionum. 627.
Beneficium appellationis. 627.
Beneficium recursus ad arbitriũ boni viri. 627.
Beneficium hypothecarum. 627.
Beneficium redhibitorium. 627.
Beneficium conditionis indebiti. 627.
Beneficium exceptionis generalem renuntiationem non valere. 627.
Bonorum, quorum homo est capax triplex genus. 22.
Bona aliena, an in extrema necessitate usurpari possint? 28.
Bona conjugum triplicia. 79.
Bona à Clericis comparata ex redditibus beneficij, cujus sint 70. In dubio quid præsumendum. 70. Bona Clericorum triplicia. 60. Item quadrupliciter divisa. 202. in primitiva Ecclesia fuerunt communia. 60. deinde divisa in 4. partes 60. Non sunt in Clericorum particularium dominio. 61. Eorundem administratio penes quem. 31. an obnoxia contributioni Principis secularis 205. vid. Clerici.
Bona immobilia Ecclesiasticorum, uti & eorum jura & actiones alienari non possunt sine solennitate. 261. Quid generaliter includant. 261. Si non incorporentur Ecclesiæ possunt alienari. 262. Item si sint exigui valoris, & quænam ea sint? 263.
Bona damnosæ Ecclesiæ possunt alienari sine consensu sedis, non tamen sine Consilio Episcopi. 263. Item bona quæcunque in casu necessitatis celeritatem exigentis. ibid.
Bona 2. Ecclesiarum eidem Prælato subjectarum possunt invicem permutari cum ejusdem consensu. 263. Sic etiam bona unius Collegii cum bonis alterius cum consensu solius Præpos. Gener. ibid. item 265.
Bona Ecclesiæ unius irrationabiliter translata ad alterum sunt restituenda priori. 31. An possint alienari? vid. alienari.
Bona Ecclesiastica cur dicantur res DEI, res sacræ. Patrimonium Christi? 31. 71. Dantur à fidelibus Christo dupliciter considerato 31. Eorum dominium an penes clerum? 31.
Bona confiscata si cogantur cives à Tyranno emere, an restituenda suis Dominus redeuntibus? 266. Quid si victor justè gerat bellum? 266.
Bona fortunæ quæ & quis eorum Dominus proprietarius? 28.
Bona incerta quæ sint & ad quem spectent. 272. quotuplicia. ibid.
Bonorum inventorum quis Dominus 271.
Bonorum vacantium, seu quæ quis moriens ab intestato reliquit, quis Dominus? 271.
Bona Principis quædam sunt dignitati intrinseca, quædam non intrinseca, ei tamen reservata & quæ illa? 454. Alia debentur alio titulo, quàm supremæ recognitionis, alia privata. 454.
Bonum immobile donatum Monasterio, aut com-

comparatum an censendum sit mobile vel immobile, pendet ex intentione. 262. Bonum immobile locò pecuniæ dotum non incorporatum bonis Monasterij reputatur pro mobili. 262.
Bona immobilia relicta in legatum aut hæreditatem domui Professæ, ut vendantur, non egent solennitate. 262. Bona exigui valoris immobilia quæ dicenda. 263.
Bonorum omnium nomine an veniant etiam jura, nomina & bona futura? 511.
Bonorum conjugibus communium dominium naturale est penes ambos conjuges. 88.
Bullâ Cœnæ an revocentur Privilegia principibus concessa, quoad tributa Ecclesiasticis non imponenda? 202.

# C

Caducitas in Emphytevsi, quando censeatur remissa? 158.
Calumniatori nitenti ipso facto inferre calumniam fas est resistere animis. 595. v. Resp. 2. ad quæst.
Canon seu pensio in Emphytevsi solvenda quanta & quando. 158.
Canonici non impedientes injustam electionem ad quid teneantur. 338.
Capitulum potest præscribere, ut canonicos suos, & officiales judicet in prima instantia. 455.
Capitalia pia quoad interesse non possunt imminui. 243.
Capucini sunt incapaces omnis dominij. 29. Item successionis ab intestato. 35. Non tamen Legati, nisi sit magnum & æquivalens hæreditati. 33. Habent simplicem usum facti. 130. Quomodo differant in paupertate à Professis Societatis? 35.
Carmelitæ discalceati sunt incapaces successionis ab intestato. 35. Item possessionis stabilium ut talium, non tamen jurium & censuum perpetuorum, nisi sint radicati in stabilibus seu radicibus. 30. Unde non habent tam strictam paupertatem, quàm Professi Societatis. ibid.
Causæ concurrentes ad injustitiam. à 328. ad 348. Causæ secundatiæ damni invicem comparatæ, an æque principaliter & æqualiter in defectu principalium debeant restituere. 344. & seq. 2. causæ piæ nomine quid inteligatur? 70.
Census quid? quotuplex? 154. Realis quotuplex. ibid. Personalis an usurarius? ibid. quot modis differat ab Emphytevsi. 155.
Census emigrationis quid & an justus? quantus & à quibus solvendus? 475.
Cessionis bonorum beneficium. vid. Beneficium cessionis.
Chirographa & credita an justè & quantò minoris vendi possint 243. Chirographa à militibus inter spolia abrepta quid effectûs habeant? 266.
Christus an Dominus bonorum Ecclesiæ. 31.
Christus duplex genus paupertatis Professus. 129.
Christus ut homo, an fuerit in mundo Dominus temporalis. 28.
Clandestina rei alienæ acceptio sæpe non est furtum. 307
Clerici in delicto deprehensi possunt à Magistratu sæculari titulo defensionis comprehendi. 537.
Clerici beneficiati in communi necessitate aut utilitate, an teneantur contribuere. 204. 206. An saltem quoad bona feudalia subsint oneribus. 203. Ad quoad patrimonialia. 205. An etiam quoad non feudalia subsint oneribus in prima fundatione reservatis. 203. Non solventes an compelli possint per Judicem laicum, 206. Quid? si sint feudatarii ibid. vid. beneficiarii. Possunt alere proles etiam spurias ex redditibus & dotare. 68.
Collatio bonorum quid & quibus imponatur conferendi onus. 119. Conferenda quæ bona? à 120. ad 125.
Collegia Societ. Jesu qualis Dominii capacia? 29. Sunt incapacia successionis ab intestato ratione Professorum. 38.

Com-

Commenda quid? quotuplex? 66. commendæ fructus an inter patrimonialia. 66. & 403.
Commissoriæ legis pactum adjectum pignori utroque jure irritum, secùs adjectum venditioni. 152.
Commissariorum belli injustitiæ. 582.
Commodatarii re perdita an obligentur resarcire dubii de culpa. 358.
Communium bonorum Dominium naturale est penes ambos conjuges. 88.
Compensatio occulta quid? an liceat? Quibus? & quibus modis? 300. 301. Compensationis occultæ exempla adducuntur, & respondetur an & in quibus detur locus occultæ compensationi 302. An ad eam requiratur moralis certitudo debiti. 301. & quomodo hæc explicetur. 302. Ad eam non exigitur omnis dubii & formidinis aut suspicionis oppositi carentia. 303. ver. confirmatur.
Compensatio occulta an licita Capitaneo vel Militi ob stipendium malè solutum. 303. in fine.
Compensatio debiti verè probabilis an licita? 303.
Compensatio occulta debiti probabilis an licita, dum pro non debita non sunt ullæ rationes aut tenues. 303. An licita procuratori ad negotia ob labores improvisos habenti salarium annuum. 303. Idem est de famulo occupato ultra conventionem ibid. An licita coacto famulari pro pretio inæquali. 303.
Compensatio pro vita, mutilatione, vulneratione. vid. satisfactio.
Compensatio in pecunia an licita, pro infamia, dum infamans non vult, aut non potest satisfacere. 302. An licita, occulta, dum Judex nequit commodè adiri. 302. v. ad 1. occulta legatorum relictorum in testamento minùs solenni an concessa. 302. v. ad 2.
Compensatio occulta non est licita ex opinione, fauente etiam probabiliore. 302. v. ad 3.
Compensatio occulta est illicita pro debito soluto, à quo quis probabiliter fuit deobligatus. 302 v. ad 5.
Compensatio occulta an licita, quando Dominus probabiliter censet non deberi majus stipendium; famulus adeò affirmet. 302. v. ad 6.
Conditiones variæ contractum afficientes. 218.
Conditio de præterito vel præsenti non suspendit contractum, uti nec conditio de futuro necessaria. 219. Secùs conditio honesta contingenter futura. 220.
Conditio turpis non irritat promissionem pro omni tempore. 213 & seq.
Conditio impossibilis irritat omnem contractum excepto matrimonio, & ultima voluntate. 221.
Conditio adjecta legato nuptias excludens, an & quando rejiciatur. 222. Nuptias includens valida est. 223. restringens ad certam personam an & quando valeat. 223. Arcens à Clericatu & Religionis ingressu valet. 224. Obligans ad Clericatum, item valet. ibid.
Conductor rei alienæ dubius de culpa sua in rei interitu an obligetur? 358.
Confessarius furantium minuta non dissimulet. 299. Confessarius an possit cogere patrem prudenter dubium ad præstandum alimenta proli. 110. Quomodo ei agendum cum adultreis. 110. Quid ei agendum cum paupere furante diviti 703. Item cum defraudante tributa & gabellas. 197.
Confiscatio bonorum quali crimini imposita? 267.
Conjuges an licitè copulam exerceant sub tempus conceptionis? 327.
Conjux ad secundas nuptias transiens ex mariti consensu non amittit lucra prioris matrimonij. 100. debet cavere de salva lucrorum substantia. 100. Conjuges an possint se reciproco testamento hæredes scribere. 489.
Consensus in contractu solo consensu perfectibili invalidè revocatur, secùs verò in alijs contractibus. 220.
Consensûs nomine quid in cooperante ad damnum. 328. Consentiens in damnum an peccet contra justitiam cum onere restituendi. 336.
Consiliarijs Principum quid observandum circa tributa nova & vetera? 198.
Consiliarij inducentes Principem ad bellum aut tribu-

tributum injustum, an causa principalis damni. 342.
Consiliarij injustè suffragantes, an omnes teneantur ad restitutionem. 336. An se absentantes à suffragio, vel id recusantes teneantur restituere. 336.
Consilij triplex genus distinguendum, ut sciatur obligatio restitutionis. 335. Consilium revocans an liber à restitutione. ibid. Consilium quid? 328.
Consilij & mandati puri differentia. 335.
Consulens infamare restituere debet in defectu detrahentis. 317 Consulens quomodo obligetur restituere? 331.
Consulere minus malum præ majore aut ut noceat huic præ illo, quomodo liceat? 339. 340
Consuetudo detestandi in beneficiatis an possit esse legitima in causas etiam non pias 72.
Consuetudo declarat an lex sit irritans vel tantùm prohibens 42. obtinet uim legis 242.
Consuetudine rationali præscribili potest contra legem Ecclesiasticam non testandi 71.
Consuetudo 10. annorum etiam cum mala fide præscribit contra legem tum civile, tum Ecclesiastican 186.
Contractus vid. Pacta item Juramentum
Contractus quid? quotuplex? quibus modis substantialiter compleatur? 208. an præter actum internum requirat etiam externum 209. quique potissimum modis iniri potest 218.
Contractus modalis quomodo differat à conditionato? 219. Contractus sub conditione præterita præsenti, necessariò futura, aut honesta 219. 220. conditionali contractu an licitè quis resiliat ante eventum conditionis. 220. sub conditione impossibili non obligat, nisi in Matrimonio, & ultima voluntate 221.
Contractus conditionatus purificata conditione euadit absolutus & validus sine novo consensu. 225. nisi consensus fuisset revocatus antè impletam conditionem. 227. obligat contrahentes expectare eventum conditionis 220.
Contractus ex errore aut dolo initus an possit transferre dominium 226.
Contractus onerosus indissolubilis est validus cum errore vel dolo accidentali, secùs substantiali. 227. Idem est de contractu dissolubili. 227.
Contractus jure naturali dissolubilis an claudicet? 228.
Contractui superveniens difficultas antè ignorata, non dat potestatem resilendi, nisi sit enormis 229.
Contractus cum errore vel dolo circa prætium mercis, an & quando vitietur? 230.
Contractus gratuitus cum errore vel dolo circa causam motivam est invalidus. 227. & 229.
Contrahentis intentio alia largissima, alia strictissima, alia media 226.
Contractus jure irriti an per adjectum juramentum confirmentur? 490. & 499.
Contractus rescindibiles ex metu seu levi seu gravi initi nec jure naturæ, nec positivo sunt irriti, sed irritandi 253. 254 Irrescindibiles licet jure naturæ valeant, jure tamen positivo sunt ipso facto irriti 255. nisi metus sit incussus à tertio ex alio fine quàm ad extorquendum contractum, 256. Imò etiamsi sit incussus ad extorquendum contractum, dummodò justè 257.
Contractus naturâ suâ rescindibiles solennitate juris destituti an irriti sint, an duntaxat irritandi? utrumque sustineri potest 258. & seq. probabilius est esse pro foro etiam interno irritos 258
Contractus à Religioso initi sine licentia non pariunt obligationem civilem 53.
Contractus tres habet dispositiones in jure civili. 362. An obligent ante sententiam judicis? 365. Ex quasi contractu an sub mortali sit damnum resarciendum? 365. An in eo liceat circumvenire? 230.
Contractus emphytevtici differentia à censitico 155. & modus unum discernendi ab altero ibidem.
Contractus libellaricus an distinctus an emphytevsi? 433.

Con-

Contractus sub conditione turpi an implendi in conscientia. 212. An eos invalidet jus naturale aut positivum 214. 216.
Contractus alternativus est vel rerum, vel personarum, vel locorum, 218.
Contractus conditionatus fit absolutus, dum quis quantum potest, facit in implenda conditione, cui repugnat persona, quam concernit 220.
Contractus jure positivo nulli an confirmentur juramento 490. Juncto 499. & quid ad hoc necessarium 101.
Contradotis dominium naturale est penes maritum 85.
Contributionis omnis immunem an possit aliquem facere Princeps. 199. Id non potest Magistratus inferior ibid.
Contributiones majores, quam petat Princeps, an possint indicere Provinciæ Proceres. 199. Quas contributiones clerici præstent. Vid. clerici.
Contumelia quid? quando contingat? est gravior detractione 309.
Cooperantes ad injustitiam contra justitiam commutativam qui dicantur? 328.
Cooperatrices causæ explicantur quotuplices. 318. quo ordine debent restituere. 342. 343. 344. 345. Positivæ cum negativis comparatæ quomodo restituere debeant. 346. An inter eas invicem comparatas detur ordo? 346.
Cooperatores positivi plures quando obligentur restituere. 339. quid si plures cooperentur ad furtum? quomodo obligentur restituere 331.
Cooperatio non quævis est illicita, & contra justitiam, etsi alter ea abutatur. 337. De cooperatione sua dubius an teneatur restituere. 337.
Convitium quid? an conveniat cum contumelia & improperio. 309.
Creatura est incapax juris proprietatis adversus Deum 18.
Creditores impares non juvat sola prioritas temporis 516.
Creditor per pignus, vel hypothecam quale jus acquirat? 141. Ex pignore conventionali tenetur solùm ex culpa lata & levi, in pignore autem prætorio aut judiciali ad præstandum dolum & culpam latam 145. An & quo tempore vendere possit pignus 146.
Creditor captus pro sua eliberatione tradens militi chirographum. 266.
Creditoribus restitutio quo ordine facienda, quando debitor non est omnibus solvendo? 378.
Creditor hypothecarius habet jus in extantes fructus rei hypothecatæ 420. & retinet actionem hypothecariam de malè à possessore perceptis & contempris. ibid.
Crimen secretum quid? quid circa hujus revelationem? 27. & 315. & seq.
Criminis læsæ Majest. pæna qualis 267. criminis læsæ Majest. Divinæ ut hæreticus, aut humanæ ut perduellis reus, an validè solvat suos creditores 267.
Crimen secretò commissum alicui, facilius potest prodi, quàm crimen, cujus notitia injustè comparata est. 315.
Crimen publicum quando censeatur, & quomodo fas sit de eo loqui 316.
Criminis occulti revelario quando licita 315. criminis præteriti publici memoriam refricare an sit peccarum contra charitatem aut justitiam. 316. vers. dices secundò.
Crimen. Vid. Delictum. Publicitas. Narrans.
Culpa est Theologica aut juridica est triplex lata, levis, levissima 145.
Culpa qualis requiratur in actione damnificativa, ut oriatur obligatio restitutionis 359. 360. 361.

# D

Dæmones an aliquarum rerum Domini? 28.
Damnificato remittente damnum causæ principali, an obligentur secundariæ resarcire, aut vicissim 347.
Debita filij an Pater solvere teneatur 116.
Debitor retinet dominium pignoris & hypothecæ 141.
Debitores Urbis ab injusto hoste occupatæ an liberentur à debitorum solutione? 266.

Debitor solvens pupillo sine authoritate Tutoris an liberetur à solutione? 268. Unum præ alio invito creditore solvens an liberetur à debito? 268. ex contractu tenetur ad damnum resarciendum, sed quale? 364. an deobligetur solvere interesse creditoris, etsi mora solvendi non fuerit Theologice culpabilis 366.
Debitum certum non extinguitur solutione incerta 358.
Debitor an ultra capitale debeat restituere totum interesse? 573.
Debitor an justè possit sua alienare prævidens se fore impotentem solvendi creditores. 578. An empta ejusmodi sint restituenda. 579.
Debitores solvere non possunt creditori læsæ Majest. reo. 267.
Debitoribus inculpabilibus concedendum est ad tempus privilegium militare, ut non conveniantur ultra posse. 270. An possit Princeps ijs condonare census annorum, quibus ob injuriam temporum non poterant solvere 270.
Debita Rei læsæ Majest. an fiscus debeat solvere ex bonis confiscatis 267.
Debitum conjux non potest petere nec reddere habens opinionem probabilem pro nullitate matrimonij sinè opinione pro valore. 302. Versu. infer. 2.
Debitum conjugale an liceat exigere sub conceptionis tempus. 327 vers. de cætero.
Decimæ quod annis solvendæ præscribi possunt annis 40. 181.
Decimandi jus nequit præscribi à laico 179. nisi à tempore immemoriali 179.
Decimæ in feudum datæ ab Ecclesijs sunt laicis concessæ 537.
Decreta civilia, quæ Ecclesiasticos arcent ab acquirendis immobilibus sunt utroque jure injusta & irrita 538.
Defraudatores teloniorum, tributorum &c. an obnoxij peccato mortali & restitutioni 197.
Defraudatio in pondere, mensura, admixtione deteriorum an licita? 248.
Delictum Prælati aut Religiosi nequit nocere monasterio 53.
Depositarius dubius an culpâ suâ res interierit, ad nihil tenetur 358.
Depositum apud Religiosum deperditum hujus culpâ quo resarciendum? 53.
Detractio vide Narrans. Publicitas Infamem de Uno
Detractio quid? quotuplex? quomodo contingat? An & quando peccatum mortale? 311, 309.
Detractionis modi verficulis comprehensi 309.
Detractio respectu unius mortalis, potest respectu alterius alterius esse venialis 312.
Detractio an sit, si conjuges invicem sibi aperiant vitia domesticorum, aut si hic, aut etiam alij externi ea deregant Patrifamilias ibid. An detrahat injuriatus amico, aut viro prudenti gravem injuriam prodens. 312. an sine detractione possit revelari imperitia Medici,
Advocati, confessarij, artificis, alicujus furandi consuetudo? 313. An sit mortalis detractio narrare præcisè audita, aut morrale crimen occultum innominato authore Ecclesiastico aut Religioso? 313.
Detrahere mortuis etiam damnatis an mortale? 314.
Detractio an sit mortalis, loqui de falsò infamato publicè, aut refricaré memoriam delicti obliterati. 316. versu Dices ergo &c. seqq.
Detractio non est omnis criminis occulti revelatio 315.
Detractio an ejusdem speciei cum judicio temerario? 310. An gravius peccatum quàm furtum, adulterium, homicidium? 310. an gravius maledictione? 310. ejus gravitas aut levicas unde desumenda? 311.
Detrahere etiam coram uno sed prudente viro in materia gravi est mortale 312.
Detractoris auditor. vid Auditor.
Detractionem mandans tenetur principalius ad restitutionem quàm mandatarius 317.
Detractor an teneatur eum vitæ periculo restituere famam personæ magni momenti? 386.
Deus habet dominium proprietatis in creaturas. 16.
Direptionis urbis concessio quas res non comprehendat? 581.
Dispensatio in quo differat á licentia 50. Dispensare in votis solennibus potest pontifex 32.

Di-

Dispositio scholasticorum societatis JESU sine licentia superionis probabilius invalida 42.
Dispositionis bonorum in scholasticis modus præscribitur 55.
Dispositio bonorum in Professis & scholasticis Societatis ad mentem S. Ignatij. 36.
Distributor bonorum communium v. g. officiorum & similium quomodo peccet contra justitiam commutativam 281.
Dives an & quomodo teneatur succurrere egentibus 307.
Divisio bonorum introducta jure gentium & quomodo peracta? 28.
Doctor quales opiniones debeat docere 607. Doctor doctrinæ malæ an & quid debeat restituere? 607. 608.
Dolus in contractu quid? quotuplex? quot modis accidere possit? 226. Vid. contractus ex errore vel dolo &c.
Dominium variè dividitur 13. definitur ex Bartolo. 14. Dominium Christi in creata. Vid. Deus.
Dominium non est planè idem, quod jus 15 Dominium increatum proprietatis & jurisdictionis quomodo sit perfectio simpliciter Deo necessaria 17.
Dominium creatum plenum etiam divinitus non potest esse simul penes duos in instanti translationis 74.
Dominium aliud est formale, aliud radicale 73.
Dominium bonorum totalium habent ipsæ Ecclesiæ immediatè non Christus 31. Uti. & conventus & Monasteria 31.
Domus Professa Societatis JESU est incapax successionis ab intestato. 38. non tamen ex testamento etiam in immobilibus, ita tamen ut vendantur, & in mobilia rediganter 30. Est etiam incapax legati annui perpetui seu ad tempus longum, ut est decennium 30. Potest bona immobilia sibi legata vendere sine forma juris 262.
Donatio 40. aureorum an uxori licita insciomarito, cui attulit magnam dotem 408.
Donatio reciproca omnium bonorum inter conjuges an valida? 439.
Donatio rerum spectantium ad Coronam est irrita sine consensu statuum 500.
Donatio definitur 501.
Donatio dividitur in donationem inter vivos & mortuos 507. 519. donatio inter vivos fieri potest sub conditione suspensiva. vel sub modo 508 Ejus interpretatio 514.
Donatio Ecclesiæ facta obligat ante acceptationem 505.
Donare qui possint 506.
Donatio ultra 500. solidos eget insinuatione, nisi sit pia 506. 508. aut juramento firmata 509. In quo est sita insinuatio? 508. Donationis nomine in materia statuti venit perfecta seu simplex. 508.
Donatio gratuita omnium bonorum an valeat juxta jus civile? 610
Donatio hæreditatis est invalida. 511.
Donatio quanta licita Episcopis & Prælatis secularibus ex redditibus & bonis Ecclesiæ 512.
Donatio quanta concessa Prælatis Regularibus & horum subditis. 515.
Donatio liberalis facta à Prælato cum consensu capituli immoderata, an valida? 514.
Donatio inter vivos non est regulariter revocabilis 515. ob causas tres potest revocare 515. 516. 517. Illæ sunt probandæ 517. revocationi est locus licet esset jurata 516. Versu. Dispositio habet
Donationis revocandæ jus est personale 518. Donationem revocandi jus ad quos se non extendit. 519.
Donatio mortis causâ tripliciter fieri potest 519.
Donatio facta à sano multum differt à donatione facta à constituto in mortis periculo 519.
Donationis mortis causa solenitas est eadem, quæ codicilli. 519 Est ad libitum revocabilis 520 quot modis ea revocetur 520.
Donatio remuneratiua pudicitiæ quid. 79.
Donatio ob causam est conferenda, secus donatio remuneratiua seu antidotalis 124.
Donativa facienda Principi an requirant consensum omnium omnino Procerum vel tantùm majoris partis? 200.
Donatore mortuo post donum missum, an donatarius possit acceptare donum, vel

an hujus hæredes acceptare possint, eo præmortuo 210.
Doni oblatione nullum jus acquiritur monasterio, secùs per legatum 34.
Dos quid; quomodo dividatur, & quot modis fieri possit? 79. A quo constituenda? 81 An etiam à Beneficiato suæ proli 68. & à fratre sorori 125,
Dotis æstimatæ æstimatione faciente venditionem dominium naturale est pænes maritum 80.
Dotis æstimatio si fuit iniqua, aut si non exstet pretium, at bene dos ipsa, quid juris? 79.
Dotem uxor repetere potest à marito ob culpam vergente ad inopiam 82.
Dos immobilis corporalis inæstimata soluto matrimonio est statim restituenda, dos mobilis autem intra annum 84.
Dos & contrados sunt conferendæ 121.
Dos promissa aut tradita in divisione quomodo conferatur? 121.
Dotis privilegio eam revocandi nequit valide renunciari 80.
Dotis titulo uxor post funeralia ceteris creditoribus præfertur 419.
Dotis maternæ repeditio concurrens cum repetitione dotis novercæ ex bonis mariti præfert liberos prioris matrimonij 419.
Dubitatio quid & quando sumatur 308. quantum peccatum. ibid.
Dubius, an res sit aliena? nequit inchoare possessionem ante inquisitam veritatem. 174. 357. In dubio delicta non præsumuntur. 358. Versu. Infertur 2.
Dubius, an sua cooperatio influxerit? probabilius debet restituere. 333. 336. An totum? 333.
Dubiam Prolem neuter genitor alere tenetur, sed sola Mater. 107.
Duces belli protegentes spoliatores milites sunt palpatores. 337.
Ducum belli injustitiæ 582.
Duelli differentia à rixa 589.
Duellum an sit radix restituendi & reparandi damna realia? 589.
Duellum. 322. Graviter à Regibus Galliarum prohibitum. ibidem an licitum ad impediendam, aut vindicandam ignominiam? 325. Versu. Ex his.

# E

Ecclesiastici an jure divino sint exemptiâ jurisdictione seculari. 528. 529. an potuerint exmi à jurisdictione Principum 531. An à seculari Magistratu cogi possint ad vendendum frumentum, aut ad non efferendum, aut ad taxam servandam, & an deprehensi egisse contrarium possint puniri? 553.
Ecclesiastica immunitas. Vid Immunitas
Ecclesia primitiva habuit bona communia pro indigentibus 60.
Ecclesiarum, monasteriorum, hospitalium res an & quando præscribi possint? 185.
Ecclesiæ nomine quid veniæt? 261. Vid Clerici Beneficiarij
Egentem extremè impediens rerum Dominus ab horum acceptione an peccaret contra Justitiam commutativam 28.
Eleemosynam dans Minoribus non minus meritoriè agit ac dans alijs Religiosis dominij capacibus 134.
Eleemosynæ titulus potest concurrere cum titulo Justitiæ. 307. eleemosynam quis? cui? ex quibus bonis, & in qua necessitate dare debeat, difficulter discernitur 307 Vers. Nota 5to.
Eleemosynam denegans an sit homicida aliquando, & peccet contra Justitiam? 306.
Electionem indigni aut minus digni cooperantes an debeant aliquid restituere? 567.
Elocare fructus an possit beneficiatus aut Prælatus Regularis? Vid Beneficiatus. Prælatus.
Emens rem alienam pretio infimo, vendens postea summo. Vid Bona. An comparenti Domino debeat reddere accessum? 234. Emens bona fide & vendens, si rescit esse alienam, debet esse paratus ad contractum rescindendum

rescintendum cum secundo emptore imò debet rescindere cum pretij restitutione, si est periculum, quod dominus resciet. 234.
Emere bona immobilia ab injusto aut justo hoste confiscata an possint cives, quin reduces domini teneant pretium ijs refundere. 266.
Emigrationis census. Vid. Census.
Emphytevsis Ecclesiastica nequit transmitti ad illegitimos. 153. An ad legitimatos per matrimonium aut principis rescriptum? 153. An Scriptura de ejus essentia? 153. Ejus differentia ab elocatione. 421.
Emphytevsis canon quantus & quando solvendus? 158.
Emphytevsis caducitas an censeatur remissa, si post canonem non solutum suo tempore, acceptetur canon? 164.
Emphytevsi hæreditaria, aut ex pacto, & providentia expirante, an dominus directus ultimi Emphytevtæ successore teneatur renovare Emphytevsim? 425. in Emphytevsis successione semper proximus est vocandus. 425. In Emphytevsi venali jus retractûs competit domino directo. 165.
Emphytevsis in quibus rebus possit constitui. 430. An in rebus Ecclesiasticis? 431.
Emphytevsis vetus, quando censeatur. 431
Emphytevsis an possit prælegari uni ex liberis aut extraneo? 432.
Emphytevsis tam Ecclesiastica, quàm secularis, tam eum, quàm sine pacto adjecto an transeat ad Monasterium irrevocabiliter? 445. 446.
Emphytevsis sive secularis sive Ecclesiastica concessa pro se & suis hæredibus, an transeat ad Monasterium perpetuò. 447
Emphytevsis quamdiu turat apud Monasterium? quando ab Ecclesia non revocatur. 448.
Emphytevsis à Professo veniens ad Monasterium non turat centum annis. 448.
Emphytevsi adjecta conditio: *ne transeat ad Ecclesiam vel ad Monasterium, vel ad potentiorum personam*, an excludat Monasterium? 449.
Emphyteuta quoties debet præstare servitia vulgò Robothas. 162. & an proprijs sumptibus? 162. An locò Robothæ, si dominus velit, debeat dare pecuniam, aut è contra. 162. Vers quæres quintò.
Emphytevta an post caducit atem fructus faciat suos, si dominus non urget Emphytevsis restitutionem. 164.
Emphytevtâ uno in casu, quo plures possident rem communem, canonem non solvente, an ceteri cadant in commissum? 164.
Emptyteuta potest Emphytevsim oppignorare aut hypothecare, aut elocare ad modicum tempus sine consensu domini. 424.
Emphyteutæ compactatio cum directo domino de fortuitis casibus an valida? 526.
Emphyteuta an sine consensu domini directi possit libellare 433.
Emphyteuticæ su cessionis an capaces feminæ, & illegitimi? 428
Emphytevsis quid & quotuplex. 153. 445. Ejus differentia ab alijs contractibus 153.
Emphytevsis per Professionem Religiosi acquiritur Monasterio. 41. 445. & quomodo. 445.
Emphytevta ad quas expensas & melioramenta teneatur. 159. an teneatur ad steuras, contributiones, ad aggeres in ripis fluminum. 160. an ad laudemia prædecessorum. 160. An teneatur solvere Canonem, si fundus non fructificet. 161. An teneatur præstare Robothas & quando? 162. An possit veudere irrequisito domino. 163. An saltem donare permutare, Aare in dotem fundum Emphyteuticum? ibid. An & quando cadat in commissum canone non soluto, & quando cesset pæna commissi? 164. non tenetur offerre domino fructus præmendos. 165. An eum mulctare & expellere possit Dominus non jurisdictionalis 165.
Emptio quid? & quid sit emere rem ad corpus, aut juxta genus 238 ad quem spectet rei emptæ periculum aut post ejus traditionem 239.
Emptio spoliorum militarium 242 & creditorum, seu chirographorum 243. Quid si nullum sit periculum solutionis 244.

Emptor ultra dimidium pretium læsus potest agere contra læsorem in foro externo. 230.
Emptor rei alienæ an teneatur hanc Domino restituere cum jactura pretij? 236. In emptione quomodo circumventionem permittant leges Imperiales? 230.
Emptori priori præfertur posterior, si huic res tradatur. 416.
Emptor domûs aut vestis, si in domo reperit thesaurum, aut in veste aureos insutos, an fiat Dominus thesauri & aureorum? 247.
Episcopus ex Religioso factus. Vid. Religiosus.
Episcopus ex Religioso factus potest revocari ad Religionem. 397.
Episcopi ex Clero, & Episcopi ex Religione differentia quoad dominium reddituum. 399.
Episcopus titularis an exemptus ab obedientia Regulari. 399.
Episcopus an satisfaciat expendendo ex superfluis redditibus quartam partem in pios usus. 69.
Episcopus an debeat habere examinatores pro concursu ad beneficia curata, eorúmque judicium exquirere. 572.
Episcopatûs Labacensis fundator est Fridericus Imperator. 473. Vid. Fundator.
Episcopus Vid. Religiosus Episcopus.
Error contractui interveniens. Vid. contractus.
Error opinantium posse honorem occisione defendi aut vindicari. 322.
Evictio quid, qui, & quando ad eam teneantur? 235.
Exactionum varia genera 187. Exactiones justæ quæ & quot? 188.
Exactiones novas an & quando Princeps imponere possit? 191.
Exactionum leges an obligent in conscientia? 194.
Examinatores pro concursu, an sint solùm consultores aut Judices, possintque Episcopo etiam non interrogati exponere dignos & digniores. 572
Executivæ causæ quo ordine obligentur restituere. 345.
Exemptio Ecclesiasticis concessa à Principibus an revocabilis? 528. 529.
Expensæ in filium in scholis, Provincijs, nuptijs, artibus an conferendæ. 122.
Exponentes proles suas clàm ad hospitalia aut januas divitum peccant graviter; sed excusari aliquando possunt. 106.
Extravagans Ambitiosæ exigit à Prælatis, quos Pontifex confirmat, juramentum de non alienandis rebus ineonsulto Papa. 265. An usu recepta? 565.
Extrema qualis necessitas, ut liceat subreptio vel furtum? 305.

# F

Famæ & honoris homo est plenus Dominus. 26.
Fama quid propriè? quibus violetur potissimum modis? 308. 309. Duplex est, radicalis, & formalis. 310.
Familiæ alicujus infamatio quid & quàm grave peccatum & quando. 313.
Famuli dantes Eleemosynam an peccent, & obligentur restituere. 299.
Famulus ultra solitum occupatus an occultè compensare possit? 303.
Famulus Usurarij numerans pecuniam dandam ad usuram an cooperetur usuræ? 337.
Famuli, quibus clavis est commissa, ad quid teneantur. 338.
Famulus mercatoris transigens cum Gabellario, cui lucrum faciat, sibi an Domino? 201. Idem occultans merces, aut occultis vijs telonium subterfugiens. 201.
Fœmina ab Amasio submissa liberaliter munera ad alliciendum, an restituere teneatur? 217.
Fœmina habens proles, si profiteatur, dupliciter potest de jis disponere. 57.
Fœmina pro dote promissa fidejubere potest. 82.
Fœmina data competente dote non possunt petere legitimam. 113.
Fœmina impudicè sollicitata an licitè percutiat solicitantem. 596. vers. Adde 3.
Fera in venatione ab uno vulnerata, ab altero capta, cujus? 273.

Ferreæ litteræ ſeu moratoriæ quid, à quo, contra quos dandæ? 270.
Fœtus ejectus an Baptizandus. 327. Quando animatur. ibid.
Feudum tripliciter ſumitur. 439. Feudi an capaces Clerici & Religioſi? 440. Feudum poſt mortem naturalem Profeſſi devolvitur ad proximos agnatos & in horum defectu ad dominum. 440. Regulariter tamen tantum ad hæredes ſanguinis tranſit. 440.
Fideicommiſſo adjecta hæc conditio: *Si hæres inſtitutus deceſſerit ſine hæredibus*: aut iſta: *ſi hæres inſtitutus profeſſus fuerit in Religione capaci ſucceſſionis*; an admittat ſubſtitutum excluſo Monaſterio, aut è contra? 435. 436.
in Fideicommiſſo an filius à teſtatore ſubſtitutus excludat Monaſterium? 436. In eo ſi teſtator ſubſtituat hæredi ſimpliciter extraneum profitente hærede, an Monaſterium ſubſtitutum excludat perpetuo? 437.
de Fideicommiſſis jura diſponentia, de tranſitu hæreditatis ad Monaſterium cum excluſione extranei, an etiam procedant de Religioſis Societatis JESU. 438.
Fideicommiſſum Religioſus Societatis an ante Profeſſionem licitè & validè poſſit renunciare in Societatis favorem? 438.
Fideicommiſſum à defuncto ſed ſine Solennitate factum an obligetur hæres reſtituere? (260.
Fideicommiſſum poſſidentes an ſint pleni Domini? 15.
Fides bona definitur, aliqua eſt neceſſaria ad præſcribendum alia requiritur ad inchoandum præſcriptionem. Alia ad continuandum. 172.
Fides ad præſcribendum quæ ſit ſufficiens? bona. 173. Bona fides an ſtet cum dubio ſpeculativo? 174. An cum dubio practico. (ibid.
Filiusfam. in poteſtate Patris conſtitutus nullum habet jus ſimpliciter tale. 102.
Filius etiam in Articulo mortis Matri aſſerenti eſſe illegitimum non tenetur credere etiam in foro conſcientiæ. 111.
Filiorum peculium quadruplex. 114.
Filiusfam. eſt plenus Dominus ſeu proprietarius ſeu uſufructuarius bonorum caſtrenſium & quaſi caſtrenſium, ſecùs bonorum profectitionum. 114.
Filiusfam. pubes poteſt ſua authoritate de bonis Caſtrenſibus & quaſi Caſtrenſibus diſponere etiam per teſtamentum aut donationem causâ mortis. 115.
Filiusfam. debita in certis caſibus Parens tenetur ſolvere non item ſemper. 116.
Filiusfam. adminiſtrans bona Patris lucratur Patri. 117. Poteſt à cohæredibus petere æſtimationem laboris impenſi in adminiſtratione eorum bonorum. 117. Poteſt invito Patre operas ſuas elocare. 117. Domo dimiſſus cenſetur emancipatus. 117. Debita à Patre contracta pro alimentis ſuis non tenetur ſolvere. 96. 117. Poteſt de Caſtrenſibus inconſulto Patre contrahere & obligari civiliter, ſecùs de adventitiis Patri fructificantibus. 118.
Filio defuncto manet uſusfructus bonorum adventitiorum apud Patrem, eſtò dominium ad alios perveniat. 114.
Filia generalibus terminis renuntians hæreditate non poteſt petere legitimam. 113.
Filiusfam. an poſſit litigare cum Patre 103. & quæ alia nequeat præſtare ſine conſenſu Patris? 103. Non poteſt obligari ex mutuo niſi conſentiat Pater. 103. Non poteſt renuntiare S. C. Macedoniano etiam jure jurando. 501.
Fiſcus reſcindens contractus à Reo læſæ Majeſt poſt delictum initos an debeat pretium refundere? 267. An debeat ſolvere Rei debita ex confiſcatis. 267.
Franciſcani vid. Capucini.
Frater dives tenetur alere fratrem ſpurium 105. Item dotare ſororem conſanquineam ſecùs uterinam. 81.
Fructus ex re perceptibiles ſunt triplices 354. fructûs nomine quid? 356. vers. inf. 4.
Fructus naturales rei ſpectant ad Dominum. 356. merè

356. merè induſtriales & mixti quomodo & cui reſtituendi? 356.
Fructus civiles qui & an induſtrialibus annumerandi. 354. Juncto. 356. vers. inf. 2.
Fructus an reſtituendi, qui perjiſſent apud Dominum. 354.
Fructus bonorum mobilium filio ad nuptias datorum non ſunt conferendi. 123.
Fructus congeſti à Clericis ex miſſis, concionibus, funeribus, præſentia in Choro, Capellania, &c. ſunt quaſi patrimoniales 402.
Fundator Epiſcopatus Labacenſis quam poteſtatem ſibi reſervaverit? 473.
Fundi totalis nomine quid veniat? an hujus alienatio valida? 83.
Fundus totalis invalidè alienatus vindicari poteſt uxoris nomine. 83.
Funerales ſumptus ſolvendi ante omnia debita. 418. Funeralium nomine qua veniant expenſæ. 418.
Fur an ſit tollens moroſo debitori quantum ſibi debetur? 282.
Fur an ſit detinens, alienum ſciens Dominum, aut debitè non inquirens in eum 282.
Fur an præſumatur, in cujus domo furtiva res reperitur, 282. An fur Nobilis furripiens neceſſaria, cui mendicare eſt grave, 307.
Furtum ſæpe non eſt clandeſtina alienæ rei acceptio 307.
Furtum quid? 282. 304. Ejus differentia à rapina. 282.
Furtivæ rei venditio an valeat, & quid, ſi vendatur tertiò? 233.
Furtivæ rei emptor an teneatur hanc Domino reſtituere cum jactura pretij. 236. Mortuo venditore an reſtituenda Domino? 237.
Furtum an peccatum ex genere ſuo mortale? 384. Unde ejus materia gravitas deſumatur? 284. 285.
Furta filiorum, uxorum, maritorum quam quantitatem ad peccatum mortale requirant? 286. 287.
Furta Religioſorum an & quando ſint mortalia? 288. 289 præſertim apud Capucinos. 290.
Furta minuta explicantur: hæc patrans ſe multipliciter habere poteſt. 292. Ut coaleſcant in unum, continuari debent. 292. Ut jis peccetur mortaliter contra juſtitiam, debent fieri animo continuandi. ibid.
Furta ſingula minuta facta animo continuandi, ſunt mortalia. 292. Ut per hæc perveniatur ad mortale, neceſſaria eſt major quantitas. 292. Quando hæc debeat eſſe major. 292.
Furta minuta quædam recenſentur, in quibus probabiliter non coaleſcit mortale, etſi quantitas ſimultanea ſit mortalis. 292. Ut per ea peccetur mortaliter, requiritur advertentia, quòd attingant notabilem quantitatem 292. Si apud furem extent in ſe, aut æquivalenter, ſub mortali ſunt reſtituenda. 293. Per minuta furta ab uno diverſis facta poteſt peccari mortaliter & cur? 296.
Furtum minutum poſt aliud antecedens complens gravitatem, an ſit mortale? 295. In fin.
Furandi voluntati an ſit tacitè annexa voluntas reſtituendi. 295. An ultima etiam acceptio completiva materiæ mortalis ſit? 293.
Fur ut peccet graviter an debeat habere advertentiam ad materiæ gravitatem. 294.
Fures quomodo peccent non ex communi Conſilio eidem furantes. 296.
Furando exemplum dans aliis, an peccet contra juſtitiam cum onere reſtituendi? 297
Furta domeſticorum latius explicantur uti & opificum. 298.
Furem quæſitum, ad ſupplicium abſcondens, an teneatur reſtituere? 337.
Fur rem furtivam deſtruens, paulò poſt perituram prævidens apud Dominum, an teneatur reſtituere. 370.

# G

GEnitor dubius, an ſit ſua proles, an hanc alere debeat? 107.
Grex non intelligitur infra decem capita. 138.
Gubernatores urbium an licitè impediant acceſſum

cessum aliunde frumenti, vini? 251. Jidem non impedientes latrocinia, damna, &c. tenentur ad restitutionem. 338.

# H

Hæreditas an? quando? & sub quibus conditionibus valeat? 222. Vid. conditio.
Hæreditati renuncians non renuntiat legitimè. 113.
Hæreditati filia renuntians dote accepta non potest petere legitimam. 113. Quid si filia renuntians cum juramento, acquirat proles, & moriatur ante, aut post mortem Patris? (113. 484. 485.
Hæredum successio ex testamento minus solenni an valida & licita? 258.
Hæreditatis quæ sint partes secundum jus civile 113.
Hæres gravatus hæreditatem transmittere ad extraneum, si decesserit sine prolibus, &c. An Monasterium in quo profitetur, excludat extraneum in perpetuum. 435. 436. Et quid si hæredi substituatur extraneus simpliciter? (437.
Hæreditas sub conditione relicta. vid. conditio.
Homicida. vid. Occisor.
Homicida omnis peccat contra Justitiam. 306.
Homo an habeat plenum dominium omnium rerum mundi? 15. 28.
Homo est plenus Dominus suæ libertatis. 26. Non est Dominus vitæ sed usufructuarius, tenetur ad media ordinaria vitam conservandi, secùs ad extraordinaria. 25. Est Dominus multorum actuum vitalium, naturalium, supernaturalium, &c. eum perficientium 26. Est Dominus plenus famæ & honoris. 26.
Honorarium an debitum Advocato Ecclesiæ? 475.
Honor definitur; an & quomodo differat à laude? 308.
Honor læsus per contumeliam quomodo reparandus? 383 Idem læsus propalatione criminis veri. 383.
Hypotheca & pignus variè sumuntur & diviuntur. 140.
Hypotheca est multiplex. 142.
Hypotheca generali quæ bona subjecta. 143.
Hypotheca legalis seu tacita quibus competat? 143.
Hypothecato prædio jus Patronatus ei annexum non oppignoratur. 144.
Hypothecarij quæ res possint aut non possint? (144.
Hypothecari an possit eadem res successivè pluribus? 144.
Hypothecarius non fit rei Dominus sed purè acquirit jus reale rentionis. 141.
Hypothecæ generalis & specialis sex differentiæ 142
Hypothecæ specialis est incapax res, nisi actu sit sub dominio debitoris. 142. Ei non possunt subjici res Ecclesiæ sine solennitate. 142.
Hypothecæ speciali, subjectæ rei alienatio, est jure nulla, si fuit pactum adjectum de ea non alienanda. 142.
Hypotheca specialis plus Juris tribuit quam generalis. 142.
Hypotheca non sufficit pro prioritate, nisi sit creditum secutum. 415.
Hypotheca specialis posterior, an præferenda priori Generali? 417.
an Hypothecarius posterior, si sit Fiscus, aut Respublica, præferatur priori? 417.
Hypothecarij etsi priores in certis casibus, postponuntur alijs creditoribus. 418.
Hypotheca posterior publico instrumento firmata præfertur prioribus. 418.
Hypothecarios creditores pupillus præcedit in ejus pecuniâ comparata. 419. Uti est creditor in re restaurata ejus ære. 419. Uti & mutuans pecuniam pro emenda certa re, ea lege, ut maneat sibi obligata, antecedit hypothecarios anteriores. 419.
Hypothecarius posterior solvens priorem, subit locum prioris, & quid si prior nolit acceptare? 419.
Hypothecarius creditor an persequi possit non solùm fundum hypothecatum, sed etiam fructus collectos ab emptore. 420.

# I


Immissio creditoris in bona debitoris est injusta. 149.

Immunitas Ecclesiastica quid & quotuplex? 524.

Immunitas omnis an sit juris divini? 525. Personalis an juris divini? 526.

Immunitate reali gaudent Ecclesiæ & omnia loca sacra cum suis rebus. 530.

Immunitas Ecclesiastica an possit aboleri præscriptione, aut consuetudine? 537. Hæc etiam indirectè non potest imminui à Laicis. 538.

Immunitatis Ecclesiasticæ acerrimus defensor Paulus V. 546. 548.

Imperator non est proprietarius totius mundi. 188.

Imperitiam e. g. Medici, Confessarij, Advocati, &c. prodere an licitum? 313.

Imperium quid & quotuplex? 460. Ejus Gradus varij. 461.

Imprecatio maledictionis species, an peccatum mortale? 310.

Improperium quid? & quanta injuria? 309.

*In continentis* tantum tempus designat, quantum est necessarium pro rei qualitate. 170. in fin

Incapacitas dominij in Religioso Professo unde oriatur? 32.

Inducens alterum in peccatum, vel errorem, an debeat quid restituere? 608.

Infamia quid sit? 308. Infamare alterum nominibus generalibus regulariter est veniale. (312.

Infamatio Monasterii, Ordinis, aut Familiæ unius. 313.

Infamem de uno, infamare de alio crimine specie diverso est lethale. 313. Infamare se quando liceat & quando non? 26.

Infamare an licitum ob dissolvendam amicitiam turpem? 309.

Infamis an sit percutientem non repercutiens? 322. vers. dices vilis.

Ingressûs Religionis nomine quid veniat? (36.

Injuria an fiat volenti? item consentienti in necem? item marito consentienti in adulterium uxoris? 283.

Injuria sumitur latè vel pressè. 585. vers. notandum hic. An ex injuria competat actio Legis Aquiliæ pro reparando damno 585. An possit pro ea exigi satisfactio in pecunia? 586.

Injustitia contra justitiam distributivam quid sit? 554. Est ex genere suo mortalis electio indigni ad officia secularia, imò etiam regulariter electio digni excluso digniore, à (555.

Injustitiæ quæ potissimùm contingant in militia cum onere restituendi. 581.

Injustitiæ cooperantes causæ. 328.

Investitura est actus jurisdictionis. 472.

Inventura bonorum Parochi, &c. est contra immunitatem. 472.

Inventor rerum perditarum quid agere debeat ex obligatione. 271.

Invitatus ad prandium quid juris acquirat in cibos? 134.

Interesse acquirendi difficultas à Camera & Provincia. 243.

Interesse duplex ordinarium & extraordinarium 366 573. An solvendum à Camera ex Justitia premente necessitate publica? 243. Quid de piis fundatoribus in Camera aut Provincia investitis? ibid: An totum restituendum, & quid ejus nomine veniat? 573. 575. De piis capitalibus nequit imminui. 243.

Irrisio quid? an speciè differat à contumelia? & hac sit gravior? 309

Judex inferior an possit pœnam remittere? (279.

Judicis nobilis & mercenarii Officium. 460.

Judices munera acceptantes an teneantur restituere? 372.

Judex ad qualem probabilitatem attendere debeat? an semper ad probabilioritatem? 301.

Judex potest ferre sententiam pro famulo ex opinione probabiliore stipendium majus deberi. 302. vers. ad 3. & vers. ad 4.

Judicium temerarium an semper peccatum mortale. 308. Non est ejusdem speciei cum detractione, 310.

Juramentum de rebus Ecclesiæ non alienandis intelligitur de alienatione jure illicita. 263.
Juramentum, quando nullum jus attribuat personæ, cui juratur? 484. Aliquando tamen attribuit. 484. Utrique commune est, quod relatè ad Deum obliget. ibid.
Juramentum adjectum renuntiationi hæreditatis, aut de certa persona scribenda in hæredem, an licitum & validum? 490. Adjectum actibus jure positivo irritis, an faciat convalescere? 490. 499. & 503. Adjectum legi civili obliganti sub culpa est illicitum & invalidum. 490. Adjectum pactis jure civili prohibitis primariò ob commune bonum, aut tendentibus in damnum tertij, est nullum ac illicitum. 493. An idem dicendum de juramento emisso contra leges civiles primariò consulentes bono privatorum? 493. vers. Dico 3. 494. 495.
Juramentum extrahendi equos, arma, frumentum, pecuniam, &c. contra prohibitionem est nullum. 493.
Juramento firmans pacta jure positivo prohibita an sit perjurus? 490. 496. 497.
Juramentum illicitum non est eo ipso invalidum. 496.
*Juramentum non est vinculum iniquitatis*, axiomatis, hujus quis sensus? 496.
Juramentum gravi metu extortum & pactis adjectum an invalidandum? 490. & 498.
Juramentum Prælati de non repetendis Ecclesiæ rebus injustè ablatis est irritum. 500.
Juramentum Prælati ante electionem præstitum præjudicans dignitati aut potestati, aut mensæ Episcopali est invalidum. 501.
Juramentum Regis de non revocandis donatis ad coronam spectantibus est injustum. 500.
Juramentum fidelitatis factum superiori illegitimo est nullum. 501.
Juramentum filiifam. mutuum accipientis, & juratis se non usurum beneficio S. C. Macedoniani non valet. 501
Juramento non confirmatur promissio, cui causam dedit error aut dolus circa substantiam, aut etiam qualitatem. 592,
Juramentum puellæ dolosè inductæ ad renunciandum hæreditati paternæ pro certa dote, an valeat? 502.
Juramentum quos contractus jure positivo nullus, confirmet? 503.
Juramentum non faciendi actum certum, hunc non irritat. 504.
Juramentum de non alienando, quomodo intelligendum? 263.
Jura & actiones ad res æquiparantur. 261.
Jura immobilium & pretiosorum mobilium æquiparantur immobilibus. 261.
Jurisdictio fori externi latè sumpta definitur. 460. Dividitur in imperium & jurisdictionem prestè sumptam. 460.
Jurisdictio prestè sumpta definitur. 460.
Jurisdictio Vogteutica est alia superior, alia inferior, Ecclesiastica & secularis. 465.
Jurisdictio teritorialis non se extendit ad Ecclesias, Monasteria, & horum bona. 472.
Jurisdictio contra immunitatem Ecclesiasticam nequit induci à sæcularibus. 472.
Jurisdictionis in res Ecclesiæ, & Ecclesiasticos, qualiter sint Laici capaces. 537. à Vers. Cæterùm valet.
Jus Patronatûs aliquando confunditur cum jure Advocatiæ. 463. Propriè autē distinguitur. 464.
Jus Patronatûs regulariter acquiritur tribus modis. 463. Item aliquando privilegio aut præscriptione. 463. An possit à Laico præscribi contra Ecclesiam liberam aut contra Patronum Ecclesiasticum aut laicum? 463.
Jus Clientelare convertitur cum Advocatia hæreditaria. 464.
Jus præcipuè 6. Modis sumitur. 1. Aliud Canonicum, aliud civile, activum & passivum 1.
Jus gentium quid? 9. An sit jus merè humanum, aut mixtum ex jure naturali & positivo. 9. & à 388.
Jus proprietatis definitur. 2. Quomodo differat à jure jurisdictionis? 2.
Juris definitiones variæ rejiciuntur. 2.
Jus proprietates distinctum à beneficio creationis. 5. Constituitur per legem vel quasi legem. 6. Dividitur 9. Ad jus personale acquirendum sufficit titulus. 11. Ad jus proprietatis in re seu reale tria regulariter requiruntur. 12.
Ius in re & ad rem exponitur 10. respectu ejusdem rei, cui competat? 12.
Ius Dei adversus peccatorem est abdicabile. 21.

Ius ligatum potest esse in Deo quoad usum licitè exercendum. 21.
Ius alimentorum, est jus manendi in certo Coenobio &c. habent Religiosi professi. 32.
Iussio quid? 328.
Ius Patronatûs annexum bonis tranfit ad Religionem. 41. & 439. remanet apud scholasticos Societatis Iesu. 41.
Ius Paternum in filios quid: 101. Inductum à lege naturali in utriusque felicitatem est jus proprietatis partim jurisdictionis. 101.
Ius retractus seu protymiseos an & quando & cui domino competat? 165.
Iuris alieni scientia an impediat bonitatem fidei ad præscribendum? 176.
Iuris civilis dispositio ante sententiam judicis an procedat in materia restitutionis. 362.
Iustitia quid & quotuplex, speciésque assignantur. 275.
Iustitiæ ut sic definitio. 276.
Iustitiæ commutativæ objectum formale. 277.
Iustitiæ distributivæ objectum formale. 278.
Iustitiæ commutativæ differentia à distributiva. 278.
Iustitiæ legalis formale objectum. 279.
Iustitiæ partes sunt aliæ subjectivæ, aliæ potestativæ. 276.
Iustitiæ commutativæ actus est justa tributorum impositio & exactio. 276.
Iustitia vindicativa qualis sit pars justitiæ. 279.
Iustitia commutativa sola obligat ad restitutionem. 280.

# L

Laudemium Emphyteuticum quid, & an necessarium in contractu Emphyteutico. 156. Cui & quando solvendum. ibid.
Laudemij quantitas & quo titulo est solvendum. 156. 450. An quantitatem taxet consuetudo, hæcque debeat esse immemorialis. 156. De laudemiis jura loquentia intelligenda sunt de validis. 422.
Laudemium nunquam est solvendum sine novo contractu. 157. An à vidua & liberis præstandum. 157. Vers. quid autem sentiendum.
Laudemia Prædecessorum insoluta an solvenda ab Emphyteuta successore? 160. 453.
Laudemium ut detur, requiritur mutatio rei, & Emphyteuta. 450.
Laudemium non præstat hæres necessarius. 450. nec, dum Emphyteutis resoluto contractu redit ad venditorem ex pacto redimendi. 450. nec quando emptio & venditio annullatur, propter magnam læsionem. 450. Nec comprehensus in prima investitura. 450. Nec laudemium solvit Monasterium durante vita Professi. 451. Solvit autem, cui Religiosus legavit vineam. 452. 453.
Laudemium præstat uxor, cui maritus donavit rem Emphyteuticam. 452. Circa laudemia quid statutum à Cæsaribus in Styria? [157. in fin. 452.
Legatorum etiam in rebus immobilibus sunt capaces omnes Professi Religiosi etiam Societat. JESU & Minores, & quomodo? 33.
Legata sub conditione an valeant? 222. vid. Conditio.
Legatum sub conditione relictum. vid. conditio.
Legatis Principum an licitum aut injustum propinare largius ad expiscanda secreta? 580.
Legati an licitè inquirant in secreta bellica contra suum Principem. 580.
Legati an licitè indagent mores tam naturales quàm morales Ministrorum Principis tam actualium quàm promovendorum. 580.
Legitima quid? & quid ejus nomine intelligatur. 113. Est pars bonorum non hæreditatis: non est taxtata à lege naturali. ibid. Quibus & à quibus debeatur. 113 Non debetur ante mortem, & potest constitui in re singulari, non tamen in usufructu. 113. Potest constitui in bonis Emphyteuticis, hæreditariis. 113. Respuit omne aliud gravamen, præterquam quod ineft rei. 113. Aliud habetur non adjecto. 113. Ut si filius obligaretur post mortem legitimam suam relinquere fratri. 113. Aut uxor constitueretur usufructuaria bonorum filij etiam quoad partem legitimæ. ibid.
Legitima augetur, aut minuitur pro numero prolium. 113. An pro ea augeat numerum Professus aut exhæreditatus? 409. Aut filia

lia cum juramento renuntians hæreditati. 411.
Leges multæ Codicis obligant ex consuetudine & acceptatione Ecclesiæ. 444.
Leges adimentes Ecclesijs, & Religiosis jus ad hæreditates & legata sunt abolitæ à Constantino. 521. Aliisque Imperatoribus. 522. Leges imponentes Vectigalia an sint purè pœnales? an obligent in conscientia? 195.
Leges potest Princeps condere sub mortali obligantes, & quæ earum signa? 194.
Leges disponentes de contractibus an obligent in conscientia? 362.
Lex constitutiva juris quid habeat pro objecto volito? 7. dupliciter prohibet alicujus rei usum 15. Prohibens non destruit jus. 15.
Lex commissoria quid? 152. Resolvit contractum, non suspendit. 152. Non favet emptori, sed venditori. 152. Non est ei locus, nisi adjiciatur incontinenti. 152. Ut exerceatur, non est necessaria prævia interpellatio emptoris pro solutione. 152.
Lex irritans quando sit consuetudo declarans, & quando prohibens. 42.
Lex posterior contraria derogat priori. 416.
Lex alia principaliter dirigitur in bonum publicum, alia in bonum privatum. 491.
Lex arcens Ecclesiasticos, & Religiosos ab emendis bonis immobilibus, aliove justo titulo comparandis an sit justa? à 521. Legem ejusmodi Pragmatici vocant legem amortizationis & cur? 522. Ubi ea viget? 544. & an jure? 545.
Lex omnis laica Ecclesiasticos reddens timidiores est contra libertatem Ecclesiasticam 539.
Lex amortizationis an rectè probetur, quòd Ecclesiastici ultra legitimam nihil possint ullo jure prætendere? 552.
Libertas destruendi quid & quotuplex? 76. Libertas proxima destruendi non coëxistit rei destruendæ 76.
*non Licere* aliquando in jure idem significat quod *non valere.*
Licentia Generalis Præpositi necessaria, ut Societat. Scholastici vel inter vivos, vel mortis causâ donare possint? 36.
Licentia præsumpta conditionata non sufficit. 45. Quales necessaria, ne lædatur paupertas Religiosa. 46. Ad qualia & quanta se extendat? 47.
Licentia ad usus profanos licèt impediat vitium proprietatis, non tamen tollit malitiam contra votum paupertatis. 48.
Licentia ad superflua contra votum paupertatis, aut ad sumptus illicitos contra alias virtutes est valida. 49. Nequit tamen licitè dari à Prælato ad usus profanos. 49. Generaliter tamen data non censetur esse tantùm restricta ad usus honestos & pios, nec non restricta est contra mentem Pontificis aut conventûs. 50.
Licentia emendi reculas distribui solitas est etiam licentia donandi alijs. 58.
Licentia dandi uni concessa non est eo ipso alteri licentia accipiendi. 59.
Licentia & jus differunt. 2. Et patet in Minoribus & Capucinis. 131.
Licentiam habens comedendi panem v. g. quid habeat præ non habente talem licentiam? 132.
Ligatione in silvis alienis quomodo acquiratur dominium sine onere restitutionis. 274.
Litteræ moratoriæ quid? à quo, & contra quem dandæ? 270.
Litteræ censuales an possint oppignorari? 144.
Litterarum secreta cognoscere ex apertione vel lectione, quanta culpa? 319.
in Locatione sterilitas an remittat pensionẽ. 421.
Locus & modus restitutionis faciendæ. 377.
Lucris prioris matrimonij; quæ sint adnumeranda? 97. An his renuntient proles, consentientes in secundas nuptias. 98.
Lucra tempore matrimonij arte, labore, &c. acquisita non sunt communia. 88.
Lucrum ex turpi corporis usu an sit de genere bonorum paraphernalium? 92.
Lucra filij ex pecunia Patris aliàs otiosa sunt accensenda adventitijs. 117.
Lucra ex defuncti conjugis bonis conjux binubis amittit in conscientia quoad proprietatem, secùs quoad usum fructum. 98. Debet ea in proles prioris matrimonij æqualiter dividere. ibid.

M. Magi-

# M


MAgistratus an possit aliquem eximere à contributione. 199.

Magistratus non impedientes damna, latrocinia, &c. tenentur restituere. 338.

Majoratum possidentes an pleni Domini? 15.

Majoratûs sunt capaces Religiosi de jure communi, secùs de jure Societatis. 434.

Maledictio quid? 310

Mali species proximo optati an explicandæ in confessione? 310.

Mandans damnum vel furtum quomodo obligetur restituere, & quid, si revocet mandatum? 334. Plura de mandato. ibid. mandans præ mandatario debet restituere famam. 317.

Manifestatio criminum & defectuum inter Religiosos. 32.

Manuscriptorum suorum Dominium habent Religiosi. 32.

Maritus pro dote promissa potest exigere fidejussores. 82. à marito vergente ad inopiam ex culpa, secùs ex infortunio dos repeti potest. 82.

Maritus validè alienat res dotales, quarum habet dominium etiam naturale. 83. Peccat mortaliter contra Justitiam, non solùm notabiliter dilapidando bona dotalia propria uxoris, sed etiam communia sine uxoris consensu. 90. Unde exponens ludo paraphernalia uxoris, &c. sine ejus consensu peccat cum onere restitutionis. 90. Uxori dotatæ tenetur alimenta præstare secundùm decentiam statûs, idque licèt dos perierit sine culpa uxoris. 91. Nisi ipse sit inops; tunc enim alendus ab uxore divite. 94. Regulariter habetur pro Patre. 111. Non tenetur alere prolem dubiam. 108.

Mariro sit injuria licèt consentiat in adulterium uxoris. 283.

Maritus an habeat beneficium competentiæ, si uxor dotem repetat. 84.

Mater ultra lac triennale nil tenetur. 105. Si alia præstet filio, potest repetere. 105. Tenetur alere prolem adulteram in dubio, quis sit Pater? 110.

Mater etiam infimæ sortis non tenetur eum vitæ periculo prodere filium esse illegitimum. 111. An & quando teneatur? 111.

Matrimonio soluto sponsalitia largitas non est restituenda. 86.

Matrimonium conditionatum quid? quando valeat? &c. 225.

Membri amputatio an licita ob Imperium me aliàs occisuri. 324.

Memoriam refricare criminis oblivioni dati vel sententiæ an licitum. 316.

Mercatores an dolosè agant non detegentes vitium mercis intrinsecum aut extrinsecum? 231. Præsertim si emptor interroget in genere aut in specie de vitio etiam levi? 231. in fin.

Mercatores an licitè conspirent ad non vendendum merces infra pretium justum rigorosum? 250. Quid coëmentes totum frumentum ut cerius postea vendant. 251.

Metus quid? quotuplex? Quod modis incutiatur 252. Vide contractus ex metu initi, &c.

Metus gravis excusat ab injustitia cooperationis, sed quando? 337.

Militum injustitiæ à 581. Milites præsidiarij, aut confligentes, quamdiu obligentur servare stationem cum vitæ periculo? 582. Militum stipendia an justè retineantur ad tres aut quatuor menses. 584. Militum defunctorum stipendia an spectent ad hæredes? 583.

Militibus à Rusticis oblata ultra consueta servitia, an sint donationes? 584.

Miles Eques an licitè pabuletur in terra amica? 584. Miles conscriptus, cui est promissum certum officium, sed non datum an licitè fugiat? 584.

Miles privatus, Victor, nullius rei jus acquirit, quàm quod manu capit. 266. Non potest exhibendo inventum aut extortum chirographum, exigere à debitore solutionem, nec restituendo illi Chirographum deobligat illum à solutione præstanda vero creditori, nisi sit delegatus Principis. ibid. Nec potest justè extorquere à victo obligatorias debiti sui. 266.

Militaria spolia. Vid. Prædæ.
Militiæ Capitaneus an possit occultè compensare debita stipendia minuendo numerum militum. 303.
Minores. Vid. Capucini.
Missam pro alio obligato an possit celebrare homo Societatis. 52.
Mobiles res pretiosæ quæ censendæ? 261.
Mobilia inæstimata æstimatione faciente venditionem non potest validè alienare Maritus, qui non est solvendo; nisi consistant in numero, pondere & mensura. 83.
Modus adjectus contractui quid? non suspendit contractum. 218.
Monasterium an acquirat bona Professi, quibus est annexa jurisdictio 441. Nomine Religiosi succedens an sit propriè hæres, aut locò filij? 447.
Monasterium probabilius acquirit immediatè dominium à Professo. 40. An in fideicommisso excludat substitutum? 41. à 435. An ad Monasterium transeat Professi emphyteusis? à 439. & 41.
Monasteria omnia extra Galliam succedendi capacia succedunt in omnia bona Professi, de quibus ante Professionem non disposuit, uti etiam in omnia acquisita post Professionem quovis titulo. 37. & à 440 Non tamen immediatè sed mediatè. 40.
Monasterium succedendi capax an excludat substitutum in fideicommissis? 41. 435.
Monasteriorum, Ordinum, Familiarum infamatio. 313.
Monopolium quid? an Princeps justè admittere valeat? quando injustum? 249.
Mora qualis debeat esse, ut sit obligatio in conscientia restituendi interesse? 366.
Moratoriæ litteræ vulgò Eysene Brieff quid? à quibus dandæ, & contra quos? 270.
Morgengebæ fit uxor domina, etsi non est constituta expressè, judex eam determinat, ita ut allatæ dotis tertiam partem non excedat. 87.
Mortis desiderium an & quando licitum? 25.
Mortem optare licet ad evitandas ærumnas, morbos, &c. 52.
Mortui crimen occultum manifestare potest esse peccatum mortale. 313.
Mulctæ defraudatæ à Telonariis an resarciendæ? 201.
Munera oblata ab amasiis ad alliciendas fœminas, an ab his licitè acceptentur, & acceptata retineantur. 217.
Mutus qualis teneatur ad restitutionem. 328. 329. 332.
Mutuum in ære aut rebus pro diversitate quomodo solvendum? 269. Mutui diversa pacta. ibid. Mutuum in vino, frumento, secundum quem valorem aut mensuram, aut qualitatem restituendum? 296.
Mutuum acceptum à Filiofam. an debeat Pater, an Filiusfam. solvere? 116.
Mutuum à Prælato acceptum ad res Monasterij, tenetur idem Monasterium boni facere. 53.
Mutuantes an paciscì possint de reddenda eadem mensura & bonitate? 269.

# N

Narrans crimina audita nil addendo quo faceret credulitatem, non peccat mortaliter 313. Narrans hic crimina ignota, alibi notoria, an peccet? 316.
Necessitatis diversitas scitu necessaria ad dijudicanda furta. 304.
Necessitas qualis requiratur, ut licitè fiat surreptio aut furtum. 305. An extrema det jus ad surripiendum? 306. Aut etiam gravis? 307.
Necessitatis extremæ nomine quid propriè veniat? 340. Et an hæc frequenter detur. 307.
Nobiles præfixo tempore debita non solventes mercatoribus, ad quid teneantur. 364.
Nobili viro potiùs mendicandum, quam mediis furtivis utendum. 307.
Non obstans, aut non manifestans quis? 328.
Notabilis summa à Beneficiatis in usus profanos expensa quid? 70.
Notitia rei injustè acquisita quibus in casibus usurpabilis? 315.

Novitiorum renuntiationes annullantur, & quomodo Societatis JESU. 36.
Novitius Carmelitarum mortuus ante Professionem inteſtatus transmittit omnia ad hæredes ab inteſtato. 35. in fine.
Novitij cujusvis Religionis capaces ſunt Majoratûs. 438. Hinc clauſula excludens Religioſos à Majoratu non excludit Novitios (438.
Novitij Jurata diſpoſitio ſine licentia Epiſcopi, aut hujus Vicarij ante Profeſſionem non valet, niſi ſit Novitius Societat. JESU. 502.
Novitio negantes ábsque cauſa juſta ſuffragium pro Profeſſione an peccent mortaliter etiam contra Juſtitiam? 614.
Novitius ſine cauſa egrediens ex Novitiatu an teneatur refundere expenſas? 614.

# O

OBæratus. Vid. Debitor.
Obæratus obliguriens ſua an peccet etiam contra juſtitiam erga proles & uxorem? 579.
Et quid de eos inducentibus? 579.
Objectum formale juſtitiæ commutativæ. 277.
Diſtributivæ & Legalis. 218.
Obligatio juſtitiæ non datur in Deo reſpectu creaturæ. 21. An vi fidelitatis. ibid.
Obligatio non revelandi crimen occultum quæ, inter quos & quanta? duo requiruntur ad hanc in Societate. 27.
Obligatio Beneficiariorum erga pauperes. 64.
Obligatio naturalis in Parentibus alendi proles etiam ſpurias juxta ſtatum. 103. Fratrum ac ſororum ſe invicem alendi. 125.
Obligationum genus triplex: naturalis & civilis; naturalis tantùm; & civilis tantùm. 207.
Obligati qui ex officio impedire damnum. 338.
Obligatio reſtituendi in quo radicetur. 230.
Obligatus ex juſtitia impedire furtum, non impediens, quomodo obligetur reſtituere (332.
Obligatio duplex ex contractu oriunda. 362.
Occiſo etiam conſentienti in necem fit injuria. (283.
Occiſio an licita in defenſionem poſſeſſorum bonorum? 321.
Occiſio an licita calumniatoris, & pudicitiæ aggreſſoris? 320. 321. An opinio affirmans licere occidere continuatim ictus cum arundine, ſit damnata? 322. Vers. obſervat Hurtad.
Occiſione defendere honorem an liceat? 322.
Occidere an invaſus teneatur invaſorem injuſtum? 593.
Occidere licitè an poſſit Laicus, aut Clericus, aut Religioſus calumniatorem? 594. 595.
Occidens adulter maritam cum moderamine an teneatur ad reſtitutionem? 591.
Occiſio an licita omnis injuſti Invaſoris? 592.
Occiſio ut ſit licita, duo ſunt neceſſaria. 595. Vers. Confirmatur.
Occiſio an licita & obligatoria pro tuenda pudicitia? 596. Vers. dictis adde. 1.
Occiſor aut Ejus hæres quæ debeat reparare damna ſive præcedentia, ſive ſequentia mortem occiſi? 585. 586. 587. 588.
Occiſor injuſti invaſoris cum moderaminis exceſſu an teneatur reſtituere damna, præſertim non fugiens, dum fugere poſſet ſine nota? 590. Et quid ſi ipſe fuit Author rixæ. 591. vers. deduco 2.
Occiſus an occiſori poſſit remittere damna. 588. vers. inf. 5
Occulti criminis revelatio an aliquando licita? ob qualem neceſſitatem? 315.
Odium juris alterius eſt duplex. Quodnam repugnet cum actu juſtitiæ? 277.
Officiorum venditio eſt regulariter illicita. 555.
Officia acceptantes ſine ſufficienti peritia an peccent. 365.
Officij filio à Patre empti pretium an computandum in legitimam? 125.
ad Officium eligens ſcienter indignum, aut ex ignorantia craſſa debet reſarcire damna. 555.
Officia cum quali obligatione ordinariè aſſumantur adminiſtranda? 338.
Officiales munera acceptantes an teneantur reſtituere? 372.
Officiales Cameræ aut Provinciæ faeientes difficul.

ficultates in solvendo creditoribus interesse non sunt in conscientia tuti. 243.
Onera Emphytevtæ suis temporibus præstanda (159.
Oneribus realibus, secùs personalibus subjacent Clerici. 203.
Opificum furta, & unde eorum materia desumatur. 299.
Opinio temeraria quid? an hac mortaliter peccetur in detractionis materia. 308.
Oppignorari quæ res possint, aut non possint? aut an eadem res pluribus? 144.
Oppressa Fœmina an incontinenti possit semen receptum ejicere. 326.
Ordo, quo causæ cooperantes obligantur restituere. 341.

# P

PActum. Vid. statutum.
Pactum quid? quotuplex? an pariat obligationem naturalem in conscientia aut actionem in foro civili? 207.
Pactum Anticreseos. 149. Legis comissoriæ. (152.
Pactum de crimine legibus punibili, an jus invalidet? 216.
Pacta juri publico derogantia sunt nulla .478.
Pactum Causidici de quota litis aut redimentis litem certo pretio an irritum? 480.
Pactum negativum non succedendi in paternam hæreditatem est nullum de jure communi, secùs consuetudinario. 481.
Pactum affirmativum, vi cujus unus aut alteruter paciscentium, si supervixerit, sit futurus hæres alterius, an à jure reprobetur? (487.
Pacta gentilitia sunt recepta. 488.
Pacta reciproca inita per modum successionis an valida? 488.
Palpator quis? 328. Habet se instar consulentis. 337.
Paraphernalia bona quæ? 79. Eorum domina plena est uxor, habet eorum proprietatem, utilitatem, administrationem. 85.
Non possunt ludo exponi à marito citra peccatum. 90.
Parentum obligatio erga proles. à 104. An obligentur ob earum delicta? 116.
Parentes exponentes prolem an graviter peccent. 106.
Parens an debita filii & pœnas ob delictum solvere debeat? 116.
Parens an possit filium vendere? 103.
Partus mense quinto, sexto, septimo, & decimo sunt legitimi. 112.
Participans quis? 328.
Participans de furto, an, quando, & quomodo obligetur restituere? 337.
Partus ancillæ datæ in usumfructum non fit usufructuarij. 412.
Pascuatis, &c. cum scientia juris alieni præscribi non potest. 176.
Pascuatione in alienis pascuis quomodo acquiratur dominium sine onere restituendi. 274.
Patria potestas quid? 103. Soli Patris & ascendentibus in linea Paterna competit. 103. Patriæ potestati non subsunt spurij, illegitimi, nepotes ex filia. 103. At bene nepotes ex filio etiam emancipato nati ante emancipationem. 103.
Patria potestas non competit Matri, nec avo Materno. 103.
Patriæ potestatis effectus. 103.
Patria potestas quibus modis finiatur. 103. An in eam recidat dimissus ex Societate Scholasticus? 103.
Patroni ad curata beneficia sub mortali debent præsentare digniores. 561. 562. An etiam ad simplicia? 563. 564. 565. 566.
Patronatus an præscribi possit? Vid. præscribi an possit?
Patronatus an possit alienari, & quibus modis? 464.
Paupertas ut sic non inducit incapacitatem dominij & bonorum. 29.
Paupertas domûs Professæ Societat. Jesu vid. Domûs Prof.
Paupertatis voto duo promittuntur. 43.
Paupertatis rigor observandus in dandis licentijs. 47.
Pauperum portio extans inbeneficijs vid. Beneſi-

neficiarij Pauperum nomine quid veniat, dum dicitur superflua ex Ecclesiasticis reditibus esse distribuenda in pauperes. 70.
Pauperi obligato pauperibus distribuere, quid agendum. 375.
Paupertatis duplex genus Christus Professus. (129.
Pauperes defraudantes tributa an damnandi peccati mortalis & restitutionis. 197.
Pauper furans diviti an semper damnandus à Confessario? 307.
Peculium filiorum quadruplex. 113. An peculium Castrense, aut quasi, transeat ad Monasterium? 434.
Pecunia an pretiosis mobilibus adnumeranda? 262. Loco debitæ pecuniæ bonum immobile datam an accensendum mobilibus? ad effectum alienationis sine solennitate? 262.
Pecunia Religiosi cum licentia habita an ludo exponibilis, & an perdita Religioso iterum restituenda? 52.
Pecunia Ecclesiastica an possit alienari? 262. An computetur inter bona immobilia aut mobilia pretiosa? 262.
Pecuniæ & aliarum materiarum confusio an fundet onus restitutionis? 274.
Pensio quid & quotuplex? 66. An & quæ sit inter bona patrimonalia? 66.
Periculum rei venditæ ante vel post hujus traditionem, ad quem spectet? 238.
Permutatio bonnrum inter 2. Ecclesias quid requirat. 263.
Personæ Divinæ, si singulæ singulas assumerent naturas humanas essent plures Christi. 76.
Petitio debiti Conjugalis cum periculo abortûs an licita? 372.
Pignus & hypotheca variè sumuntur. 140. vid. Creditor. An & quando vendi possit? 146.
Pignus quotuplex? 142. In pignus quæ res dari possint. 144. An eadem res pluribus? 144. Sub quali culpa custodiendum? 145.
Pignoris obligatio quot modis dissolvatur? 147.
Pignoris usus an licitus creditori, & ad quid creditor obligetur? 148.
Piscando quomodo efficiamur rerum Domini? 373.
Plagium quid, & qui eo teneantur? 283.
Pœnæ viduæ binubæ? 97. Quando iisdem non est locus. 97.
Pœna gravis an sit signum legis obligantis sub mortali? 194.
Pontificis mens circa testamenta Clericorum seu Beneficiatorum. 68.
Pontifex est Generalissimus omnium Religionum Prælatus. 397. An possit dispensare, ut Beneficiati valeant testari in usus non pios. 72.
Pontifex jure Divino exemptus est ab omni jurisdictione creata. 526.
Pontifex an possit prohibere, ne alinentur sæcularibus bona Ecclesiæ? 550.
Possessiones an fuerint redditæ Sacerdotibus & Levitis? 542.
Potior est in pignore, qui prius credidit pecuniam & accepit hypothecam. 415.
Possessio quomodo sumatur & dividatur? 169. Qualis requiratur ad præscriptionem? 169. Quid commodi & privilegij conferat? 170. Non interrumpitur per superveniens dubium speculativum. 174.
Possessor est aut bonæ aut malæ fidei. 353. Possessor dubius an bona aut mala fide cæperit possidere, quid præsumat? 358. Bonæ fidei ad quid teneatur? 355. Ad quid malæ fidei? 357. Quid si bona fide cæpit possidere, postea dubitat, an sit sua? aut si initio sit dubius? 357. An expensas deducat? 358.
Possessorum diversorum diversæ restitutiones. 357.
Præceptum restitutionis an positivum an negativum? 350.
Prædæ militares raptæ incolis amicæ partis, an justè emibiles? 242
Prælatis Ecclesiarum major conceditur potestas quàm Tutoribus. 262.
Prælatus promittens Religioso distributionem peculij inter certos post ejus mortem, non obligatur stare promissis. 36.
Prælati licentia Generalis an se extendat ad sola honesta? 50.
Prælati potestas, ejúsque extensio in dandis licentijs. 47. Circa hæc Regula Universalis. ibid.

ibid. Quid respectu usûs profani? 48. An licentia talis sit valida? 49.
Prælatorum diversitas v. g. Generalis, Provincialis, &c. in dandis licentijs, & cui necessaria? 51.
Prælatus an possit aliquid pro se accipere & retinere sub novo Prælato sine hujus licentia? 51.
Prælati delictum non nocet Monasterio. 53.
Prælati obligationes ex officio sub mortali. 54.
Prælatus Regularis non potest sine solennitate locare fructus bonorum ultra triennium. 363.
Prælatus Regularis alienans bona sine solennitate incurrit pœnas Urbani VIII. secùs sæcularis. 265.
ad Prælaturas etiam Regulares eligendi sunt sub mortali digniores. 560.
Prælatus. Vid. Religiosus.
Præscriptio quid? est introducta utroque jure, transfert dominium, includit 4. conditiones 169.
Præscriptionem non impedit malitia venialis. 173. Inchoari nequit cum prudenti dubio seu speculativo seu practico. 174.
Præscribi possunt res corporeæ & incorporeæ exceptis, quas jus vetat præscribi. 454.
Præscribi non possunt bona, Principis dignitati intrinseca. 455.
Præscribi à subditis non potest exemptio à tributis. 455.
Præscribi potest immunitas à subjectione. 455.
Præscribi à subdito potest pars aliqua jurisdictionis. 455.
Præscribere nullus potest exemptionem à jurisdictione spirituali Pontificis. 455.
Præscribi possunt bona non intrinseca Principi, reservata cum titulo annis 40. sine titulo tempore immemoriali. 456.
Præscribi possunt bona Coronæ seu patrimonialia; at non ante annos centum. 457.
Præscribi an possint bona Principi pro bello, aut aulæ sumptibus debita? 458.
Præscribi an possint bona civitatum, Principum & coronarum alijs distinctis titulus acquisita? 458.
Præscribi an possint bona privata Principis, sicut ceterorum. 459.
Præscribi an possit contra Principem jurisdictio, merum & mixtum imperium, & quanto tempore. 460. 462.
Præscribi non potest potestas condendi leges Universales, instantia ultima appellationum, jus nomine proprio condendi monetas, concedendi processum remota appellatione, revocandi sententiam, postquam transivit in rem judicatam. 462.
Præscribi an possit à Laico jus patronatûs? 463.
Præscribi an possit contra Pricipem patronatûs ut contra distinctus ab Advocatia suprema? 466. 467. An ipsa Advocatia suprema? 466.
Præscribere potest Princeps jus eligendi & nominandi Episcopos, cæterósque Rectores Ecclesiarum Cathedralium & Collegiatarum præscriptione solùm immemoriali. 466.
Pretium quid & quotuplex? 230. Vade excessivum pro re turpi an restituendum? 217. Pro opere ex Justitia præstando datum, est jure naturali restituendum. 214.
Pretium Legale, si est injustum, venditor, ut se servet indemnem, licitè defraudat in pondere aut mensura, aut rebus notabiliter melioribus, potest immiscere deteriores reducendo ad æqualitatem. 248.
Pretium excessivum pro actu turpi, aut blanditijs, aut fraude extortum, an restituendum? 217.
Pretiosa res Ecclesiæ quæ censenda, ut nequeat alienari sine solennitate? 262.
Princeps & quisque superior quid titulo jurisdictionis in subditos, & horum bona possit? 4.
Princeps in certis casibus potest? disponere de bonis subditorum. 188. Tenetur jacturam compensare. 188. Non potest pro libitu dominio spoliare subditos. 188. Potest aliquos eximere à contributionibus. 199.
Princeps sæcularis an Ecclesiasticos subjicere contributionibus possit sine consensu Papæ à (202.
Princeps à Consiliarijs inductus indicens bellum, an teneatur ille vel Consiliarij restituere? 342.

Princeps in vastatione Patriæ mitiget rigidas executiones in bona. 270.
Princeps an possit debitoribus condonare census annorum, quibus ob rapinas militares solvere non poterant. 270.
Princeps habens jus nominandi ad Episcopatus, aut Parochias, tenetur sub mortali proponere digniores. 561. 562.
in Privilegijs an attendatur prioritas temporis, aut majoritas causæ. 416.
Privilegiatus an uti possit privilegio contra æque privilegiatum? 624.
Proceres. Vid. Magistratus.
Procurator ad negotia destinatus an possit sibi occultè compensare laborem supererogatorium? 303.
Procurans abortum. Vid. Abortus.
Prohibitio Principis de non piscando, venando, &c. an obliget ex Justitia vel obedientia? 373.
Professa domus Societatis renuntiavit privilegio Tridentini quoad bona stabilia. 30. Vid. domus Prof.
Professus Religiosus est incapax dominij rei temporalibu pretio æstimabilis, usúsque juris; capax verò usûs facti. 32. Et hoc non ex vi voti solùm, sed jure Ecclesiastico positivo. 32.
Professus in Religione capaci successionis retinet omnia jura civitatis & agnationis, transmittítque ad Monasterium. 442. Retinet etiam nobilitatem, nisi dignitas Ducalis, Comitis, &c. sit; talem enim amittit, uti & nobilitatem, quæ competit ex publico officio. 442. Secùs Doctoratum ex gradu, nec nobilitatem suæ familiæ. 442.
Professus jus Patronatûs, si habet transmittit ad Monasterium, uti & jus nominandi ad Emphyteusim, secùs jus retractûs. 442.
Professo Patrono mortuo, cujus personæ fuit annexnm jus patronatûs, extinquitur jus patronatûs. 442.
Professi Societatis sunt incapaces successionis ab intestato, secùs ex testamento. 35. Nequeunt repudiare Legatum uti & Professi cujusvis alterius ordinis. 34. Sine Papæ licentia non possunt testari. 36. possunt tamen peculium suum donare mortis causa cum solo consensu superioris. ibid.
Professi nequeunt acquirere licentiam irrevocabilem à superiore. 36.
Professus in ordine capaci successionis bona, dé quibus ante Professionem non disposuit, transmittit ad hæredes ab intestato, ad hæredem autem, si ante Professionem testamentum condidit. 37. Ad verò in ordine successionis capaci transmittit ad Monasterium. 37. Vid. Monasterium.
Professus in acquisitione rerum comparatur nunc servo, nunc filio. 40.
Professione Religiosi an ususfructus exstinguatur? 41.
Proles dubia se potest gerere ut legitimam (109.
Proles post quintum mensem est habenda legitima, secùs post undecimum. 112.
Promissio quid 210 Facta Ecclesijs aut alijs pijs causis, an obliget ante acceptationem? 210.
Promissio est gratuita aut onerosa; quænam obliget graviter in conscientia? 210.
Promissio tupis an valida & obligatoria ex justitia. à 213.
Proprietatis vitium directè est oppositum voto paupertatis. 43. Est impedibile per licentiam superioris in actu etiam de se illicito. 48.
Proxeneta seu licitator excessum pretij à Domo detenti an sibi retinere possit? 255.
Publicistarum argumenta pro justitia legum amortizationis. à 540. ad 553. Eorum opinio an probabilis? 547. 548.
Publicitas duplex juris & facti. 316. Ad publicitatem facti, ut talis sit, quod personæ debeat scire? 316. in fine.
Publicitas requisita ut citra detractionem queat delictum alterius in sermonem adduci. 316.
Pupillo solvens sine authoritate Tutoris an liberetur à debito? 268.
Purgatorij pœna non est gravis relatè ad Rempulicam æternam. 361.

# Q


Quantitas in furto sufficiens ad peccatum mortale. 284. 285.

Quantitas in furto ad mortale in filijs uxoribus, & maritis. 286. 287. & in furto Religiosorum. 288. & seq.

Quantitas in furtis minutis à 292. ad 300. vid. Furta.

*Qui prior tempore, potior Jure.* An hæc Regula procedat, & si prior habeat hypothecam Generalem, posterior specialem? 417. Saltem dum posteriori res est tradita. 417. Quid si prior cum hypotheca speciali habeat in subsidium Generalem, an tunc præferendus posteriori in hypotheca speciali rei alterius. 417. Regula hæc non attenditur in casibus omnibus etiam in pignoribus & hypothecis. 418.


# R


Radices Restitutionis. 352. Radix universalis quæ? differentia inter 2. Radices. 352.

Receptor damnificatoris an obligetur restituere? 337.

Recursus quid? 328.

Receptor damnificatorum quando debeat restituere? 337.

Regula Universalis, quando peccetur contra votum paupertatis. 43.

Regula, quæ bona sint Collationi subjecta? 120,

Regulæ quædam, quis? quæ? & quantum præscibat? prima incapax possidendi est incapax præscribendi. Secunda. Nullus præscribit immunitatem attributis ordinarijs. Tertia, nemo plus præscribit, quam possideat. Quarta. Ex actibus meræ facultatis seu liberis præscriptio non inducitur. Quinta. Res jure inalienabiles sunt regulariter inpræscriptibiles. 180.

Regula dignoscendi, quodnam prædicatum spectet ad substantiam contractûs. 226. 229.

Regulæ in restitutionis materia observandæ. 342. 343. 344. 355.

Regula item alia observanda in possessorum variorum restitutione. 358.

Regula. 58. in 6. *non est obligatorium contra bonos mores præstitum Iuramentum*? quomodo intelligenda? 492.

Regula, *qui prior tempore, potior jure,* 417.

Regularium bona an ex justa causa sint appicabilia ad alias causas pias. 32.

Religiosorum in communi dominium 29. & seq. non est ita independens sicut sæcularium. 32.

Religiosi sunt capaces etiam in particulari quorundam jurium v. g. ad beneficia regularia 32. Item legati rei etiam immobilis. 33.

Religiosus Prælatus sine causa justa accipiens scripta sui Religiosi peccat contra justitiam. 32. in fine.

Religiosus accipiens aut expendens, an & quando excusetur à vitio proprietatis? 45. Quid si exernus illi offerat cibum & potum? 57.

Religiosus summâ sibi non concessa lucrans in ludo magnam summam, tenetur restituere collusori totum. 52. An lucrans magnam summam, licitè & valide possit totam perdere? ibid.

Religiosus studens, mutuo accipiens, an conventus teneatur solvere? 53.

Religiosus voto paupertatis vovet duo. 43. Quando contra hoc votum peccet mortaliter accipiendo, aut dando, aut utendo? 43. 45. An dans aut accipiens ex Prælati licentia tacita liberetur à peccato contra hoc votum? 46.

Religiosus pingens alteri imaginem pretiosam an contra paupertatem peccet? 58.

Religiosus Oeconomus, Procurator &c. quid possit sine læsione voti. ibid. aut studens, aut peregrinans, aut negotia gerens. ibid.

Religiosus peccet contra votum paupertatis rem pretio æstimabilem accipiendo, emendo, mutuando, commodando, transferendo

do, commutando, &c. 56. Denique in usu rerum authoritativè se gerens. 131. Accipiens pecuniam distribuendam sine licentia non peccat contra votum, si hanc distributionem non vertat in suum commodum. 131.

Religiosus quomodo sit filius respectu Monasterij? 288.

Religiosi furtum ut sit mortale, attendendum etiam ad divitias Monasterij. 290.

Religiosi Societatis an stipendia accipientes pro suis Ministeriis peccent mortaliter contra votum paupertatis? 52.

Religiosi delictum non nocet Monasterio, etiam Prælati. 53.

Religiosus ut in esculentis & poculentis quis peccet, requiritur major quantitas quàm in aliis. 291. Regulariter in his non peccat graviter. 291.

Religiosi plures concurrentes ad idem furtum quomodo peccent? 291.

Religiosus calumniatorem gravia crimina de se vel sua Religione spargere minantem, &c. An licitè occidat, si alius modus impediendi non sit? 320.

Religioso concessa licentia dandi an sit etiam in altero licentia accipiendi? 58.

Religiosus habens generalem licentiam dandi & accipiendi, habet etiam licentiam emendi & vendendi. ibid.

Religiosus in usu rerum habens se merè passivè vel ut purum instrumentum non violat paupertatem. 59. Religiosis quid censendum necessarium & quid superfluum? 48.

à Religioso accepta ob turpem causam, an restituenda? 50.

Religiosus habens plures Prælatos an, si obtinuit licentiam ab uno, possit ea uti in eodem aut diverso domicilio sub novo Prælato? 51.

Reus an sit paupertatis petens à pluribus Prælatis pro certa summa non excedente eorum facultatem, sciens, quòd nullus illorum simul concederet, simul tantam summam? 51.

Religiosus superior an possit pro se uti facultate, quam alijs concedere potest, eáque uti tempore quo erit subditus, sine nova licentia? 51.

Religiosus violat votum imparatus cessare ab usu sibi concesso, 993.

Religiosus nihil potest validè alienare ex concessis inscio Prælato. 393. Non potest accipere deposita à sæcularibus salvo voto. 393. præsertim Religiosis Societ. 393.

Religiosus violat votum paupertatis permutans res sibi concessas cum externis, pro rebus etiam æqualibus, & an tunc peccet mortaliter? 294. Et quid si permutatio fiat inter domesticos? 394.

Religiosus fit voti reus, res ad certum usum sibi concessas applicans alteri sibi commodiori. 395. Ut si pecunias sibi missas pro vestitu, victu libris, expendat in lusum, compotationes, &c. aut missas pro honorarijs vel honesto viatico strictius vivendo comparsas exponat in libros, vestitum munera, &c. 395.

Religiosus extra Monasterium vivens si reditus partius vivendo coacervatos applicet egenis, consanguineis, an peccet? 395.

Religiosus Episcopus an sit Dominus superfluorum reddituum. 397. & 399.

Religiosus Episcopus manet obstrictus voto castitatis & obedientiæ Pontifici. 397. An sit dispensatus in voto paupertatis? 397. 398.

Religiosus promotus ad Beneficium Episcopatu inferius cui sua relinquit? idem est de Religioso administratore ad nutum non amovibili. 400. Ejusmodi Administrator Religiosus est par sæculari. 400.

Religiosus Professus post quinquennium reclamans non potest audiri, nisi restituatur in integrum à Trid. Congr. aut à Congr. Regularium negotijs præposita. 625.

Religiosus Episcopus. Vid, Episcopus.

Religio an & quomodo succedat suis Religiosis in dominio? 36. 39.

Religio an teneatur Religiosum suum captivum ab infidelibus redimere? 54. in fin.

Religionis disciplina collapsa, quomodo reformanda? 54.

Religionis ingressûs nomine quid? 36. Ingressum

greſſum impediens aut extrahens. Vid. Reſtituendi obligationem.
Reliquiarum dominium habent Religioſi Profeſſi, non tamen Lipſanathecæ precioſæ. 37.
Renunciatio Materna hæreditatis Paternæ an præjudicet liberis? 482.
Renunciatio facta in favorem lineæ maſculinæ, an hac exſtincta ſoror renuncians ſuccedat, vel verò an ultimus maſculus poſſit teſtari de bonis aviticis? 483.
Renuntiacioni Maternæ juramenti adjecti obligatio an tranſeat ad filios, &c. 485.
Et quid ſi Mater accepit dotem aut legitimam? 485. Aut ſi Mater jurejurando renunciet pro prolibus. 485.
Renunciatio jurata à filia profitente in Monaſterio, an hoc excludat à ſucceſſione poſt mortem Patris? 486.
Repercuſſio alapâ aut fuſte percutientis, poſt alapam aut fuſtem impactum an licita? 595. Vers. an poſt.
Reſiliens ſine juſta cauſa à matrimonio Arrhas amittit. 86.
Reſilire à contractu an & quando licitum? 229.
Reſtituendi voluntas an ſit annexa voluntati furandi? 295.
Reſtitutio rei furto ablatæ, quando Dominus præſumitur non eſſe invitus quoad ſubſtantiam, non neceſſariò facienda ex Juſtitia. 44.
Reſtituendi obligationem agnoſcens, poſtea immemor, non continuat præſcriptionem. 174.
Reſtituendi mora, ut obliget ad intereſſe an debeat eſſe culpabilis Theologicè? 366.
Reſtitutionem imperat ſola Juſtitia commutativa. 280.
Reſtitutio ex furtis oriunda in uxoribus, quomodo & unde hæc fiat. 287.
Reſtituere an, quæ & quando cauſæ cooperantes teneantur? 329.
Reſtitutionem in ſolidum ſpectantes qu[illegible]. Regulæ obſervandæ de cauſis cooperantibus 331. 332.
Reſtitutionem qualem præſtet mandans, 334. Quid ſi revocet mandatum? ibid.
Reſtitutio ut fiat ex conſilio dato, duplex genus conſilij diſtinguendum. 335. An etiam poſt revocatum conſilium? 333.
Reſtitutionis ordo in cauſis cooperantibus. (342.
Reſtitutio conſentientis contra Juſtitiam. 336. Palpatoris. 337. Participantis. 337.
Reſtitutionis obligatio quædam habet advertenda. 347.
Reſtitutio an neceſſaria ad ſalutem & quomodo? 348. 349.
Reſtitutionis mandatæ defectus an detineat animam in purgatorio? 349.
Reſtitutionis præceptum quale? 350.
Reſtitutio Poſſeſſoris bonæ fidei. 354. Rei mala aut dubia fide poſſeſſæ 337. Rei ex injuſta actione. 359.
Reſtitutionis obligatio ex contractu juſto, aut ex quaſi contractu. 362.
Reſtitutio etiam requirit reflexionem ad pretium ſeu valorem juxta quem eſt faciendа. à 367. An deſtruens rem valentem mille, quàm inculpabiliter credit valere centum, debeat reſtituere mille? 368.
Reſtitutionis obligatio in impediente alterum à conſecutione alicujus boni. 371. An fur liber à reſtitutione rei, quæ periiſſet apud Dominum? 370.
Reſtitutionis obligationem an inducat animus nocendi, graviter imperans actionem leviter injuſtam? 373.
Reſtitutionis circumſtantiæ fusè explicatæ. 374. Quis, & quid? ibid. Cui & quantum? 375. Quando & ubi? 376. Reſtitutionis modus. 377.
Reſtitutio an aliquando fieri poſſit donando creditori? 377.
Reſtituens per tertium, aut juxta Confeſſarij Judicium, an ſatisfaciat, ſi res non perveniat ad manus Domini? 377.
Reſtitutionem differens in mortis tempus non eſt abſolvendus. 375.
Reſtitutionis faciendæ expenſæ ad quas teneatur debitor ex delicto. 379.
Reſtitutionis creditoribus faciendæ ordo ſervandus à debitore. 378. 379. vers. denique.

Restitutio ob quas causas differri aut omitti possit? 380. 381.
Restitutio juxta qualem rei valorem facienda? (à 367.
Restitutio. Vid. cooperantes ad injustitiam. Item cooperatrices causæ.
Restitutionem penitus tollentes causæ. 382.
Restitutio honoris aut famæ quomodo facienda? 383. 384. 385. An cum vitæ periculo? 386. Aut infamiæ aut amissionis bonorum. ibid. An à mandante præ mandatario, aut à consulente præ detrahente? 317.
Restitutionem famæ & honoris excusantes causæ. 387.
Restituere damna Reip. tenentur Electores indignorum ad officia publica. 555.
Restituendum an totum interesse ultra sortem? 573.
Restitutio an possit differri ob lucrum cessans? (574.
Restitutio qualis pro occisione, mutilatione, vulneratione, à 585. & seq. 3.
Restituendi obligatio ex duello & rixa. 589. & seq. 4.
Restituendi obligationem an & qualem contrahat impediens ingressum Religionis, aut ex hac extrahens cum aut sine vi, aut fraude à 609. ad 614.
Retractûs jus à Professo non transit ad Monasterium. 442.
Retrahendi jus an habeant proximiores consanguinei bonum à Professo Monasterio incorporatum, dum hoc venditur. 444.
Retrahendi jus habet novitius Religiosus bonum à consanguineis venditum, secùs Scholasticus Societatis. 444.
Revelatio criminis occulti. an & quando licita ad defensionem sui. 37. Aut ob consolationem. 312. vers inferes 4.
Revelare injuriam ob solamen doloris etiam amico an liceat? 312.
Revelare crimen non nominato authore an & quando peccatum? 313.
Revelare crimen occultum etiam secretò commissum, an, cur, & quando licitum? 315.
Reus læsæ Majestatis à die commissi criminis an validè solvat creditores? 267.
Reus quæsitus à Judice ad pœnam potest se offerre & hortari ad eam exequendam. 25. An se possit defendere infamando accusatorem aut testem? 27.
Rex bellũ indicens agit instar Judicis. 302. vers 3.

# S

Sacræ res sub cujus sint Dominio? & an titulo consecrationis aut benedictionis sint exemptæ à Vectigalibus? 530.
Satisfactio pro vita, mutilatione, vulneratione an & qualis exigi possit? 585. 586. & seq. 2.
Scandalizans suo exemplo an contrahat malitiam peccati, in quod inducit, teneatúrque restituere, si illud peccatum sit contra justitiam? 608.
Scholastici Societ. JESU habent dominium & quale? 32. Sunt Religiosi ac Professi. ibid. Non possunt repudiare legatum in re certa. 34. Acquirunt post emissa etiam vota Dominium rerum non statim absumptibilium sed potentium augere capitale patrimoniale, secùs aliorum. 34. Intendens disponere pro Societate, quid observet? de hoc vide Suarez t. 4. de Relig. tract. 10. l. 4. c. 6. à n. 5. Sunt capaces utriusque successionis. 35. sine licentia superioris probabilius in validè disponunt. 42. Minus peccant se abdicando quàm usurpando, & retinendo sine licentia. 55. Ad omnem dispositionem etiam in pias causas indigent particulari superioris licentia. 555.
Secretum. Vid. Litterarum secreta.
Secretum quid, quotuplex, quomodo & quando obliget? 318.
Secretum commissum gravius obligat quàm pro missum. 318.
Senatus consultum Macedonianum. 216. Velleianum. 824.
Servitus ut sic definitur & dividitur in Personalem & realem. 139.
Servitus prædialis duplex, urbana, & rustica. Rustica unde dicta? 139. Urbana est affirmativa aut negativa. 413. Species utriusque recensentur. 413. Rusticanæ species

ties. 414. quibus modis præfatæ servitutes constituantur ? aut amittantur. 414. à quo possint constitui. 414. Servitutis habens jus quid possit in fundo vicini.. 414.

Servitutes quæ præscribi non possint ? 176. Quæ possint? ibid,

Servorum & ancillarum furta. 298.

Societas Jesu an possit succedere in hæreditate etiam gravata aliquo onere, & quomodo id onus teneatur implere. 35. An Societatis Professus aut Coadjutor formatus capax hæreditatis ex testamento? 35.

Societatis Religiosus licitè & validè ante Professionem potest renuntiare fideicommissum in favorem Societatis. 438. Ad Societatem Jesu in Hispania nullus habens Majoratum admittitur sine licentia Generalis. 438.

Societatis Religiosi circa successionem in fideicommissa, Feuda Emphytevsim non regulantur secundùm jus commune sed proprium 438. 444. 449.

Solennitas votorum non est juris divini sed positivi Ecclesiastici. 32.

Solutio strictè talis quid? 266. Quo tempore facienda pro inæqualitate pretiorum tempore mutabilium. 269

Solutio rerum mutuatarum pro earum diversitate quomodo facienda? 269.

Solutioni præfixum tempus an possit anticipari? 298. Solvens pupillo sine authoritate Tutoris non liberatur à debito. 268. An solvens unum pro alio e. g. triticum aut pecuniam in vino, aut è contra invito creditore, liberetur? 268.

Spolia militaria. Vid. Prædæ.

Sponsalitia Largitas convertitur cum Morgengeba. 79.

Sponsalitiæ Largitatis dominium plenum secuto matrimonio est penes uxorem, consequenter soluto matrimonio non est restituenda. 86.

Spurij quid juris habeant secundùm jus Canonicum? 103.

Status personæ damnificatæ fundat gravitatem vel levitatem furti. 384.

Statutum sæculare excludens à successione Religiosos an validum. 443.

Statutum præferens in successione masculos fœminis valet. 444.

Statutum Generalem minuens legitimam filiorum est permissum. 444.

in Statutis antiquis potest præsumi interventus Authoritatis Ecclesiæ. 444.

Statutum exigens à noviter admittendo in possessionem beneficii, ut fructus beneficii primi anni fabricæ Ecclesiæ applicentur, aut alteri pio usui, valet. 479.

Statuta Laica, quæ arcent Ecclesiasticos ab aquirendis immobilibus sunt irrita & injusta. (438. 539.

Statutum sæculare, ut bona sint penes primogenitum, an valeat. 551.

Steuras quas & quando teneatur præstare Emphytevta? 160.

Stuprum quid & quotuplex? 603. Stupratoris violenti obligatio. 603. Et quid si metu gravi aut fraude, aut promissione matrimonij sit stuprum commissum? 603 & seq. 3. Quid si in casu promissionis præcessisset votum Castitatis in stupratore? 505. Vers. Utrum.

Stipendium famuli est triplex, & quid in eo observandum? 300.

Styriam incolentes Clerici quid privilegij habeant quoad testamenta. 68.

Subditi obligantur in conscientia solvere tributa. 195.

Subsannatio quid & an differat à decisione? (309.

Successio quid propriè significet in jure. 35. Quinam Religiosi Professi hujus capaces. Vid. Religiosi Professi.

Succedendi jus est merè humanum, unde potest ei contraria consuetudine derogari, ut fit in Gallia. 442.

Suffragantes consulentes quomodo obligentur restituere? 331.

Suffragans dubius de influxu, an teneatur restituere? 336.

Suitas in jure quid & quotuplex? 275. 40.

Suitatis jura Professus, transmittit ad Monasterium. 40. An habeant effectum etiam sine adita aut accepta hæreditate. 40.

Superior peccat contra justitiam sine justa causa

sa accipiens manuscripta sui Religiosi. 32.
Superior qualem sibi dare possit licentiam? 51.
Superior audiens detractorem ex officio debet impedire detractionem. 317.
Superior. Vid. Prælatus.
Suspicio quid & an mortalis? 308.
Sustentatio congrua Clerici pro regionum & Personarum diversitate varia 67. Quot gradus habeat? 61.
Sustentatio congrua varia. 285. 407.
Susurratio quid? est deterior contumeliâ 309.

# T

TEloniorum Custodes tenentur ad refectionem damnorum secutorum ex sua negligentia. 338.
Telonarij non exigentes Vectigalia an obligentur restituere? 201. An mulctas defraudantium teneantur resarcire? 201.
Tempus possessionis ad præscribendum requisitum. 183.
Tempus præfixum debitorum solutioni an possit anticipari? 268.
Tempus quantum necessarium ad animationem fœtus? 327.
Temporis valoris in materia restitutionis observandum. 369.
Testamentum posterius præfertur primo. 416.
Testamentum secundum contra primum, juramento de inevocabilitate firmatum, est validum, nisi primum ex concessione Principis fiat irrevocabile. 504.
Testator an licitè repellat hæredem ab hæreditate si fiat Religiosus? 549.
Testari an validè possint Beneficiati. 68.
Testator potest Ecclesiam instituere hæredem sub conditione aut modo, sine quo non valeat hæreditas. 436.
Testamentum conditum ante Professionem non rumpitur per Professionem. 37.
Testamentum filijsam potest irritare Pater, cujus consensus requiritur. 42.
Testamenta Beneficiariorum invalida 88. Vide Beneficiarij.
Testamentum non privilegiatum sine solennitate conditum valere in foro conscientiæ & non valere, utrumque probabiliter dicitur, secluſa tamen fraude. 258.
Testamentum ad causas pias non solenne valet. 260.
Thesaurus in re empta inventus e g aurei in veste insuti, aurum in fundo, &c. cujus sit? 247. In fundo proprio inventus thesaurus, cujus sit totus? 271.
Titulus requisitus ad acquirendum jus proprietatis. 12
Titulus solvendi laudemij qualis? 156.
Titulus in præscribendo an? qualis? & quando requiratur? 177.
Traditio rei an semper & quibus in casibus non necessaria ad acquirendum jus in re? 12.
Transactio de contentis in testamento ante eorum notitiam est irrita. 592.
Tributorum impositio & persolutio est justitiæ non distributivæ sed commutativæ. 276.
Tributa dubiè justa an & quomodo solvenda? 195.
Tributorum accumulatio potest esse injusta, licèt exactiones singulæ sint justæ. 197.
Triens est pars legitimæ, quando debeatur? (113.
Tutelam filio delatam nequit impedire Pater, non tamen tenetur consentire, & consentiendo sibi præjudicat 99.
Tutores non impedientes damnum pupillorum ad quid teneantur? 338.
Tutores non impedientes damnum pupillorum ad quid teneantur? 338.
Tyrannus an fictione juris sit Dominus, & præstantes ei tributum an deobligentur vero Domino? 266.

# V

VAlor rerum duplex; intrinsecus & extrinsecus 269.
Vectigal quid sit? 187. Hujus varia nomina ibid.
Vectigalium leges an obligent in conscientia. (194. 197.?
Venatio cum scientia juris alieni præscribi non potest. 176.

Venando, &c. Quomodo efficiamur rerum Domini 273.
Venditio secundum I. C. quid & quotuplex? (238.
Venditor an possit rem vendendam deteriorare reducendo ad æqualem bonitatem cum alijs? 248.
Vendi an possint quantocúnque pretio res carentes pretio legali ut gemmæ, &c. 232.
Venditio rei furtivæ an valida? 233. Et quid si vendatur tertio ab emptore primo. 234.
Venditor licitè vendit rem eandem uni pretio infimo, alteri medio, &c. 230.
Venditor postquam contraxit pro pretio infimo, nequit decipere emptorem accipiendo pretium medium aut summum. 230.
Venditor læsus ultra dimidium potest agere contra læsorem in foro externo. 230.
Venditio est alia ad corpus seu speciem; alia secundùm genus. 238.
Venditæ rei periculum ante, aut post traditionem ad quem pertineat? 239.
Venditæ rei fructus an sit emptoris aut venditoris. 240. 241.
in Victum & vestitum concernentibus Prælatus potius inclinet ad excessum quàm defectum. 47
Vidua quid relinquere debeat prolibus prioris matrimonij transiens ad secundum. 98. Ante transitum cavere debet de salva lucrorum substantia. 98. Amittit proprietatem lucrorum ante sententiam. 98. Quantum possit ex suo relinquere novo marito? 100. An si transeat ex consensu filiorum, ad secundas nuptias, retineat lucra prioris matrimonii? 98.
Viduæ intra aut post annum luctûs transeuntis ad secunda vota pœnæ. 97.
Vino Generoso an licitè possit immisceri aqua reducens ad id bonitatem vini, quale ceteri vendunt. 248.
Vinum nimis meracum aut rigidum emptoribꝰ, an licitè possit mitigari aquâ, quantum est necesse, ut evadat suave? 248. Et an tunc pretium imminuendum? 248.
Virgo habita pro tali, etsi occultè corrupta, capax est legati relicti pro Virginibus dotandis. 313.
Vitæ propriæ dominium homo non habet. 22. Tenetur conservare mediis ordinariis, secùs extraordinariis. 25.
Vitium mercis non manifestans an dolosè agat? 231. Vitium id quotuplex. ibid.
Unio inter furta minuta quomodo tollatur? 292.
Vocum notitia est magni momenti in jure. 140.
Vogteja quid? 464. Vogteytica jurisdictio duplex. 465.
Volenti an fiat injuria? 293.
Voluntarium triplex? habituale, virtuale, morale. Et expressum, præsumptum, actuale & conditionatum. 44.
Votorum solennitas non est juris divini. 32.
Voto Paupertatis Societate JESU, ut perfectius consulatur, sunt in Societate prohibitæ 5. propositiones. 369.
Ususfructus transiens à Professo ad Monasterium non durat 100. annis 448.
Usufructuarius non potest perfectè disponere, sed solùm servata rei substantia 15.
Ususfructus extinquitur per professionem Religiosi in ordine successionis incapaci, secùs capaci. 41. 137.
Ususfructus cujuscúnque usufructuarij cum sit jus personale, quomodo transeat ad Monasterium? 434.
Ususfructus directè legatus Ecclesiæ, &c. durat 100. annis. 434.
Ususfructus quid? quotuplex? est inhærens ossibus. 135. Quibus in rebus & quomodo finiatur? 137.
Usufructuarius quos fructus percipere possit, & an eos cuivis pro libitu vendere, & quando fiat eorum Dominus? 136. Cavere debet se rem integram restituturum. 138 Cautio remitti non potest. 422.
Ususfructus si constitutus est in cædua sylva, quid juris? 412. Aut si est legatus ex fundo & sylva? 412. Nequit mutare statum aut formam rei legatæ. 412.
Usufructuarius an fiat Dominus thesauri in undo reperti? 412 An ad eum spectet fructus Insulæ natæ in flumine proximo. 412.
Usus duplex: Juris & facti, nudus & vestitus. 127.
Usus facti simplex in rebus unico usu consumptibilibus, est separabilis à dominio. 139.

Usus nudus facti non potest retento Domino vendi sine usura. 131.

Utens re aliena animo reddendi an peccet contra præceptum non furandi, & paupertatem: (290.

Vulnerator ad quid teneatur? 558. & seq. 3.

Uxor potest renunti are hypothecæ in bona mariti. 80.

Uxor an possit fundum totalem sine mariti consensu alienare ad solvenda debita ante matrimonium contracta. 83.

Uxor donans. Vid. Donatio.

Uxor an pecuniam à marito datam ad expungenda debita possit expendere in sibi & familiæ necessaria sine onere refundendi crediroribus, dum maritus non est solvendo: 408.

Uxor an licitè frui possit usuris illicitis aut furtis mariti, dum dos non sufficit ad alimenta. 408. 576.

Uxori titulo allatæ dotis tacitè hypothecantur bona mariti cum prælaitone ad creditores prius tempore privilegiatos. 54.

Uxor paraphernalium plena est Domina, &c. 85. Alere debet inopem virum. 95. An alenda, dote non soluta? 91. An culpabiliter incarcerta aut indotata? 91.

Uxor consumato matrimonio acquirit plenum dominium doni matutinalis seu Morgengebæ. 87. Subjicitur viro ut Domino habet administrationem familiæ. 89. Debet ali à marito etiam adultera lite pendente in foro externo- 91. Etiam si sit dives ex paraphernis. 92. Potest occultè compensare, si maritus partem dotis aut paraphernorum absumpsit, sed cum cautela. 93. Potest ex bonis communibus facere expensas necessarias ad avertendum grave damnuu corporale vel spirituale mariti etiamsi ipse maritus ex avaritia vel negligentia non faciat. 93. Potest ex jisdem succurrere necessitatibus liberorum & familiæ in viri neglectu 93. Item ex jisdem, imò etiam his deficientibus ex propriis mariti facere alias expensas, ut in liberos prioris matrimoni j, Parentes, fratres, &c. 93 An in defectu bonorum viri, debeat ex Bonis suis solvere debita contracta à viro ad ipsam & familiam alendam. 95.

Uxor habet hypothecam tacitam sine jure prælationis in bonis mariti administrantis ejus pharaphernalia, si de expressa sibi non providit. 85.

*Omnia ad majorem DEI Gloriam.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN